


FRANCE

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI

MANUALE
TOTIUS
JURIS CANONICI

AUCTORE

D. CRAISSON
QUONDAM VICARIO GENERALI DIŒCESIS VALENTINENSIS

OPUS ROMÆ EX AUCTORITATE SUPERIORE EXAMINATUM,
APPROBATUM ET COMMENDATUM AB EXAMINATORIBUS ROMANIS

EDITIO NONA

NOVIS CURIS AUCTA ET EMENDATA ;
SYLLABO, CONCILIO VATICANO, CONSTITUTIONI *Apostolicæ Sedis*, ALIISQUE
CONSTIT. S. PONTIFICIS, AC DECRETIS ROMANARUM CONGREG.
USQUE IN HANC DIEM EDITIS ADAPTATA.

TOMUS PRIMUS

PARISIIS
APUD A. ROGER ET F. CHERNOVIZ, BIBLIOPOLAS
7, RUE DES GRANDS-AUGUSTINS

1899

IMPRIMATUR :



Pictavii, 2 Februarii 1863.

† LUDOVICUS EDUARDUS, *Pict. Episc.*

De Mandato Episcopi :

LAURENT, *Super. Semin. Major. Pictav.*

MONITUM

IN OCTAVAM EDITIONEM

Quòd nunc in Galliis quasi denuo efflorescat *jus canonicum*, quòd in singulis diœcesanis seminariis illud doceantur juniores clerici, idemque deinde calleant et meliùs servent presbyteri, hoc R. D. Craisson et operibus quæ conscripsit, haud mediocri pro parte tribuendum est. Hujus *Manuale totius juris canonici* quasi scholare apud nos habitum est, et quantum utilitatis attulerit nostro clero, ipsemet editionum numerus satis comprobat. Verumtamen ecclesiasticarum legum thesaurus, id exigentibus temporum circumstantiis, præeunte et dirigente SS^{mo} D. N. Leone PP. XIII, haud parum accrevit. Quædam correcta et immutata sunt ; addita plura. Necessarium proinde fuit *Manuale* ex integro renovare et ad mentem recentiorum decretorum ac legum revisere et edere. Præterea in immensum auctæ sunt historicæ inquisitiones , quas canonistam nescire prorsus non decet. In ipso auctoris textu quam paucissima immutata sunt ; quædam tamen addita, quæ de recenti prodierant ; diremptarum controversiarum solutiones insinuatæ ; decre-

torum vero et responsorum tenor in appendice locupletiori, ad calcem singuli tomi, remandatus est, ad quam decursu operis remittitur lector. Uno verbo, *Manuale* recentioribus quibusque studiis et decretis, quantum revisori licuit, accommodatum est. Hic autem, in Romana apud S. Apollinarem Facultate juris canonici laurea donatus, per duos annos S. C. Concilii Studio adscriptus, dein ad honorificum professoris munus vocatus, curam singularem se adhibuisse profitetur ne quid minus rectum in peragenda revisione irreperet; quæcumque vero juxta sincerissimam romanam doctrinam componere studuit.

Utere, lector, et vale.

EDITORES.

Parisiis, die 9 junii 1893, festo SS. Cordis Jesu.

PRÆFATIO.

Ut societas qualiscumque pace ac tranquillitate potiatur, magis ac magis de die in diem obtineat felicem prosperamque sortem, necesse est ut auctoritati, præsertim Supremæ, quæ ipsi præficitur, maxima exhibeatur reverentia, legesque ab ipsâ dimanatæ religiosè ac fideliter custodiantur. Unica fortè, sed saltem præcipua causa ingentium atque innumerabilium malorum, quæ hodie populos plerosque opprimunt, est quòd, dissolutis à multis annis subjectionis inferiorum erga duces ipsis præpositos vinculis, parvipendatur, imò tanquam nulla habeatur auctoritas publica, adversùs quam nititur atque debacchatur quotidie inordinatus effrenatæ libertatis ac indomitæ independentiæ amor.

Si hoc sit verum pro sæculari Societate, quantò magis id est affirmandum pro Societate spirituali, pro eâ nempe Societate, quam ipsemet Christus constituit super solidum Apostolorum fundamentum, imprimis super Petrum, ut *portæ inferi nunquam essent contra eam prævaliluræ* (Matth., c. 16, v. 18); præcipiendo eisdem Apostolis ut *docerent omnes gentes servare omnia quæcumque Ipse mandavit* (Matth., cap. 28, v. 20) : de quibus Apostolis etiam dixerat antea : *Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit* (Luc.,

cap. 10, v. 16); et : *Qui Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth., cap. 18, v. 17). Maximè ergo commendabilis est auctoritas in Ecclesiâ existens, utopte à Deo instituta; ipsique præcipuè est obediendum, ac sanctè et exactè obtemperandum ipsius legibus et mandatis. Quâ religiosâ observantiâ deficiente, non solùm periclitabitur pax Reipublicæ Christianæ, animæque fidelium in perditionem ruent; sed etiam exhinc pessumdabitur salus Reipublicæ temporalis, cujus securitas et splendor maximè pendent ab exactâ observatione legis divinæ, seu à bono statu Societatis spiritualis, quæque non benè restaurari valet, quin antea Ecclesia, in variis suis membris, benè componatur et regatur.

Ut ergo tanti momenti finis attingatur, adjuvare volentes pro posse nostro, quantumvis minimo, otium quod nobis divina Providentia *suaviter*, ut semper, *omnia disponens* fecit, adhibuimus, ex amici consilio, ad hoc *Manuale Juris Canonici* exarandum. In Galliâ enim, potiùs quàm in plerisque Orbis Christiani regionibus, opus hujusmodi desiderari videtur: quippe apud nos, duobus ultimis sæculis, prævaluerant doctrinæ vera omnis juris ecclesiastici fundamenda convellentes. Etenim ipsamet fides catholica edocet S. Pontificem, utpote Successorem B. Petri ac Christi Vicarium, esse centrum Ecclesiæ necessarium; ipsumque habere à *Christo plenam potestatem pascendi ac gubernandi universalem Ecclesiam;* porrò non obstante hâc doctrinâ, necessariò sub pœnâ naufragandi circa fidem tenendâ, multi, in Galliâ, posterioribus sæculis, sibi finxerunt præscriptiones S. Sedis vim conscientias fidelium ligandi non habere, nisi priùs reciperentur ab Episcopis, quibus tribuebant, non tantùm facultatem examinandi opportunitatem hujusmodi præscriptionum, sed ipsasmet etiam non admittendi; ità ut sæpè, etiam nostro ævo, iis qui certas allegant Ecclesiæ leges, quarum observatio urgetur à S. Sede, respondeatur : *Has leges nos non ad-*

mittimus : hæc in Galliá non admittuntur ; hæc non sunt recepta apud nos : quasi Gallia donata fuisset a Christo privilegio non obsequendi ei cui tamen Christus curam totius gregis sui commisit absque exceptione. Dicta assertio verificatur imprimis quoad decisiones Romanarum Congregationum : quamvis enim luce meridianâ clariùs sit, Supremum Pastorem, Papam videlicet, sive per se, sive per Vicarios et Delegatos, posse suam plenam jurisdictionem exercere in omnem Ecclesiam ; attamen, non obstantibus expressis Declarationibus S. Pontificis, non raró accidit ut, in Galliâ, ei qui in probationem suarum assertionum affert aliquas responsiones dictarum Congregationum, statim dicatur : *non probare hujusmodi responsiones, eò quòd apud nos non admittatur earum auctoritas ; talemque esse nostram libertatem ac consuetudinem* : quasi posset præscribi contra jus divinum obligans fideles omnes ad obtemperandum Successori B. Petri, et sic minui valeret auctoritas ab ipso Deo constituta et firmata usque ad finem mundi.

Admitti quidem potest, imò et debet auctoritas consuetudinis, ut infra dicturi sumus, sed consuetudinis tantùm suis legitimis vestitæ conditionibus, quarum numero est quòd sit rationabilis, proinde non contra jus divinum aut naturale ; insuper quòd accedat tacitus saltem aut legalis Superioris consensus. Ergo præscriptio allegari nequit, quando agitur de imminutione potestatis quam Christus concessit suo Vicario : quia secus derogaretur juri divino ; et insuper Superior seu Caput Ecclesiæ non tantùm non consentit, sed nec consentire potest, cùm nequeat immutare conditionem quam Deus illi et Ecclesiæ suæ fecit.

Ex his lectori jam claré perspicere licet quòd puris Ecclesiæ Romanæ principiis totum hoc Manuale sit innixum. Ingenuè enim fatemur nos intelligere non valere quomodo alio fundamento stabiliri posset Jus Canonicum : nihil enim aliud est istud quàm complexio legum

Ecclesiæ ; cùm autem Ecclesia sit necessariò Romana, leges ipsius condi nequeunt nisi juxta constitutionem ejusdem Romanæ Ecclesiæ, id est, nisi sint nixæ super hoc fundamentali principio quòd plenitudo potestatis Ecclesiasticæ apud Pontificem Romanum resideat. Extra hoc fundamentale principium, aliud velle admittere, quid esset nisi dividere auctoritatem ecclesiasticam, id est, ipsammet Ecclesiam, quæ tamen est *una*, prout ipsomet Symbolo constat? Insuper si, invito Supremo Pontifice, legitimæ essent aliorum Prælatorum ordinationes, actum esset de Jure Canonico in Ecclesiâ, cùm nulla reverà esset lex ecclesiastica universè obligans, sed tantùm leges particulares. Et hæc est causa cur in Galliâ scientia Juris Canonici tam neglecta ac ferè omninò prætermissa fuerit ultimo sæculo : cùm enim mentes pervaserat falsa opinio Leges Pontificias non habere vim obligandi nisi acceptatæ fuissent ab Episcopis, pleræque SS. Pontificum Constitutiones ut non obligatoriæ apud nos habebantur ; imò antiquæ leges, etiam Conciliorum, olim receptæ, uti vim non ampliùs habentes reputabantur, eò quòd contraria invaluisset consuetudo, non attendendo an hujusmodi consuetudines haberent conditiones requisitas ut essent legitimæ : ex quo oriebantur incertitudo super plerisque præscriptionibus ab Ecclesiâ sancitis, simulque ignorantia cui legi tutò et certò esset adhærendum, ac proinde annihilatio ferè universalis Canonicæ Jurisprudentiæ.

A tantis aberrationibus feliciter eductus, maxime post Vaticanum Concilium, Clerus Gallicanus veritatem hodie perquirit, postulatque libros veris scientiæ canonicæ principiis suffultos. Jam plura opera in lucem prodierunt quæ huic indigentiæ responderent : præter ea enim quæ ab exteris conscripta fuerunt, v. g., D. Phillipps opus in Gallicam linguam conversum, cui titulus : *Du droit ecclésiastique ;* et *Institutiones* tàm *publici* quàm *privati juris canonici*, Card. Soglia, etc.; sunt alia plura apud nos evulgata : nempe : 1° *Cours*

de droit canon, D. André; 2° *Institutiones juris canonici*, R. de M.; 3° *Exposition des principes du droit canonique*, Cardin. Gousset; 4° *Prælectiones S. Sulpitii*, D. Icard Vicarii Gener Parisiensis; 5° *Traité des peines ecclésiastiques*, D. Stremler; 6° varii Tractatus D. Bouix in quibus fusè et doctè præcipua, si non omnia puncta juris canonici elucidantur; 7° *Revue des sciences ecclésiastiques*, singulis mensibus prodiens sub directione ejusdem D. Bouix, in quâ plura etiam de jure canonico inveniuntur; 8° *Analecta juris Pontificii* quæ sermone Gallico Romæ primum edita fuere et in quibus multa congeruntur documenta ad jus canonicum spectantia, quibus plures quæstiones enodantur, etc. [1]

Sed quia vel hujusmodi opera sunt nimis prolixa, nec proinde nisi à paucis comparari ac perlegi valent, vel quia non explanant nisi quamdam partem juris canonici, aut fortè id non faciunt satis practicè, aut etiam in quibusdam, quamvis raró, non satis conformiter principiis Ecclesiæ Romanæ, existimavimus inutile non fore si aliquod *Manuale* exararetur super universalis juris canonici scientiâ, non ita longum ut commodè nequiret acquiri et perlegi ab omnibus sacerdotibus sacrum ministerium exercentibus; nec ita breve ut nonnisi nuda principia hujusmodi scientiæ contineret, non autem etiam solutiones plerorumque casuum qui quotidie occurrunt in exercitio sacri ministerii. Et hæc fuit causa præsentis *Manualis*.

Mens nostra fuit etiam ut hoc opus adhiberi posset in Seminariis pro instituendâ clericali juventute; imò

[1] Monitum hic volumus lectorem ne fortè inopportunè offendatur quòd, etsi in multis prorsus dissentiamus à D. Lequeux, prout patebit ex dicendis in toto operis decursu, attamen ejusdem auctoris *Manuale Compendium*, licet in Indice relatum, putavimus posse aliquando citare, etiam de verbo ad verbum, in materiis tamen errore non infectis, et ut plurimùm ad efficaciùs convincendos, testimonio non suspecto, adversarios quarumdam disciplinarum romanarum.

ad hunc specialem finem primùm huic operi manum admovimus. Pro quo sanè breve volumen debuissemus exarare, cùm nonnisi permodicum tempus in Seminariis nostris studio Jurisprudentiæ Canonicæ impendi valeat; sed mox fuit nobis evidens quòd ad solam Seminariorum commoditatem non deberemus attendere : nam in brevi volumine explanari potuissent solummodo nuda principia juris canonici; porrò sacerdotes sacrum ministerium exercentes, maximè indigent apud nos aliquo opere Manuali, in quo, non quidem prolixè, sed tamen sigillatim ac dilucidè inveniantur explanata omnia quæ ad praxim quotidianam pertinent. Unde si ad Seminaria tantùm attendissemus, opus parùm utile et exigui tantum momenti confecissemus. Opus tamen præsens adhiberi etiam poterit in Seminariis : in eo enim facilè seligere poterunt Magistri quæstiones magis fundamentales quibus imbuant juvenes levitas; qui deinde, persoluto studiorum cursu et facti sacerdotes, cæteras quæstiones addiscent, prout se dabit eis opportunitas. Cariùs quidem opus ement : à quibus expensis eos eximere certè voluissemus, si fieri potuisset; sed nequivimus : compensationem autem obtinebunt præ manibus habentes librum, qui postea utilis, ut non dicam omninò necessarius erit pro exercendo sacro ministerio, quique etiam eos immunes faciet ab aliis pluribus libris cum majori dispendio comparandis.

Ad calcem operis adjecimus Indicem alphabeticum materiarum in eo contentarum. Illum, quàm maximâ potuimus fidelitate et quantò explicatiùs potuit fieri, conficere conati sumus : ope hujusmodi Indicis facile erit invenire solutionem variorum dubiorum in decursu operis expensorum.

Adjecimus insuper Catalogum omnium diœcesium quæ in toto orbe nunc existunt, in quo nomina latina et vulgaria illarum diœcesium per suas respectivè Provincias distribuuntur.

Cùm tandem meritò timendum nobis erat, propter nostram imperitiam, quòd, non obstante nostrâ devotione erga Ecclesiam, solutiones datæ in præsenti Manuali non forent semper omninò conformes decisionibus et sensui ejusdem : ad majorem securitatem Clero Gallico faciendam, in lucem non debuimus opus nostrum edere, quin antea illud subjiceremus examini S. Sedis. Desiderio nostro per Rever. P. Jandel Magistrum Generalem Dominicanorum ipsi exhibito, dignatus est R. Pater De Modena Secretarius Congreg. Indicis, acquiescere, et cum Superiorum approbatione, judicium duorum examinatorum quibus examen nostri operis commiserat, sequentibus verbis nobis tradidit :

« Avendo il sott°, con Superiore approvazione, com-
« messo ai due chiarissimi Professori De Angelis e
« Roncetti l'esame di un M. S. intitolato *Manuale totius*
« *juris canonici*, composto dal sig. Craisson gia Vi-
« cario Geñle di Valenza in Francia, ne trasmette
« all' auttore il relativo parere da valersene come
« meglio crederà nel dare in luce cotal suo lavoro.

« Minerva, Roma, 23 Luglio 1862.

(Locus sigilli.)

« F. Angelo Vincenzo Modena, di Pred.

« Segretario della S. Congreg. dell. Indice. »[1]

Sic autem se habet judicium præfatorum examinatorum :

[1] Quod gallicè redditur : « Le soussigné ayant confié, avec l'appro-
« bation des supérieurs, aux deux excellents professeurs de Angelis
« et Roncetti, l'examen d'un manuscrit intitulé *Manuale totius juris*
« *canonici*, composé par M. Craisson, ancien Vicaire Général de
« Valence, en France, transmet à l'auteur le jugement de ces deux
« examinateurs, afin qu'il s'en serve de la manière qu'il croira le plus
« convenable dans la publication qu'il fera de son ouvrage.
« Minerve, Rome, 23 juillet 1862.

« F.-Ange-Vincent Modena,

« De l'Ordre des FF. Prêcheurs, Secrétaire de la Congrég. de l'Index. »

« Ex munere nobis demandato, opus cui titulus :
« *Manuale totius canonici juris* à D. Craisson, quondam Vicario Generali diœceseos Valentinensis in Galliâ, lucubratum, attentè et sedulò, quantùm per nos fieri potuit, perlegimus. In eo, non solùm nihil bonis moribus aut fidei catholicæ principiis contrarium deprehendimus, benè verò perspectam habuimus sive memorati auctoris doctrinam in canonicis argumentis evolvendis, sive ejusdem solertiam in controversis opinionibus deligendis, sive demùm, quod potissimum est, ipsius studium in erroribus ecclesiasticæ auctoritati infensis refellendis : ita ut ad clericos in pontificiis disciplinis ritè instituendos, opus hoc sit maximè accommodatum.

« In quorum fidem, datum Romæ, die 22 julii 1862.

« Philippus de Angelis, juris canonici in scholis pontificii Seminarii Romani et in Universitate professor.

« Cæsar Roncetti, in scholis pontificii Seminarii Romani Institutionum canonicarum professor. »

CONCORDANT CUM ORIGINALIBUS :



Pictavii, 2 Februarii 1863.

† LUDOVICUS EDUARDUS, *Pict. Epus.*

De Mandato Episcopi :

Laurent, *Super. Semin. Major. Pict.*

Non sat memores essemus eximii honoris quem Sua Sanctitas nobis, licet tam immeritis, conferre dignata est, si hic non subjiceremus epistolam gratulatoriam, cui propriâ manu chirographum apposuit et quam paternè ad nos direxit post secundam editionem hujusce *Manualis*, ut sequitur :

« Pius PP. IX.

« Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Oblatum Nobis *Manuale totius juris canonici* à te elu-« cubratum libentissimè excepimus; et quamquam curis « nostris distenti nullum hactenùs subsecivum tempus « ejus lectioni impendere valuerimus, nequivimus tamen « tuum operisque propositum non probare. Gliscentibus « enim erroribus ecclesiasticæ auctoritati infensis illud « opponere voluisti, et succrescentis cleri institutioni in « primis prospicere, atque etiam cæteris consulere per « librum omnium manu facile terendum, et unde hauriri « possent, non arida tantum et generalia principia, sed « practica quoque rerum notitia in usum transferenda, « atque illis objicienda commentis, quæ per osorum hujus « S. Sedis artes, et per leviorem sacrorum canonum haustum « jamdiu invaluerunt. Cumque id te assecutum fuisse « testentur ii, quorum recensioni opus tuum subjecisti, « tibi gratulamur, ac ominamur, ut quod spectasti, labo-« rum tuorum fructum indè copiosè percipias. Id in gen-« tis tuæ præsertim utilitatem à Deo poscimus, dum aus-« picem benedictionis ejus et grati animi Nostri paternæ-« que benevolentiæ pignus Apostolicam tibi Benedictio-« nem peramanter impertimus.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, die 25 junii 1865, « Pontificatûs Nostri anno XX.

« Pius PP. IX. »

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI.

PROLEGOMENA.

1. Quæ dicenda sunt in Prolegomenis juris canonici in sex capita partiemur : In 1° dicemus de nomine, definitione et divisione juris canonici; in 2° de ipsius fontibus; in 3° de jure nationali; in 4° de privilegiis in genere; in 5° de historiâ juris canonici; in 6° de Regulis ejusdem.

CAPUT PRIMUM.

DE NOMINE, DEFINITIONE ET DIVISIONE JURIS CANONICI.

§ I.

Quotuplici sensu vocabulum JUS *usurpari soleat.*

2. — 1° Significat quod *justum* seu æquum est, nempe quod legi naturali, divinæ et humanæ consentaneum est[1].

2° Accipitur pro sententiâ judicis, imò pro loco in quo judicia exercentur.

3° Pro legitimâ facultate aliquid agendi, vel omittendi, obligandi alterum ad aliquid dandum, faciendum, vel omittendum; et sic accipitur in tractatu *de justitiâ et jure.*

[1] Vox *jus* venit à verbo *jussum* seu mandatum, sicut vox gallica *droit* à voce latinâ *directum* derivat. (Cardinal Gousset, *Exposit. des principes du droit canonique*, p. 2.).

4° Pro jurisprudentiâ, seu scientiâ juris, et sic studentes jurisprudentiæ dicuntur *juri studentes.*

5° Denique pro lege seu complexione legum; sic dicitur: *Corpus juris canonici, civilis; jus naturale*, etc. Hoc posteriori sensu, nomen *jus* usurpatur in præsenti Manuali (V. Bouix, *De Principiis,* cap. 5).

§ II.

Juris in varias suas species distributio.

3. — 1° Jus dividitur in *naturale* et *positivum :* « *Naturale* constat iis legibus seu obligationibus quæ ità necessariò fluunt ex Dei et creaturarum naturâ, ut non possint non existere. *Positivum*, legibus liberâ voluntate, sive Dei, sive hominum constitutis. » (Bouix, *ibid.* p. 6).

2° Positivum subdividitur in *divinum et humanum,* prout liberâ Dei vel hominum voluntate statuitur.

3° Juris humani tres sunt species: *ecclesiasticum seu canonicum, jus gentium* et *jus civile.* Jus *gentium* vocatur illud quo utuntur omnes vel ferè omnes gentes. Jus *civile* constat legibus positivis ab auctoritate civili constitutis pro temporali bono reipublicæ.

De jure ecclesiastico seu canonico nobis hìc est tractandum.

§ III.

Quid sit jus canonicum?

4. Quoad *nomen* jus canonicum derivatur à voce græcâ κανών seu regulâ quâ utuntur artifices ad lineas dirigendas.

« Dicitur etiam *ecclesiasticum* et *sacrum ;* quoniam agit de personis rebusque sacris atque ecclesiasticis; item quòd ecclesiasticâ, hoc est, sacrâ potestate sit latum.

« Dicitur et *pontificium*, tum quòd magnâ ex parte à Romanis Pontificibus constitutum est, tum ut à cæsareo, sive civili jure distinguatur. » Devoti Prol. cap. 3. § XXVII.

5. Quoad *rem* : vel consideratur 1° in sensu stricto, id est juxta eas tantùm leges quæ ab auctoritate ecclesiasticâ supremam et universalem jurisdictionem habente sancitæ sunt; et sic intellectum rectè definiri potest : *Complexio legum auctoritate Papæ firmatarum, quibus fideles ad finem Ecclesiæ proprium diriguntur.*

Dicitur 1° *auctoritate Papæ firmatarum*, non autem constitutarum, aut approbatarum : quia in jure canonico sunt multæ leges juris divini tum naturalis, tum etiam positivi, quæ nec fuerunt à Papâ constitutæ, nec propriè approbatæ, sed solùm ab ipso declaratæ et executioni specialiter mandatæ.

Dicitur 2° *quibus fideles ad finem Ecclesiæ proprium diriguntur* : scilicet ad spirituale bonum æternamque beatitudinem.

6. Vel consideratur 2° in sensu latiore et minus proprio; et definitur : *Complexio legum à quocunque potestatem legislativam possidente in bonum fidelium firmatarum* ; quâ definitione comprehenduntur non solùm leges à S. Pontifice latæ, sed etiam leges legatorum pro circumscriptione ipsorum legationis, decreta conciliorum sive nationalium sive provincialium, statuta diœcesana, et Prælatorum regularium, aut cujuscunque jurisdictionem ecclesiasticam legitimè possidentis.

7. Jus canonicum prout scientia est, vocatur *jurisprudentia canonica* et rectè definitur in stricto sensu : *scientia legum ecclesiasticarum auctoritate Papæ firmatarum* ; latiori verò sensu : *scientia legum ecclesiasticarum omnium.*

8. Jurisprudentia canonica differt sive à theologiâ, sive à scientiâ juris naturalis, sive à jurisprudentiâ civili. Etenim 1° quamvis objectum materiale jurisprudentiæ canonicæ, idem sit, pro majore suî parte, ac objectum materiale theologiæ, attamen formaliter et in essentiâ differunt inter se theologia et jurisprudentia canonica : theologia enim est *scientia quæ discurrit ex principiis fidei circa Deum et circa ea quæ ad Deum aliquo modo pertinent* : dum jurisprudentia canonica est *scientia legum* ecclesiasticarum, sive omnium, sive earum tantùm quæ auctoritate

Papæ firmantur[1]; et sic iterum 2° differt illa jurisprudentia à scientiâ juris naturalis quæ est *cognitio ordinata regularum quæ ipsâ rerum naturâ fundantur;* et 3° differt à jurisprudentiâ civili, cujus objectum sunt leges à potestate civili firmatæ quæ directè pro fine habent solummodo bonum temporale civium, dùm leges ecclesiasticæ pro fine habent bonum spirituale fidelium æternamque eorum beatitudinem.

§ IV.

Divisio juris canonici.

9. Jus canonicum dividitur 1° in *scriptum* et *non scriptum:* Traditiones et consuetudines vim legis habentes constituunt jus non scriptum.

2° In *publicum* et *privatum* : *Publicum* exhibet constitutionem societatis ecclesiasticæ, ipsius regimen, ordinem personarum ad invicem in Ecclesiâ, jura et officia earum, etc. *Privatum* versatur circa obligationes singulorum prout distinguuntur à gubernatione ecclesiasticâ, v. g. circa sacramenta recipienda.

3° In *commune* et *particulare* : *Commune* dicitur quod pro universâ Ecclesiâ latum est et obligat omnes, *per se*, fideles, nisi exstent in contrarium, privilegia vel consuetudines legitimæ. *Particulare* est quod pro certo loco, aut certis personis tantùm statutum est, et subdividi potest in patriarchale, primatiale, provinciale, diœcesanum, monachale, etc., prout uni tantùm vel Patriarchatui, vel etc., convenit.

10. — 4° In *antiquum*, *novum* et *novissimum*: *Antiquum* illud est quod usque ad decretum Gratiani viguit; *Novum* quod statutum fuit à prædicto decreto usque ad conclusio-

[1] Quantumvis differant inter se theologia et scientia canonica, mutuo tamen suî invicem auxilio indigent, nec una ab alterâ separari potest sine periculo : « Theologiam à canonibus excludere, ait Gerson (t. IV, » p. 871, v. 2), nihil aliud est quam suos sibi oculos evellere : similiter » canones velle destruere est corpus proprium ecclesiasticæ politiæ » deformiter habituare. Quærere qualis scientia plus expediat, evan» gelica vel canonica est quærere quod in corpore membrum ad direc» tionem suam plus exponitur vel oculus vel aliquod aliorum. »

nem Collectionis corporis juris; *Novissimum* quod à tempore corporis juris clausi ad nos usque decurrit. Aliis tamen placet *jus antiquum* appellare quod Tridentinam synodum præcessit; *novum* quod sancivit idem concilium. *Novissimum* verò quod à tempore Tridentini decretum fuit. Sunt etiam, sed auctoritati Sanctæ Sedis infensi, qui malè per *antiquum jus* intelligunt illud quod per *falsas decretales subversum est; per novum* quod viguit post dictas decretales usque ad concilium Trident.; et per *novissimum* quod à prædicto concilio sancitum fuit. Sed immeritò asseritur jus antiquum immutatum fuisse per falsas decretales, ut probabitur infra. (N° 177-181.) Vide *Instit.* R. de M. t. 1, p. 7; et Bouix, *de Principiis*, p 67.

CAPUT II.

DE ORIGINE SEU DE FONTIBUS JURIS CANONICI.

11. Per originem seu *fontes* juris canonici intelligimus potestatem quæ valet condere leges ecclesiasticas.

ART. I.

UTRUM SIT IN ECCLESIA FONS ALIQUIS JURIS CANONICI.

12. Aerius, Waldenses, Wiclef, Joannes Huss, etc., negarunt Ecclesiæ inesse leges condendi potestatem.

Sunt qui ei denegant auctoritatem propriè dictam: dùm nolunt eam posse externâ aliquâ coactione urgere observationem suorum mandatorum.

Imò nonnulli contendunt eam non valere conscientiam ligare per præcepta; nihilque ampliùs ei concedunt præter potestatem *directivam* quæ monitis et suasionibus fideles regat; potestatem verò legislativam, præsertim circa actus externos qualescumque, ità principi sæculari adjudicant, ut ab Ecclesiâ exerceri nequiverit, nisi consentientibus civilibus guberniis. Ità sentiunt plerique protestantes, præsertim Anglicani, schismatici hodierni apud Russos, multi curiarum sæcularium in Galliâ advocati et magistratus;

imò nonnulli clerici ignari vel depravatæ doctrinæ. Ità pariter Josephitæ in Germaniâ, et alii multi in Hispaniâ et Lusitaniâ. Exhinc prodierunt celebris Constitutio civilis Cleri gallicani, anno 1791, et synodi Pistoriensis acta, anno 1786.

Quidam, systema democraticum in Ecclesiam inducere volentes, docuêre Christum priùs dedisse potestatem legislativam communitati fidelium, ab ipsis deinde transferendam in primos pastores, qui nomine totius Ecclesiæ exercerent. Ità Marsylus Patavinus, Lutherus, Marcus Ant. de Dominis, Richerius, multique Jansenistæ et cum eis synodus Pistoriensis. (Lequeux, n° 8.)

Sunt tandem, qui *Regalistæ* à Cardin. Soglia vocantur, eò quòd nimiùm regibus et civili potestati faveant, qui juribus Ecclesiæ ità detrahunt, ut res, si non spirituales, at certè spiritualibus adnexas, et totam disciplinam externam eidem civili potestati subjiciunt. (*Inst. juris publici*, p. 146, etc.).

Contrà hos omnes statuendæ sunt propositiones sequentes:

13. *Propositio* 1ª. — Est in Ecclesiâ non solùm directiva sed vera potestas legislativa condendi leges etiam ad actus exteriores obligantes.

Quòd sit in Ecclesiâ potestas legislativa ad regendam et gubernandam fidelium societatem assertio est de fide, juxta Suarez (*De Leg.* lib. 3 cap. 1.)

Prob. 1° ex Scripturâ : « Tibi dabo claves regni cœlo- » rum.... Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum » et in cœlis. » (Matth. c. 16. v. 19.) « Pasce oves meas. » (Joan. c. 21. v. 16.) Ex his verbis manifestè deducitur datam esse Petro et proindè ipsius successoribus potestatem regendi et gubernandi societatem fidelium. « Attendite » vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit » Episcopos *regere Ecclesiam Dei* » (Act. Apost. c. 20. v. 28.)

Ad praxim deduxerunt hanc potestatem Apostoli, cum post concilium Hierosolymitanum dicebant : « Visum est » Spiritui Sancto et Nobis nihil ultrà *imponere* vobis oneris » quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis

» simulacrorum et sanguine et suffocato. » (Act. Apost. c. 15. v. 28 et 29.) Vide adhuc Epist. 1 ad Timoth. c. 15. v. 19 et c. 3. v. 2.

Probat. 2° expressis definitionibus. Præter concil. Florent., sic habetur in sess. 7. can. 7 Concil. Trident. : « Si
» quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ
» Ecclesiæ præceptis.... ità ut ea observare non teneantur
» *nisi se suâ sponte illis submittere voluerint*, anathema sit. »

Bulla *Auctorem fidei* sic habet n° 4 : « Propositio affir-
» mans *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendi*
» *illam ultrà limites doctrinæ morum et eam extendendo*
» *ad res exteriores et per vim exigendo id quod pendet à*
» *persuasione et corde; tùm etiam multò minùs ad eam*
» *pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis*
» *decretis*: Quatenùs indeterminatis illis verbis, *extendendo*
» *ad res exteriores*, notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ,
» usum ejus potestatis acceptæ à Deo, quâ usi sunt et ipsi-
» met Apostoli in disciplinâ exteriore constituendâ et san-
» ciendâ : —*hæretica*—Quâ parte insinuat Ecclesiam non
» habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ
» aliter quam per media quæ pendent à persuasione;
» quatenùs intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi à*
» *Deo potestatem non solùm dirigendi per consilium et sua-*
» *siones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contu-*
» *macesque exteriori judicio ac salubribus pœnis coercendi,*
» *atque cogendi. — Inducens in systema aliàs damnatum ut*
» *hæreticum.* »

Afferri insuper possent in probationem innumera monumenta traditionis ecclesiasticæ. Vide Bouix, *de Principiis*, p. 101, etc.

14. *Propositio* 2ª. — Potestas condendi leges quam Ecclesia habet non oritur à concessione principum sæcularium, sed à solo Deo venit, et est suprema et independens.

Probari potest argumentis 1ª propositionis et insuper Brevi Pii VI ad Cardin. Rupefucaldium 10 mart. 1792, quo reprobata fuit Constitutio civilis Cleri gallicani, ubi dicit Pontifex : « Nemini, qui catholicus est, ignotum esse

» potest Jesum Christum in suæ Ecclesiæ institutione
» dedisse Apostolis eorumque successoribus potestatem
» nulli alii potestati obnoxiam, quam sanctissimi Patres
» universi voce concordi agnoverunt cum Osio et S. Atha-
» nasio monentibus : *Ne te rebus misceas ecclesiasticis ; nec*
» *nobis hisce de rebus præcepta mandes ; sed à nobis*
» *potiùs hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit ; nobis*
» *quæ sunt ecclesiastica concredidit*, etc.

» Ut de disciplinâ agamus, quis unquam est inter catho-
» licos qui affirmet ecclesiasticam immutari à laicis posse ?..
» Cùm, anno 1560, Facultas Parisiensis ad examen adduxis-
» set ea quæ Franciscus Grimaldet, advocatus regius,
» retulerat ad conventum seu status apud Andegavenses
» collectos ; inter multas propositiones ab ipsâ reprobatas,
» sequens etiam reperitur : *Le second point de la religion*
» *est en la police et discipline sacerdotales, sur lequel les*
» *rois et les princes chrétiens ont puissance d'icelle dresser,*
» *mettre en ordre et réformer icelle corrompue.* Hæc pro-
» positio est *falsa, schismatica, potestatis ecclesiasticæ ener-*
» *vativa et hæretica ; et probationes ad illam sunt imperti-*
» *nentes.* » Cf. in app. Encycl. *Quanta cura* et *Syll.* prop. 19.

15. *Propositio* 3ª — Potestas legislativa Ecclesiæ ita residet in Pastoribus ut neque ad eos per fideles perveniat, neque in suo exercitio pendeat à fidelium consensu.

Probatur ex Bullâ *Auctorem fidei* nº 2 : « Propositio
» quæ statuit *potestatem à Deo datam Ecclesiæ, ut communi-*
« *caretur Pastoribus qui sunt ejus ministri pro salute anima-*
» *rum.* Sic intellecta, ut à communitate fidelium in Pastores
» derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas :
» — *hæretica.* »

Et nº 3 : « Insuper quæ statuit *Romanum Pontificem esse*
» *caput ministeriale*, sic explicata ut Romanus Pontifex non
» à Christo in personâ B. Petri, sed ab Ecclesiâ potestatem
» accipiat, quâ velut Petri successor, verus Christi vicarius
» ac totius Ecclesiæ caput, pollet in Ecclesiâ :— *hæretica.* »
Probari posset adhuc ex argumentis 1ª propositionis.

ART. II.

QUOTUPLEX SIT FONS JURIS CANONICI.

16 Agitur hic de jure canonico strictè sumpto (5). Quoad jus canonicum latè sumptum (6), tot sunt fontes quot existunt in Ecclesiâ auctoritates quæ jus condere possunt : sed evidens est illa varia jura non posse expendi in præsenti Manuali : de solo ergo jure canonico strictè sumpto, agemus in hac quæstione.

17. Porrò octo fontes juris canonici recenseri solent : videlicet, *scriptura sacra*, *traditio* divina, *jus ab Apostolis sancitum*, *sententiæ patrum*, *decreta SS. Pontificum*, *concilia œcumenica*, *romanæ Cardinalium Congregationes et Consuetudo*.

18. Quidam, ut Cardin. Soglia (*Inst. jur. publici*, § 43.) addunt *jus civile*, ad quod recurrendum est, ubi deficit lex canonica. Citantur S. Gregorius Magnus et Lucius III qui, cap. 1, de *Novi operis nuntiat.* sic loquitur : « Sicut » humanæ leges non dedignantur sacros canones imitari, » ità et sacrorum statuta canonum principum constitutio- » nibus adjuvantur. »

Undè Abbas in eodem capite, n° 3, observat quòd « Causa Ecclesiæ debet decidi per jus civile in defectum » canonum, » et cap. 1 *de sent. et re judicatâ* dicitur : « sententia contra leges canonesve prolata, licet non sit » appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso » jure. »

« Ejusmodi leges (civiles, quæ nec approbatæ nec improbatæ sunt), si rem spectent merè profanam, nec ullâ ex parte sacris canonibus adversentur, tacitè approbatæ videntur in cap. 1 *de Nov. oper. nuntiat.* » Ità Benedic. XIV *de Syn. diœc.* lib. 9. c. 14. Vide etiam Bouix, *de Jud.* t. 1, p. 12-23 et infra dicenda (5491).

19. Ad unicum tamen ultimatìm reduci possunt octo vel novem fontes supra assignati pro jure canonico strictè sumpto, nempe ad auctoritatem SS. Pontificum. Etenim :

1° Scriptura sacra et traditio divina non sunt propriè

fontes juris canonici nisi quatenùs earum præscripta simul auctoritate ecclesiasticâ fuerint promulgata, et Ecclesia leges tulerit ad urgendam et magis determinandam earum executionem; sed ut hujusmodi determinatio fiat generalis, intervenire debet auctoritas S. Sedis.

2° Jus ab Apostolis ipsis sancitum, reduci quoque debet ad decreta SS. Pontificum: vel enim jus illud fuit sancitum pro universâ Ecclesiâ, et haud potuit vim habere ligandi omnes fideles nisi accedente consensu et auctoritate Petri, aut ejus successorum; vel sancitum fuit tantùm pro quibusdam locis per Apostolos ad fidem conversis, et tunc illud jus non pertinet ad jus strictè canonicum de quo solùm hic est quæstio.

3° Similiter patet sententias Patrum non potuisse transformari in leges universales Ecclesiæ nisi accedente consensu SS. Pontificum, sive intrà, sive extrà concilia præstito.

4° Item concilia non sunt œcumenica nisi accedat auctoritas Capitis Ecclesiæ.

5° Congregationes romanæ, ex omnium consensu, non aliam exercent auctoritatem quam ipsorummet SS. Pontificum à quibus fuit ipsis collata.

6° Denique consuetudines nullum jus universale condere possunt, nisi consentiente saltem tacitè Apostolicâ Sede.

Idem est dicendum de *Jure civili*.

Ergo illi omnes fontes ad unicam SS. Pontificum auctoritatem reducendi sunt: unde meritò *jus canonicum* vocatur etiam *jus pontificium*.

20. Quamvis unicus propriè sit fons juris canonici, attamen expendi debent sigillatim diversi fontes supra assignati. Unde:

§ I.

De verbo Dei, id est de scripturâ sacrâ et traditione divinâ.

21. Pro duplici hoc fonte remittimus ad Prolegomena theologiæ, et introductionem ad scripturam sacram.

§ II.

De jure ab Apostolis sancito.

22. Certum est plura ab Apostolis fuisse sancita; v. g. 1° juxta multos symbolum fidei ideò dictum Apostolorum. Ità S. Ambros., Epist. 7 ad Siricium, S. Leo M., Epist. 13 ad Pulcher., Ephesina syn. (V. Bouix, *de Princip.* p. 108; Devoti, in lib. I. Decret., tit. 1.); 2° abstinentiam ab *immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato* (Act. Ap. c. 13, 19), quorum tamen postrema duo non ampliùs servantur; 3° substitutionem diei dominicæ sabbato Judæorum, et solemnem liturgiam diebus dominicis; 4° institutionem festorum Passionis et Resurrectionis Domini, et Pentecostes; quibus quidam minus probabiliter addunt et Natale Domini; 5° quoddam jejunium ante Pascha, quod deinde factum est quadragesimale (Cf. Bouix, *ibid.* p. 109); 6° juxta non paucos, stabilitam Romæ cathedram Petri et Sedem apostolicam (infrà, n. 677, 678); et forsan quædam alia disciplinam spectantia.

23. Sub nomine vero Apostolorum non paucæ scripturæ jam ab antiquis temporibus circumferebantur. Præter autem libros N. T. (quorum nullus omnes simul Apostolos auctores habet), genuinum nihil habemus, quamvis quædam diu ut authentica habita sint.

1° Censebant quidam, cum Baronio, Binio et Turriano, ab Apostolis celebratum fuisse, anno post Christum natum 57, concilium in quo novem editi essent canones quos enumerat Bouix, *de Principiis*, p. 109; at certo supposititium habendum est.

2° Pluris faciendæ sunt collectiones duæ, sæpius simul junctæ, nempe *Constitutiones apostolicæ*, et *canones Apostolorum;* hos et illas ex Apostolorum concilio, quasi notarius, collegisse tradebatur S. Clemens papa; utrique operi diù inconcussa credita est fides; at jam a sæculo xv° prodierunt dubia, ulti-

musque omnium Turrianus ea ut genuina vindicare infausto conatu contendit (*Apost. Constit.* a. 1563).

Quidquid sit, Constitutiones Apostolicæ, prout in græco nunc extant, octo libris conflantur; sunt vero interpolatio trium antiquiorum operum, quam auctor quidam ignotus, at patria Syrus, seu Antiochenus, circa finem sæc. IV vel initium V conscripsit; idem forsan qui et pseudo-ignatianas epistolas supposuit. Sex quidem priores libri, de hierarchia ecclesiastica et de disciplina tractantes, fontem habent *Apostolorum Didascaliam*, opus syrum pariter origine, sub initium sæc. III exaratum, quod nunc nonnisi syriaco sermone prostat (editum a de Lagarde, 1854). Liber septimus est amplificatio celebris illius opusculi Διδαχὴ seu *Doctrina duodecim Apostolorum*, cujus amissum textum nuper restituit Metropolita Bryennios (1883 ; Cf. E. Jacquier, *La Didaché*, 1891). Præter quædam disciplinaria, habemus in *Doctrina* vetustissima liturgica præcepta ; conscriptum videtur opus sæculo II non provecto, patria vero incerta. Octavus denique liber totus circa liturgiam versatur, et ipse antiquiores fontes præsupponens (textus ap. Cotelier, *Patres apost.*; Cf. præsertim Funk, *Die ap. Konst.* 1892). Interpolator mitiori arianismo, vel Apollinaristica hæresе infectus, quædam malesonantia habet. Unde Trullanum Conc. (c. 2 = 4 Dist. 16 in Dec.) *Constitutiones* rejecit non ut spurias, bene vero ut ab hæreticis deformatas.

24. Constitutionum caput ultimum efformant *Canones Apostolorum* numero 85, qui tamen et seorsim extiterunt. Eamdem patriam habent, nempe Antiochiam, eàdemque ætate conscripti, exeunte nempe sæculo IV, vel ineunte V. Fere ex integro desumuntur ex canonibus conc. Antiocheni (a. 341), Nicæni (a. 325), ex *Didascalia*, et epistolis N. T. Plura pariter minus conformia habent cum ecclesiastica disciplina. (Cf. Héfélé, *Hist des Conc.*, t. I, app.)

Horum 50 priores Dionysius Exiguus novit et in

latinum a se versos collectioni canonum inseruit; dubiæ tamen fidei eos habebat, et inter apocryphos libros annumerantur a celebri decreto Gelasiano (quamvis forsan non in primitivo tenore). Nihilominus 50 illi canones Dionysiani in latinas collectiones transierunt et a Lateranensi synodo a. 769 recepti sunt, expresse autem allegantur a Leone IV, a. 840, in epist. ad episcopos Britanniæ. Quidam imo in Decreto Gratiani et in Decretalibus Gregorii inserti inveniuntur: hinc auctoritate non vacant (Bouix, *de Princip.* p. 113-121).

§ III.

De sententiis Patrum.

25. Patrum sententiæ ab Ecclesiâ probatæ et in leges universales per concilia aut per Romanos Pontifices transmutatæ, jus canonicum constituunt; illis etiam utendum est, ait Leo IV, (can. 1 *De Libellis; dist.* 20) in negotiis quæ nec conciliorum canonibus nec Pontificum decretis definita sunt.

Ante sæculum VI, canonum collectionibus dicta Patrum non fuerunt inserta; in Oriente autem primus, sexto sæculo, Joannes Scolasticus; in Occidente verò primus Regino, ineunte sæculo decimo, hoc egerunt. (Bouix, ib. p. 122, etc.).

§ IV.

Decreta SS. Pontificum.

I.

DE NATURA ILLORUM POTESTATIS.

26. Varii sunt errores circa SS. Pontificum auctoritatem:

1° Erravit Luther apertè omnem potestatem legislativam denegando S. Pontifici: neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum, inquiebat, *habet jus unius syllabæ*

super christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu; et quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.

2° Episcopus de Hontheim, in suo opere edito sub falso nomine Febronii, qui, eo tantùm casu quo difficile est concilium œcumenicum congregare, Papæ concedit facultatem proponendi Ecclesiæ leges, non antè tamen obligaturas fideles quàm fuerint communi consensu acceptæ.

3° Multi doctrinæ gallicanæ incauti defensores qui contendunt SS. Pontifices non posse suis legibus conscientias fidelium ligare, antequam acceptentur, saltem ab Episcopis.

27. Controvertitur autem 1° an de facto SS. Pontifices velint suis legibus fideles ligare antequam acceptæ fuerint.

2° Quænam requiratur et sufficiat promulgatio legum pontificiarum, id est, an promulgatio Romæ sit sufficiens; an verò etiam in provinciis notificatio sit necessaria, ut de facto illæ leges obligent.

28. *Propositio* 1ᵃ. — « S. Pontifex immediatè accepit ab ipso Christo, et ex vi institutionis, potestatem legislativam in universalem Ecclesiam. » (Sunt ipsamet Suarezii verba).

« Conclusio est omnino certa, ait Suaresius: Nam quòd
» hanc potestatem habeat, est de fide, ut constat ex tradi-
» tione et communi sensu Ecclesiæ... Quòd autem habeat
» illo modo (immediatè à Christo), est conclusio adeò certa,
» ut sine errore negari non possit. » (Suarez, *de Lege*, 664. c.3, n°10.)Hodie de fide post Vatican. Conc. *V.* infrà, p. 664.

Prob. 1° Scripturâ S. « Super hanc petram ædificabo
» Ecclesiam meam. — Quodcumque ligaveris super terram
» erit ligatum et in cœlis.—Pasce agnos meos... pasce oves
» meas. »

His verbis probatur propositio modò, 1° hæc potestatem legislativam exprimant; 2° certum sit illam potestatem ad Petri successores manâsse.

Atqui 1° Verba prædicta legislativam potestatem exprimunt : Nemo enim statui potest ut fundamentum alicujus societatis quin hoc ipso instruatur potestate necessariâ ad retinendos in uno ædificio sociali unitos; sed hæc potestas

est necessariò legislativa, scilicet potestas ligandi membra et dirigendi ad finem societatis communem. Ergò hoc ipso quòd Petrus statuatur Ecclesiæ fundamentum, statuitur simul et Ecclesiæ legislator.

Item potestas ligandi, sine exceptione, supponit evidenter facultatem ligandi per leges.

Denique verus Pastor necessariò possidet jus ducendi gregem, etiam invitum, ad loca quæ judicat opportuniora et illum abducendi à noxiis. Ergo Petrus, ut verus Pastor Ecclesiæ, hanc habet potestatem, ac proindè legislativam.

2° Certum est dictam potestatem ad Petri successores manâsse. Id constat totâ traditione : quædam tantùm seligimus testimonia.

« Nulli dubium, aiebat Philippus S. Leonis legatus in » primo concilio Ephesino, imò sæculis omnibus notum » quòd S. Petrus, ad hoc usque tempus et semper in suis » successoribus vivit. »

Similia dicunt S. Petrus Chrysologus, S. Leo : hinc Bossuetius (*Def.* t. 2) ait : « Accipiendi ergo Romani Pontifices » tanquam una persona Petri. » (Bouix, *ib.*, p. 131-134.)

Et verò nisi ita res se haberet, careret hodie suo fundamento Ecclesia, non haberet Pastorem, ipsi deessent claves regni cœlorum. Porrò si hæc essent, quomodo non prævaluissent adversus Ecclesiam portæ inferi, et quò tandem devenissent promissiones ipsi à Christo factæ? Ergo certum est potestatem legislativam transiisse ad successores Petri. Ergo ex Scripturâ thesis omnino constat.

Prob. 2° Ex conciliis : In probationem adducemus tantum concilia œcumenica Lugdun. II et Florentinum.

Primum sic se habet in fidei professione Græcorum : « Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum » et principatum super universam Ecclesiam obtinet : quem » se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe et vertice, *cujus Romanus Pontifex est successor*, *cum potestatis* » *plenitudine* recepisse veraciter et humiliter recognoscit... » ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare... et eidem omnes

» Ecclesiæ sunt subjectæ et ipsarum Prælati obedientiam et » reverentiam illi dant. »

Principatus super universam Ecclesiam cui annexa est plenitudo potestatis, cui omnes Ecclesiæ sunt subjectæ et ipsarum Prælati obedientiam præstant, ad quem potest gravatus quilibet appellare, talis principatus includit evidenter potestatem legislativam in universos fideles. Porrò talis est principatus Romani Pontificis ex concilio generali Lugdun. II. Ergo, etc.

2° Concilium autem generale Florentinum sic habet:

« Definimus sanctam apostolicam sedem et Romanum » Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum » Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis » Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque » Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et » doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi » et gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. Jesu » Christo plenam potestatem traditam esse. (Labb. t. 13. » col. 1167.) » — Plena potestas regendi aliquam societatem evidenter supponit legislativam. Ergo, etc.

Probatur etiam Conc. Vatic., sess. IV, c. 3. « Si quis.... dixerit Roman. » Pontificem... non (habere) plenam et supremam potestatem jurisdictio- » nis in universam Ecclesiam... in rebus... quæ ad disciplinam et » regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut... hanc... » non esse ordinariam et immediatam... anathema sit. »

29. *Propositio* 2ᵃ. — Romani Pontifices possunt, si velint, legibus suis universos fideles devincire absque cujuscumque acceptatione.

Duplex quæstio in hoc puncto est distinguenda: alia nempe facti: utrùm scilicet leges pontificiæ quæ nondum fuerunt acceptæ, obligent; id est utrùm SS. Pontifices intendant ligare conscientias, priusquam ipsorum leges fuerint acceptæ: de quo licitè controvertitur inter DD. ut jam diximus (27) et probabitur infra (35-39).

Altera juris, utrùm nempè SS. Pontifices possint obligare antequam ipsorum leges fuerint acceptæ: in quo dubio affirmativa est omnino certa, imò de fide est, juxtà Suarezium qui ait: « Mihi videtur tam certa ut, secundùm

» fidem, negari non possit. » (*de Lege*, l. 4, c. 16, n° 2.)

« Il serait entièrement contraire aux lois de la sainte » hiérarchie, inquit Lequeux (t. 4, *Hist. du droit canon*, » p. 179) de faire proprement et directement dépendre la » force de ces constitutions (SS. Pontificum) de l'acceptation » des peuples et même de celle des Évêques. »

Solus Major videtur contra sentire, dicendo « Ecclesiam esse supra Papam, et ideo si Ecclesia non acceptat legem » Papæ, non posse per illam obligari; » (ib. n° 1) quod damnatum videtur ab Alexandro VII in sequenti propositione : « Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ » non recipiat legem à principe promulgatam. »

His prænotatis, thesis sic probatur quoad quæstiones juris :

1° Ex præcedenti propositione, Romanus Pontifex potestatem legislativam veram et propriam habet; sed, si non posset ligare nisi acceptantes, veram ac propriè dictam non haberet potestatem leges condendi : lex enim non est quod non ligat, nec præceptum, cui subditi non tenentur obtemperare, nisi velint. In factâ hypothesi Romanus Pontifex non majorem haberet auctoritatem quam fidelis quilibet, imò et muliercula, à quibus omnes ligari possent, si vellent. Porrò quis auderet talia sustinere?

Objici quidem potest quòd, juxtà multos, de facto ut infra dicemus (35), leges pontificiæ ordinariè non obligent nisi acceptentur. Ergo de essentiâ legis non est quòd vim habeat ligandi ante acceptationem. — Sed respondetur leges pontificias in hoc sensu non esse obligatorias ante acceptationem quòd Papa tunc permittat Episcopis non urgere illarum obligationem, si justæ rationes locales, judicio S. Sedis tunc exponendæ, id postulent. Non verò permittunt illas rejicere, etiam sine causâ, et pro cujusque appretiatione. In tali enim hypothesi, leges pontificiæ meritò, ut veræ leges non essent habendæ, cùm nullam obligationem inducerent, et sit de essentiâ legis quòd liget.

2° Ex textibus scripturæ supra relatis : « *Super hanc* » *petram*, etc.—*Pasce oves meas.*—*Quodcumque ligaveris*, etc. » Romanus Pontifex, utpote successor Petri, est fundamen-

tum societatis fidelium, supremus illorum Pastor, et sine ullâ exceptione potest illos ligare. Hæc autem vera esse haud possunt, si Papa leges nequeat condere verè obligatorias ante subditorum acceptationem : ille enim non est fundamentum ædificii socialis qui membra nequit colligare in unum sociale ædificium; non est Pastor qui gregem non potest ducere, vel abducere prout meliùs expedire judicat; nec denique valet *quocumque modo* ligare qui nonnisi volentes et consentientes jus habet ligandi. Ergo leges pontificiæ vim ligandi habere debent etiam ante acceptationem.

3° Ex conciliis in propositione præcedenti relatis, S. Pontifex habet plenam et summam potestatem gubernandi universalem Ecclesiam. Sed quo titulo vocari posset *plena* et *summa* potestas quæ amplior non foret eâ quam singuli fideles, etiam mulierculæ, possent sibi tribuere, et de facto exercere, si cæteri consentirent. Ergo, etc.

4° Ex decisione Facultatis Parisiensis (anno 1521); ab ipsâ enim damnata fuit hæc Lutheri propositio : « Neque » Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet » jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id » fiat ejusdem consensu; et quidquid aliter fit tyrannico » spiritu fit, » damnata est autem tanquam *in fide et moribus erronea.*

5° Confirmatur Concordato cum Galliâ inito, anno 1801; S. Pontifex, in Constitutione quam edidit occasione circumscriptionis Ecclesiarum Galliæ, monet hanc circumscriptionem valituram esse, etiamsi titulares harum Ecclesiarum consensum denegaverint, quem de facto reverà denegaverunt primùm 36, sed tandem 4 tantùm Episcopi; quorum oppositione non obstante, reipsâ tamen vim habuit circumscriptio à S. Sede decreta, ità ut qui noluerunt ei acquiescere habiti fuerint schismatici, et sub nomine *Parvulæ Ecclesiæ* reprobati. Ergo, etc.

30. *Corollarium I.* — Ergo potest, si velit, Romanus Pontifex legibus suis universos ligare absque Episcoporum acceptatione. Est contra Febronium, Quesnellium et quosdam gallicanos.

Probatur iisdem monumentis ac superiores propositiones. Etenim quandò Christus dedit Petro ligandi potestatem, non eam dedit sub conditione quòd consentirent cæteri Apostoli.

Probari potest speciatim ex concilio VIII œcumenico in quo est professio fidei per quam reprobandi declarabantur *Sedi Apostolicæ non consentientes* : sed Episcopi qui non acceptarent leges pontificias, casu quo urgeret S. Pontifex, non essent consentientes Sedi Apostolicæ. Ergo, etc.

Præterea eadem Synodus agnovit Papæ exclusivè competere jus dispensandi circa canones : sed si Episcopis esset licitum leges ecclesiasticas integrè rejicere, à fortiori illis competeret jus illas nonnisi ex parte accipiendi, et cum facultate ab illis relaxandi per dispensationem. Ergo, etc.

Quomodo tandem explicaretur plenitudo jurisdictionis S. Pontificis in universalem Ecclesiam, si per suas leges non posset obligare nisi post acceptationem earum ab Episcopis ?

31. Objicies : Saltem sub finem sæculi decimi quarti introductus est mos, apud aliquas gentes, ut Romanorum Pontificum constitutiones, non antè vim obligandi haberent quam de illis Episcopi cognoscerent.

Resp. Ille mos introduci cœpit tempore majoris schismatis, facto ipsiusmet Urbani VI, qui sic voluit impedire in quibusdam locis suæ obedientiæ, executionem litterarum suorum competitorum : hæc concessio postea fuit revocata à Bonifacio IX ; quam revocationem confirmavit Martinus V. Attamen Alexander VI concessit Ferdinando V et Isabellæ reginæ Hispaniarum ut nulla haberetur largitio indulgentiarum apostolicarum quæ non anteà, à locorum ordinariis, apostolico Nuntio, ac Majore Regis Capellano visa esset et ab omni suspicione immunis comprobaretur : sed exindè minimè concludi debet necessitatem approbationis Episcoporum pro validitate legum pontificiarum. Imò Leo X, anno 1518, damnavit constitutiones quibus Archiepiscopus Toletanus statuerat non esse acceptandas litteras apostolicas nondùm ab ipso vel successoribus probatas.

32. *Corollarium II.* — Ergo, à fortiori, ut constitutiones

pontificiæ vim obligandi habeant, non requiritur ut à clero secundi ordinis acceptentur.

Præter rationes suprà allatas probatur insuper ex Bullâ *Auctorem fidei* n° 11 : « Sententia enuntians veteri majorum
» instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per
» meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse, ut
» decreta, aut definitiones, aut sententiæ, etiam majorum
» sedium, non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et
» approbatæ à synodo diœcesanâ.—Falsa, temeraria, dero-
» gans pro suâ generalitate obedientiæ debitæ constitutio-
» nibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchicâ supe-
» riore legitimâ potestate manantibus, schisma fovens et
» hæresim. »

33. *Corollarium III.* — **Ergò leges pontificiæ obligant** absque principis sæcularis acceptatione, aut placito, nisi liberè concesserit Papa. *V. C. Quanta Cura* (in fine tomi).

Est contra Stokmans à Febronio magnis laudibus elatum qui dixit *placitum regium ab omni memoriâ* in usu fuisse. Contra Van Espen juxta quem dictum *placitum* ab antiquo usu Galliæ, Belgii et aliarum gentium, etiam ad decreta dogmatica aut libros pravos damnantia fuit extensum; contenditque illud esse essentiale supremæ majestati, ac imprescriptibile, nec proindè manans à concessione Ecclesiæ eò quòd princeps sæcularis jus habeat cavendi ne detrimentum recipiat ipsius auctoritas et pax publica perturbetur. Ita pariter sentiunt moderni philosophi, et multi jurisperiti. (Van Espen t. 3. pars 2 *de Placito*. c. 1 § 1 et 2).

Constat Conc. Vaticano : « Reprobamus illorum sententias qui hanc
» Supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite
» impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati ob-
» noxiam; ita ut contendant, quæ ab Apost. Sede, vel ejus auctori-
» tate, ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim... non habere... nisi
» potestatis sæcularis *placito* confirmentur. » (Sess. IV, c. 3.)

Præterea in concilio Chalcedonensi (act. 3), cùm Eusebius Episcopus nollet comparere nisi adessent judices Imperatoris locum tenentes, declarârunt Patres « Quandò agitur
» de causis canonicis, non debere intervenire neque judi-
» ces (Imperatoris) neque laicos ullos. »

Item Gregorius II in epistolâ ad Leonem Isauricum ait: « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium » potestatem non habet; sic nec Imperator in Ecclesias » introspiciendi. » Ergo, etc.

« Quo placito, inquit Zallinger, usi sunt Apostoli, cùm » non modò fidem prædicarent, sed disciplinam informa- » rent liberrimâ potestate? Intelligi nullo modo potest, » quomodo princeps, qui per baptismum, Ecclesiæ juris- » dictioni se subjicit, quidquam juris adversùs eam juris- » dictionem acquirat. » (*Jus eccles.* lib. 5. 401).

Sic autem habet concilium Parisiense 1849: (p. 32). « Amplectimur omnes et singulas constitutiones dogma- » ticas uti et illas quæ *universalem Ecclesiæ disciplinam* » *respiciunt*, specialiter quæ à conclusione Concilii Tri- » dent. usquè in hodiernum diem prolatæ et promulgatæ » sunt. Declaramus etiam ac docemus eas *sæculari sanc-* » *tione* non indigere ut tanquam norma credendorum et » conscientiæ regula ab omnibus suscipiantur. » Vid. insuper concil. Biturr. p. 28.[1]

Vera Placiti regii origo et historia.

34. Quidquid dicant Stokmans, Febronius, Van Espen, et illorum sequaces, usus Placiti non fuit usurpatus *ab omni memoriâ*. Vetustior enim non est schismate Occidentis. Cùm eo tempore circumferrentur constitutiones à diversis contendentibus de papatu, opportunum Urbano VI visum fuit, ut antequàm executioni demandarentur constitutiones Pontificiæ, Episcopi examinarent an a vero Pontifice profectæ essent; simulque prohibuerunt principes vulgari decreta Pontificum absque suo consensu seu *placito*.

Hæc est vera *Placiti* regii origo : imò Lequeux asserit se nullum cognoscere principem qui generaliter illud præceperit ante Ludovicum XI, anno 1484 (n° 20).

[1] Sanè lex ecclesiastica effectus civiles ordinariè non potest habere nisi ab auctoritate civili acceptetur, sed conscientias ligare potest absque hujusmodi acceptatione, alioquin princeps sæcularis, constitutus fuisset Ecclesiæ caput, quod est contrà evangelica verba : *Euntes docete omnes gentes*, etc. V. card. Gousset, *Exposit. des princ.*, p. 100, etc.

Certum est illud anteà non fuisse adhibitum etiam in iis circumstantiis in quibus utilissimum judicare potuissent principes : etenim nec imperatores germanici, in suis dissidiis cum SS. Pontificibus uti *placito* cogitârunt ad impediendam executionem Bullarum ipsis infensarum. Nec Henricus Angliæ rex in suâ cum Alexandro III controversiâ, nec Philippus Pulcher, rex Galliæ, in suâ celebri contentione cum Bonifacio VIII; sed maluerunt hi duo principes per custodes ubique appositos, cavere, quamvis hoc difficiliùs esset, ne introducerentur intra regni fines constitutiones pontificiæ.

Porrò Martinus V sustulit dispositionem Urbani VI; et paulatim ad priscam consuetudinem reditum est.

Ante annum 1493, nullus fuit usus placiti in Hispaniâ, ut constat ex suprà dictis de concessione Alexandri VI Ferdinando et Isabellæ factâ, quæ locum habuit tantùm pro rescriptis indulgentiarum.

Necessitatem *Placiti* retinere voluit Lusitania, tempore Joannis II, sed fortiter obsistente Innocentio VIII, abusus cessavit.

Politicorum artibus, protestantismo fovente, iterùm revivisit in multis locis. Primùm ad rescripta gratiæ et justitiæ privatis data, adhiberi cœpit; posteà illius usus extensus fuit ad decreta disciplinæ; demùm ad Bullas dogmaticas. Sed juxta Zallinger (l. 5, n° 401), in Galliâ constat Bullas dogmaticas, et eas quæ ad prohibitionem librorum spectant, sine *placito* fuisse publicatas[1]. Item in Belgio: (Bouix, *de Principiis*, p. 180). In Sardiniâ verò gubernio fuit

[1] Attamen sic legitur apud Crouzet (*Du droit ecclés.*, par Philipps., t. III, p. 209) : « En France, les Bulles du Pape sont bien véritablement des lois générales de l'Église ; mais elles ne sont exécutoires qu'autant qu'elles ont été reçues par l'Église gallicane. Elles avaient donc besoin, au préalable, d'être promulguées par les Évêques, qui eux-mêmes ne pouvaient faire cette promulgation qu'avec l'agrément des parlements. Il va sans dire que l'on étendait cette condition, même aux décrets dogmatiques, par la raison qu'il pouvait arriver qu'il s'y mêlât quelque chose ayant trait à la discipline. » Citat. Héricourt, c. 15, n° 8, p. 290. Contrarium legitur apud de Beausset, *Histoire de Fénelon*, lib. III, n° 93, t. II, p. 301.

à Bened. XIV concessum, ut posset animadversiones deferre S. Sedi, quoad res disciplinares, interim dilata executione, exceptis : 1° Constitutionibus et Brevibus quæ fidei vel morum regulas continent, vel indulgentias concedunt, vel Jubilæa indicant; 2° Brevibus Sacræ Pœnitentiariæ; 3° litteris SS. Congregationum, quæ ad Ordinarios vel alias personas diriguntur, ut notitia ecclesiasticorum negotiorum habeatur. (Ex Alasià ap. Lequeux, 3ª edit., p. 66, in notà.)

Nunc verò in Galliâ post Concordatum 1801 promulgati fuère *Articuli* dicti *organici* quorum primus sic se habet : « Aucune Bulle, Bref, rescrit, décret, mandat, provision, » signature servant de provision, ni autres expéditions de » la Cour de Rome, même ne concernant que les particu» liers, ne pourront être reçus, publiés, imprimés, ni » autrement mis à exécution, sans l'autorisation du » gouvernement. » Hoc damnatur art. 41 Syllabi.

Contra hanc dispositionem reclamavit Sedes Apostolica per Cardin. Caprara, 18 augusti 1803. Tandem, anno 1810, post multas alias reclamationes, prodiit hoc decretum Napoleonis I : « Les Brefs de la Pénitencerie, pour le for intérieur seulement, pourront être » exécutés sans autre autorisation. » Varia autem gubernia quæ Napoleoni I in Galliâ successerunt, dispositionem art. 1 suprà relati legis organicæ tenaciter servàrunt et adhuc retinent, theoretice saltem.

II.

DE EXERCITIO POTESTATIS PONTIFICIÆ.

35. Quærit. Quid sit sentiendum de opinione quæ tenet Romanos Pontifices, de facto nolle suas leges esse obligatorias ante acceptationem ?

Resp. Hæc opinio est licita, modò hoc tribuatur liberæ voluntati S. Pontificis et dicatur tantùm de quibusdam legibus, non verò de omnibus.

Illa enim sententia est licita quæ tenetur à multis integræ notæ doctoribus: tenetur autem à Cardena, Valentia, Tanner, Lessio, Becan, Reginaldo, Sa, Navarro, Bonacina,

Cabassut, Juenin, Card. d'Aguirre, Suarez et aliis multis.

Sic Juenin : « Quòd novæ leges vim non habeant in pro-
» vinciis in quibus non acceptantur, non oritur ex defectu
» potestatis in legislatoribus et præsertim Romano Ponti-
» fice, cui, in personâ Petri, dictum est à Christo : *Pasce agnos*
» *meos, pasce oves meas;* sed id oritur ex defectu volun-
» tatis : neque enim legislatores ecclesiastici, imprimis
» Romanus Pontifex... censentur velle ut novæ leges à se
» latæ, vim habeant in locis in quibus sanior et major
» fidelium pars judicat provinciarum ingenio, moribus,
» tempori non convenire. Confirmatur illa responsio ex eo
» quòd nova decreta, licet in seipsis optima sint, per acci-
» dens tamen, habitâ nimirum ratione circumstantiarum,
» in quibus populi fideles, quibusdam in provinciis ver-
» santur, reipublicæ ecclesiasticæ pacem perturbare pos-
» sent, aut saltem Ecclesiis particularibus non prodesse. »
(Apud Bouix, *De Princip.*, p. 185.)

36. Sed quænam sint leges quas SS. Pontifices nolunt esse obligatorias ante acceptationem? — Quædam regulæ dantur à Zaccaria et à Bened. XIV apud Bouix (*ib.*, p. 188 *et seq.*) pro faciendâ hâc distinctione, sed, fatente ipsomet D. Bouix (p. 192), earum ope non est facile discernere illas leges : « Si mihi liceret, addit iste, regulam aliam genera-
» liorem et in praxi faciliorem proponerem : vel alicujus
» regionis Episcopi existimant se graves habere rationes ad
» præsumendum consentire Romanum Pontificem, ut sua
» lex statim non obliget, vel non : si priùs, licebit illis Præ-
» sulibus supplicationem ad S. Sedem dirigere, et interim
» legis obligatoriam vim suspendere ; si posteriùs, pecca-
» bunt nisi statim legi pareant. »

37. Notandum est 1° quòd hìc non agatur de Pontificiis Constitutionibus dogmaticis, cùm in iis irreformabile sit Romani Pontificis judicium ; nec de Constitutionibus quæ sacros respiciunt ritus, cæremonias, sacramenta, clericorum vitam. (Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 9, c. 8, n° 3 ; — *Expos. des Principes du droit canonique,* du Card. Gousset, p. 97; — *Revue des sciences ecclésiastiques,* n° 19, p. 77.)

38. Notandum est 2° quòd etiamsi lex sit certò de numero

earum quas Papa non fecit obligatorias ante acceptationem, Episcopus qui eas non acceptat, tenetur nihilominùs supplicationem dirigere ad S. Pontificem, in quâ exponit sua non acceptandi motiva : ratio est quòd sine periculo S. Pontifex non posset aliâ conditione Episcopis relinquere facultatem suas leges rejiciendi. Quod quidem praxi firmatur : sic concilii Triburiensis patres, tempore Caroli Magni, cum postulassent à lege quæ ipsis durissima videbatur, exemptionem, et non concessisset S. Pontifex; sic concluserunt : « Licet vix ferendum ab illâ S. Sede imponatur jugum, » tamen feramus et piâ devotione toleremus. »

Episcopo legem non acceptante, et supplicationem non mittente, non tantùm peccat ipse, sed omnes de communitate qui legem promulgatam nôrunt, ad illius obligationem tenentur. Quia S. Pontifex non consentit ad suspensionem legis nisi eâ conditione quòd illi exponantur momenta ob quæ non acceptatur.

Si tamen nimiùm onerosa esset lex, à culpâ viderentur immunes subditi eam non observantes.

39. Item, quando major et sanior pars populi legem non observat « quamvis primi non acceptantes peccent si » desuetudo nondùm est præscripta, cæteri tamen non » tenentur ad legem : nam præsumitur princeps nolle » obligare ad hoc observandum quod non est à majore » parte receptum. Ità Salmant., etc. » (S. Liguor., lib. 139.) Toto supplicationis tempore suspenditur eo ipso obligatio legis, ut patet.

In dubio utrùm lex sit de numero earum quæ possunt non obligare ante acceptationem, videtur quòd Episcopus possit agere sicut faceret casu quo lex esset certè de isto numero : quia *in dubiis odia sunt restringenda.*

Si S. Pontifex non approbet rationes non acceptationis, lex statìm est obligatoria, ratio patet. (Bouix, *de Princip.*, p. 185-196.)

In suprà expositis supposuimus leges pontificias fuisse sufficienter promulgatas. Expendendum nunc venit quænam debeat esse promulgatio ut sit sufficiens.

III.

DE REQUISITA PROMULGATIONE QUOAD LEGES PONTIFICIAS.

40. Promulgatio est *intimatio legis facta communitati nomine legislatoris, et quidem sat publicè ut moraliter possit ad totius communitatis notitiam pervenire.*

Porrò « necessaria est promulgatio, inquit S. Thomas, ut lex habeat suam virtutem. » (1, 2, q. 90, art. 4.) Necesse est enim præceptum intimari ei quem concernit; atqui lex fertur pro communitate; ergò ipsi intimari debet, id est promulgari. Undè ut certum et indubitatum admittitur ab omnibus, necessariam esse promulgationem legum quarumcumque : *Leges enim instituuntur cùm promulgantur*, ait Gratianus (cap. *In istis.* dist. 4).

Consentiunt omnes minimè requiri ut lex innotescat singulis privatis, sed sufficere si sat publicè notificetur communitati, ut omnes pro quibus fertur moraliter valeant illam cognoscere.

Item « non apparet, ait Van Espen (*de Promulg. leg.*, » c. 1, § 2) de ratione legis esse... ut ejus promulgatio » certo et determinato ritu fiat, aut certis et determinatis » locis, lex publicè affigatur vel proclametur. »

41. Disputatur utrùm legum pontificiarum promulgatio Romæ facta, sufficiens sit, vel an ampliùs requiratur ut promulgatio earum fiat in singulis provinciis vel diœcesibus.

« Olim decretalia Pontificum Siricii, Innocentii, Leonis » ad aliquarum duntaxat provinciarum Episcopos mittebantur : quæ tamen, recepto more, vel adjecto mandato, » subinde cum aliis atque aliis Episcopis communicata, » ac toto orbe dispersa sunt...

« Hodierna promulgandi leges pontificias ratio ferè in eo » consistit, ut Bullæ promulgentur Romæ, affigantur in » acie Campi Floræ, et ad valvas Basilicæ Apostolorum, nec » non in Cancellaria apostolica, et pro publicatis habeantur. » (Zallinger, *Inst. jur. natur. et eccles.*, lib. 5, n° 400, 3).

12. Circa propositam quæstionem duplex est sententia: Prima affirmat promulgationem in singulis provinciis esse necessariam; itá Becan, Natal. Alex., Contin. Tournely, Cabassut. Hanc probabilem vocant Sylvius et alii, quàmvis Sylvius ac Roncaglia habeant ut certum quòd omnes Bullæ in quibus exprimitur sufficere publicationem Romæ factam obligent per se absque aliâ promulgatione : pro eâ citatur etiam Lessius; sed, ait S. Liguor. (Lib. 1, 96.) Lessius loquitur tantùm de legibus quæ contractus irritant. Citatur quoque Domin. Soto; sed iste loquitur potiùs de legibus inhabilitantibus, aut revocatoriis privilegiorum.

Hanc sententiam, utpote faventem opinioni quæ tribuit Episcopis jus non accipiendi leges pontificias et necessitatem placiti regii sustinet, zelo ardentissimo amplexati sunt et immensis conatibus propugnârunt quotquot exstitere Jansenianæ hæresis et gallicanæ doctrinæ patroni. Inter quos Petrus de Marca, Van Espen, Natalis Alexander, Zalwein. Vid. Bouix (*de Princip.* p. 197 etc.).

Nititur illa sententia 1° Novella *Ut factæ novæ*, juxta quam leges cæsareæ promulgandæ erant in singulis provinciis, nec obligabant nisi post duos menses à promulgatione. Porrò, ubi non adest specialis dispositio legis canonicæ, standum est civili, ut infertur ex cap. de *Nov. oper. nuntiat.* in quo dicitur : « Sacrorum statuta canonum » principum constitutionibus adjuvantur. » 2° Quia publicatio solummodò Romæ facta, non videtur esse intimatio sufficiens erga totam Ecclesiam : nimis enim durum esset fideles totius orbis Christiani adstringere ad servandas leges tantùm Romæ publicatas. « Sed juxta hanc sententiam, ait S. Liguor. (libr. 1, 96) excipi debent Bullæ insertæ bullario; quoniam hæ sunt jam corpus legum; et in hoc omnes conveniunt, ut testatur Card. Petra.

Ex clausulis Bullis insertis juxta quas sufficit earum publicatio Romæ facta : « Rectè firmum adduci potest argu-» mentum pro primæ (hujus) sententiæ probabilitate, res-» pectu ad Bullas ubi prædictæ clausulæ desunt, inquit » S. Liguor. (libr. 1, 96); nihil enim in legibus frustra » appositum supponendum : et clausulæ omnino essent

» superfluæ, si omnes Bullæ Romæ publicatæ, etiam sine » talibus clausulis, obligarent antè quamlibet aliam publi- » cationem in provinciis ; modò (excipit Roncaglia) in ali- » quo loco consuetudo non vigeret indifferenter amplec- » tendi Bullas Romæ quocumque modo promulgatas. » [1]

43. Secunda sententia quæ à S. Liguor. vocatur *valdè communior et probabilior*, tenet leges pontificias obligare solà promulgatione Romæ factâ. Juxtà D. Bouix (*de Princip.*, p. 200), De Marca, Van Espen, Zalwein prorsus errârunt affirmando talem promulgationem esse insufficientem ex jure naturali.

Probatur ista sententia : 1° Non solùm tempore Reipublicæ romanæ, sed sub imperatoribus, leges ære sculptæ, ipso Van Espen fatente, (*ib. ut suprà*) per tres nundinas exponebantur in locis publicis ; et sic instituebantur. Primus Justinianus imperator, anno Christi 538, promulgationem in provinciis indixit. Porrò dici nequit per tot sæcula Romanos sic turpiter erràsse circa jus naturale : Ergo jus naturale non exigit promulgationem in provinciis : Ergo, etc.

In Hispaniâ, juxta Salmanticenses, Matriti tantùm leges promulgabantur ; hodiè in Galliâ publicantur per insertionem collectioni dictæ *Bulletin des lois*, quæ fit Parisiis, cujus deindè exemplaria mittuntur ad singulas communitates, quin tamen in iis necessariò sint publicè legendæ.

2° Promulgatio Romæ facta sufficiens est, modò per

[1] « In Galliis, inquit Lequeux (no 19, 3a edit.), ordinariè novæ » constitutiones ad disciplinam spectantes non censentur obligare ante » promulgationem in provinciis...

» Dixi *ordinariè :* quia non negamus tales existere posse temporum » circumstantias quæ remedii dilationem non patiantur... Nam, ut » suprà, cum Bossuetio professi sumus, omnia potest S. Pontifex cùm » necessitas id postulaverit.

» Dixi *ad disciplinam spectantes :* quia quandò agitur... de decreto » circa fidem, aut circa jus naturale vel divinum, minimè necessarium » est ut decretum per provincias promulgetur ; sed statim ac innotuerit » judicium solemne quod S. Pontifex... tulit, debetur obsequium à » fidelibus. » Vid. etiam, Reiffenst. lib. 1, no 132, etc.

talem promulgationem notitia legis facilè ad omnem Ecclesiam pervenire valeat. Atqui res ità se habet: « Romæ enim » conveniunt omnes ferè nationes, ait S. Lig. (ibid.) — Et » omnes Prælati habent ibi suos procuratores qui ordinariè » satagunt suos principales de novis Bullis, quæ promul- » gantur, certiores facere. » Per diaria etiam spargitur facile ubique cognitio decretorum pontificiorum. Ergo, etc.

3° Ab anno 1281, quo Martinus IV excommunicavit Michaelem Paleologum, per sententiam solummodo Urbiventi (Orvièto) promulgatam, usque ad hodiernam diem, invaluit usus promulgandi Romæ tantùm leges pontificias: porrò dici nequit per tot sæcula Romanam Ecclesiam errâsse circa jus naturale, aut circa disciplinam generalem. Ergo, etc.

4° Dici nequit esse in potestate principum aut etiam Episcoporum in Ecclesiam rebellium impedire quominus S. Pontifex procuret executionem legum maximè bono Ecclesiarum necessariarum: Porrò res ità se haberet, si necessariò leges pontificiæ in singulis provinciis publicandæ forent, ut vim obligandi obtinerent. Sic Pius VI non potuisset damnare Constitutionem civilem Cleri Gallicani; nec Leo X errores Lutheri; et sic in innumeris aliis circumstantiis. Ergo, etc.

5° Ideò juxta adversarios publicari debent in singulis provinciis leges pontificiæ, quia sic usitatum fuit in prioribus sæculis, et quia Ecclesia, Novellam Justiniani supra citatam *Ut factæ novæ*, approbavit. Sed 1° incertum est utrùm semper, in prioribus sæculis, SS. Pontifices curaverint sua decreta publicari in singulis provinciis: textus allegati loqui tantùm videntur de publicatione locali et restrictâ. Imò etiamsi constaret SS. Pontifices curâsse ubique vulgari sua decreta, probandum esset insuper ab ipsis habitam fuisse ut omnino necessariam, hujusmodi divulgationem; Porrò contrarium erui posse videtur ex ipsismet verbis Siricii Papæ ad Himerium Archiep. Tarraconensem: « Et » quamquam statuta Sedis Apostolicæ, inquit,.... nulli » sacerdotum Domini ignorare sit liberum, utiliùs tamen... » si ea quæ ad te... speciali nomine generaliter scripta

» sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem, in universo-
» rum fratrum nostrorum notitiam perferantur. » Sed si necessaria, et non tantùm utilis fuisset promulgatio in singulis diœcesibus, *liberum fuisset*, inquit D. Bouix (*ibid.* p. 231) *sacerdotibus* decreta ab Himerio propaganda ignorare donec in uniuscujusque provinciâ facta fuisset publicatio. Idem concludi potest ex epistolâ Zozimi Papæ ad Hesychium Episcopum Salonen. in Illyrico (Vide Bouix, *de Principiis*, p. 231).

2° Nec etiam demonstratur ità probatam fuisse Novellam Justiniani supra citatam, ut ipsius dispositionem observare debeant SS. Pontifices, imò patet SS. Pontifices ad hoc non potuisse se obligare. Ergo non probant momenta ab adversariis allata.

Nota quòd « Constitutiones apostolicæ, Romæ solemniter
» publicatæ, licet quantùm ex parte suî, ac in actu primo,
» omnem obligandi vim habeant pro toto orbe christiano;
» tamen in actu secundo non obligant quoad culpam aut pœ-
» nam, nisi postquam sufficiens earumdem notitia fuerit ha-
» bita, vel saltem haberi potuerit. » Ità Reiffenst. lib. 1. n° 123.

Objicies 1° : Semper fieri debet aliqua notificatio authentica in provinciis; sed talis notificatio est vera promulgatio. Ergo, etc.

Resp. Neg. Minor. Notificatio authentica legis non est necessaria ipsius promulgatio. Etenim si per diaria divulgetur aliquam legem Romæ fuisse promulgatam, et, adeundo nuntium vel Episcopum, certum fiat reverà talem legem fuisse Romæ promulgatam, habetur sic notificatio legis hujus sufficienter authentica; et tamen tunc vera promulgatio non fit in diœcesi. Pluribus autem aliis mediis cognitio authentica legis obtineri potest quin fiat promulgatio in singulis provinciis. Ergo, etc.

Objicies 2° : Nisi fiat promulgatio in provinciis, alii legem cognoscentes obligantur, dùm alii illam ignorantes, ab illius obligatione erunt immunes, et quidem in eâdem diœcesi et civitate. Ergo, etc.

Resp. Idem evenire posse, etiam post promulgationem in provinciis: nam juxta Suarez, manifestum est suffi-

cere pro totâ diœcesi publicationem quæ fit in matrice (*De Leg.* lib. 4, cap. 15, n° 8). Et juxta Van Espen *non dubium* quin promulgatio legum, quæ fit Romæ tantùm, sufficiens sit respectu populi Romani, aliorumque adjacentium (*De Promulg.* pars 1, cap. 3, § 2). Porrò per promulgationem solummodò factam in Ecclesiâ matrice, impossibile est, ut statìm in singulis pagis leges cognoscantur. Non est ergo necessarium ut statìm omnibus leges innotescant, sufficit ut earum notitia ad omnes pervenire possit. Porrò, per promulgationem solummodo Romæ factam, ad omnes pervenire potest notitia legum pontificiarum, ut suprà demonstratum est. Nonne excommunicatio lata contrà Napoleonem I, etiamsi Romæ tantùm denuntiata, mox non pervenit ad omnium cognitionem? Ergo, etc.

44. « Quærit autem Sylvius.... an Episcopi teneantur » promulgare, aut satagere ut alii observent omnia pontificia statuta jam Romæ promulgata? »

Sic respondet : « Teneri curare ut observentur quandò » Pontifex significat se velle quòd sua lex ubiquè obliget, » etiam absque promulgatione alibi factâ. Non tenentur » tamen curare ut promulgentur nisi, vel mandatum pontificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter judicent promulgationem in suis diœcesibus esse necessariam. » Nihilominus qui legis notitiam habent ad eam obligari » videntur, nisi illa recepta non fuerit, vel per non usum » ejus obligatio desierit. Cæterùm si Pontifex non significet esse opus aliâ promulgatione, neque mandatum » dirigat ad ordinarios, probabile est quòd ipsi non tenentur legem promulgare, vel curare ut observetur nisi » fructum notabilem, ex talis legis promulgatione, in suis » diœcesibus expectent. » (S. Liguor. lib. 1. n° 96)

45. « Præterea probabiliter aiunt Suarez, Laymann, etc, » quòd leges pontificiæ quæ infirmant aliquem contractum » suâpte naturâ validum, (prout fecit.... Bulla Pii V quoad » contractus censuales) vel quæ jurisdictionem auferunt, » v. g. in sacramento Pœnitentiæ.... Benignè interpretari » possumus mentem esse Pontificis, quòd nolit effectum » habere nisi postquam fuerint in diœcesibus promulgatæ..

» Secus autem est respectu pœnarum... Sicut etiam secùs..
» in legibus irritantibus actum aliquem ob defectum
» solemnitatis. » (S. Lig. *ib*.).

46. Quærit. An ut lex obliget, requiratur spatium duorum mensium à promulgatione?

Resp. Juxta S. Lig. (*ib.*), tres sunt sententiæ : 1ª tenet quòd statim à promulgatione lex obliget; 2ª quòd statim, vel quasi, obliget præsentes in Curiâ, alios autem post sufficiens tempus juxta distantiam locorum; 3ª quòd nisi tempus à lege designetur, nulli ab eâ obligentur, nisi post duos menses à promulgatione. Allegatur pro istâ sententiâ Novella *Ut factæ novæ*, et habetur à S. Lig. ut probabilior; Dum è contrà D. Bouix et R. de M. primæ sententiæ adhærent.

IV.

VARIÆ SPECIES CONSTITUTIONUM SEU LITTERARUM APOSTOLICARUM.

47. Vel sunt pro totâ Ecclesiâ, aut pro aliquâ saltem illius parte, vel aliquid determinant pro aliquâ personâ duntaxat privata, aut pro negotio transitorio.

In primo casu, vocantur *Constitutiones* quandò statuunt aliquid modo permanenti pro totâ Ecclesiâ, aut aliquâ ipsius parte.

Vocantur *Decreta* quandò eduntur à S. Pontifice, non ex aliorum ratione aut consultatione, sed motu proprio, adhibito vel non adhibito Cardinalium concilio. Vocantur etiam *motus proprii*. — Non raró tamen latiori sensu decreta omnem constitutionem significant, imò totam collectionem legum ecclesiasticarum, v. g. *Decretum Gratiani*, etc.

Si verò edantur ex postulatione, vel consultatione aliquorum, vocantur *Decretales epistolæ*, aut etiam *Responsa*. Præterea nomine *Decretalium*, generaliore sensu, designantur etiam quæcumque leges pontificiæ et statuta.

In omnibus suprà dictis casibus, vocantur *Encyclicæ* quando diriguntur ad Episcopos totius orbis, vel alicujus regionis, sive ad exponendam veram in aliquo puncto doctrinam, sive ad tollendum aliquem abusum.

48. In secundo casu, vocantur *Rescripta* quia sunt responsiones ad varias consultationes, relationes, vel supplicationes et sunt vel Rescripta *justitiæ*, si rescribendo Pontifex munus judicis impleat, vel *gratiæ*, si beneficia elargiatur.

Dicuntur etiam *Diplomata* eò quòd membranæ in duas plicas contrahi soleant.

49. Omnes litteræ apostolicæ sunt, aut in formâ solemniori *Bullæ*, aut in formâ *Brevis*.

« Bullæ dicuntur illæ litteræ apostolicæ... quæ expe-
» diuntur per Cancellarium sub plumbo sive sigillo
» plumbeo [1] pendente ex chordulis, conscriptæ in
» membranâ magis nigrâ et rudi » (Reiff. I, t. 2, 17). Antiquus character gallicus sublatus est a Leone XIII (*Motu prop.* 29 dec. 1879); usus plumbi, quod exhibet ex unâ parte imagines capitum SS. Petri et Pauli, ex alterâ nomen Papæ, restrictus est ad Bullas majores; hujus loco in minoribus Bullis adhibetur sigillum rubrum et imagines et nomen exhibens.

Brevia minoribus subsunt solemnitatibus. Describuntur in membranis candidis, charactere nitido qui dicitur *latinus* : subscribuntur a solo cardinali qui dicitur *secretarius Brevium;* ipsis imprimitur *annulus Piscatoris* qui exhibet Petrum jacientem retia.

Non multùm ante annos quadringentos inventus fuisse videtur annulus *Piscatoris* (Bouix *de Principiis*, p. 247).

50. Brevia S. Pœnitentiariæ diversam ab his habent formam, sigillum et ministros (Bouix, *Ibid.* p. 249).

Præter supra dictas varias species litterarum apostolicarum sunt adhuc *Oracula vivæ vocis*, seu declarationes, decisiones, seu concessiones à S. Pontifice solâ voce, seu ore tenùs datæ: alia sunt *authentica*, et alia *non authentica*: *authentica* habentur quando in scripturam rediguntur et testimonio illorum, quibus ex officio incumbit, consi-

[1] Ex eo denominantur *Bullæ* : Quandò verò sigillum est aureum, Bulla dicitur *aurea*, quod raró contingit; et fieri tantùm consueverat in diplomatibus quibus electiones imperatorum à Papâ confirmabantur.

gnantur. Si careant his conditionibus authentica non sunt; possunt valere tamen pro conscientiâ.

De gratiis à S. Pontifice concessis attestationem facere possunt ex officio : 1° Cardinales quibus id fuerit commissum; 2° Legati et Nuntii, Notarii apostolici, Prælati camerarii, Auditores Sacri Palatii et Secretarii litterarum apostolicarum. *Prælect. S. Sulpitii* (n° 74 in fine) ubi citantur Reiffenst. (lib. 5. tit. 33, § 7, n° 149-164), Ferraris, verbo *Oracula vivæ vocis.*

V.

DE RESCRIPTIS S. SEDIS.

51. Modò diximus (48) quid sit intelligendum per *Rescripta.* Quærit. 1° Utrum vim legis habeant?

Resp. Rescripta vim legis habere *inter partes;* dicitur inter partes. Sic cap. 2 de *mutuis petitionibus*, Rescriptum concessum actori ut sibi justitia fiat, appellatione remotâ, etiam prodest reo actorem reconvenienti. Sed vim legis universalis non obtinent quia non feruntur pro totâ communitate, nec promulgantur. (Vide adhuc infra Quær. 6°).

52. Quærit. 2° Quotuplex sit Rescriptum?

Resp. 1° Rescripta alia sunt *contra legem*, alia *præter legem*, alia *secundùm legem :*

Contra legem sunt illa quibus conceditur aliquid contra communes *juris* regulas, ut fit in dispensationibus et privilegiis. *Præter legem* quando dantur pro iis quæ jure decisa non sunt, ut sunt, v. g. litteræ beneficiales. *Secundùm* verò *legem* sunt, quando conceduntur ad juris observationem, v. g. si Papa respondet ad consultationes, si delegat judices, etc.

Resp. 2° Rescripta dividuntur in *Rescripta gratiæ* et in *Rescripta justitiæ :*

Rescripta gratiæ seu ad beneficia dicuntur ea quæ dantur ad obtinenda beneficia ecclesiastica (et tunc dicuntur *litteræ beneficiales*, *mandata apostolica* de *providendo*, vel *gratiæ expectativæ*); vel conferunt aliquod jus operandi; ut dispensationes et privilegia. (V. Reiffenst, lib. 1, tit. 3, n° 9-32).

De *Rescriptis* justitiæ dictum fuit supra, n° 48.

53. Quæritur 3° Quis possit vel non possit impetrare Rescriptum papale?

Resp. ad 1um: Omnis qui non expressè prohibetur à jure, potest impetrare papale Rescriptum. Ità communiter ex can. *Jam nunc* 28 quæst. 1 et cap. *de procur.* in 6°.

Resp. ad 2um: Illud impetrare non potest, nec per se, nec per alium, excommunicatus excommunicatione majori, etiam non vitandus, nisi in causâ excommunicationis, vel appellationis ad suam defensionem. Ita communis. et patet ex cap. *Dilectus* 26, *de Rescriptis*, ubi Rescriptum ab excommunicato, tacitâ excommunicatione, impetratum censetur subreptitium et nullius roboris.

Dixi 1° *etiam non vitandus:* quia Bulla Martini V *Ad evitanda*, etc., non intendit excommunicatis quomodolibet suffragari (S. Lig., libr. 7, 181).

Dixi 2° nisi in *causâ excommunicationis*, etc., ad *suam defensionem:* nam hi duo casus expressè excipiuntur à cap. *Ipso jure* in 6°. «Ipso jure rescriptum... non valeat, si ab » excommunicato super alio quam excommunicationis, » vel appellationis articulo fuerit impetratum. »

Ut autem propter excommunicationem non sint nulla Rescripta, de stylo Curiæ romanæ, hodie solet plerisque Rescriptis inseri absolutio à censuris ad *cautelam*. Reiffenst, libr. 1, tit. 3, n° 33-54 et infra (6540).

54. Quærit. 4° Utrùm quis possit impetrare Rescriptum pro alio absque ejus speciali mandato?

Resp. esse distinguendum inter Rescripta gratiæ et justitiæ. Et quidem Rescripta gratiæ posse impetrari, pro alia persona capaci sine ejus mandato speciali, fatentur passim DD. post Glossam in cap. *Nonnulli de Rescriptis*.

E contra *Rescripta justitiæ* quantum est de rigore juris, seclusa contraria consuetudine, non posse pro alio impetrari, absque ejus mandato speciali, expressè habetur citato capite *Nonnulli*. Excipiuntur tamen personæ conjunctæ quales sunt liberi, parentes, fratres, affines; quia pro talibus conjunctis agere licet absque mandato, dum-

modo contraria voluntas non probetur : Deducitur ex variis juris romani dispositionibus.

Dictum fuit quantum de *rigore juris*, etc; quia, secundùm consuetudinem Curiæ romanæ, non solet admitti exceptio defectûs mandati contra Rescripta justitiæ. (Reiff. ib. 56-59).

55. Quærit. 5° quomodò interpretanda sint rescripta?

Resp. 1° generatìm quando verba sunt clara, ea intelligenda sunt secundùm communem usum loquendi. (*Cap. Ad audientiam* 12, *De decimis.*)

Resp. 2° in dubio, ubi de contrariâ Pontificis intentione non constat, rescripta justitiæ interpretanda sunt secundùm jus commune, ità ut quam minimùm ab eo recedatur. Ita desumitur ex cap. *Causam* q. 18. Ratio est quia Rescriptum justitiæ conceditur ad juris observationem.

Insuper rescripta justitiæ sunt strictæ interpretationis ac proindè ad casum vel personam in Rescripto non expressam extendi non debent. Ità Glossa in cap. *Nonnulli de Rescriptis* ubi dicitur *quòd lites restringendæ sint potiùsquam laxandæ.*

Resp. 3° Quoad Rescripta *gratiæ*, larga interpretatio est facienda, quando ea nulli præjudicant, ex cap. *Olim de verb. signif.* ubi dicitur : « *Cùm beneficia principum sint interpretanda largissimè.* » Sed si agatur de Rescriptis super beneficiis ecclesiasticis obtinendis, quia talia Rescripta habentur ut ambitiosa, strictè sunt interpretanda et restringenda. Ità communiter et habetur expressum cap. *quamvis* 3. *de Præb.* in 6°, ubi dicitur : « Litteræ super obtinendis » beneficiis debent, cùm *sint ambitiosa*, restringi. »

Quomodò intelligi debeant rescripta quæ privilegium conferunt dicetur infra de privilegiis.

56. Quærit. 6°. Quænam clausulæ rescriptis inserantur, vel saltem in iis subintelligi debeant?

Resp. has duas clausulas, vel inseri semper omni rescripto sive gratiæ sive justitiæ, vel in iis semper intelligi debere scilicet : 1° *Si ita est;* vel quod idem est : *Si preces veritate nitantur;* undè si opponatur narrata non esse vera, onus probandi incumbit impetranti.

57. 2° *Salvo jure alterius.* Nam Papa non intendit ullius juri derogare, nisi exprimat: textu expresso, cap. *Ex parte* 2, *de Rescriptis*, cap. *Pastoralis, de Privilegiis* (Reiff., *ibid.*, n° 141, etc). Unde ex regulâ 18 Cancellariæ romanæ, S. Pontificis non est intentio quòd « per quamcumque » signaturam seu concessionem, aut gratiam vel litteras » apostolicas pro commissionibus, etc... etiam proprio » motu et ex certâ scientiâ, ac etiam ante motam litem a » Sanctitate Suâ emanaverint, vel de ejus mandato facien» das, nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur. » Excipiendi sunt tamen quidam casus, v. g. si ex se tertio gratia præjudicaret et constet de scientiâ concedentis, ut puta, si Papa aliquem eximeret à jurisdictione Episcopi, vel beneficium dismembraret, etc. Vid. alios casus ap. *Prælect. Sancti Sulpitii* (n° 53).

Sunt multæ aliæ clausulæ singulis rescriptis insertæ de quibus sigillatim loqui hic non vacat. Vide ap. S. Liguor. (*de Privileg.* n° IV) quomodo sint intelligendæ clausulæ *Ad instar; Quatenus sacris canonibus non adversetur; Supplentes singulos defectus.*

58. Quærit. 7° An necessariò sit semper servanda forma in rescriptis præscripta?

Resp. Affirmative, ita ut si *in substantialibus* non observetur, actus inde sequens ipso jure sit irritus. Patet ex cap. *Cùm dilecta,* 22, *de Rescriptis.*

Dictum est, *in substantialibus:* si forma præscribatur additâ illâ clausulâ: *Non aliter.. Sic nec alio modo.. Si secus fiat, irritum sit et inane*, etc., clarum est quòd talis forma sit substantialis. Item si Papa determinet certum ordinem procedendi, talis ordo semper præsumitur esse de substantiâ, *nisi contrarium appareat;* ex citato capit. *Cùm dilecta,* præsertim si ille ordo sit alius vel in alium finem ac jus commune requirit. Nam si præscriberet eumdem ordinem qui à jure communi determinatur, in casu quo ille ordo de jure communi ad substantiam actûs non pertinet, v. g. si potestas dispensandi concedatur in matrimonio, trinis denuntiationibus præmissis, tunc illa forma non esset de substantiâ.

Dixi *nisi contrarium appareat :* nam, vel ex materiâ subjectâ aut modo loquendi, aliisve circumstantiis, aut ex Curiæ consuetudine, sæpe colligi potest non fuisse mentem delegantis per talia verba præscribere novam formam substantialem, sed solummodo instructionem facere pro meliori negotii expeditione. (Reiffenst. *Ibid.* n° 144-151).

59. Quærit. 8° An et quando obreptio aut subreptio vitiet rescriptum. Hæc autem duo, quantùm ad propositam quæstionem non differunt. Porrò locus est obreptioni aut subreptioni in rescriptis, quando per supplicationem exprimitur falsitas vel tacetur veritas de jure exprimenda. Nunc:

Resp. Distinguendum esse inter eos qui *per fraudem* vel *malitiam,* et illos qui per *simplicitatem* vel *ignorantiam,* tacitâ veritate, vel expressâ falsitate, litteras impetrant apostolicas.

Qui per *fraudem* impetrant. « In suæ perversitatis pœnam » nullum ex illis litteris commodum consequuntur. » Ità cap. *Super litteris,* 20, *de Rescriptis.*

Qui per *simplicitatem* vel *ignorantiam,* si, cessante subreptione vel obreptione, nihilominùs Papa concessisset rescriptum, saltem in formâ communi , rescriptum non vitiatur in suâ substantiâ; unde in hoc casu, si judex v. g. delegatus fuisset ut *de plano* et *appellatione remotâ,* procederet, delegatio valeret quidem, sed judex procedere deberet juxta juris ordinem (Card. Soglia. *Inst. Jur. publ.*, § 30).—Si, cessante subreptione, etc., nullo modo Papa dedisset rescriptum, vitiatur illud in totum. Idem cap. *Super litteris;* Concordat cap. *Si pro clero,* 8, *de Præbendis* in 6°, ubi taciturnitas defectûs ordinum ad beneficium requisitorum, non vitiat rescriptum beneficium concedens quando impetrans, intra tempora à jure statuta, potest eos suscipere : quia, illo defectu cognito, Papa concessisset rescriptum. (Reiffenst. ut suprà, n° 165).

60. Quærit. 9°. Utrùm rescriptum subreptitium sit nullum ipso jure, vel duntaxat ope exceptionis ?

Resp. Rescriptum gratiæ est ipso jure nullum, ut desumitur ex cap. ultimo *de filiis presbyt.* Concordat caput *Ad audientiam,* 31 ; et adhuc clarius Clement. I, *de Præbendis.*

Secus est in rescriptis justitiæ, quæ non vitiantur ipso jure; sed duntaxat ope exceptionis, ut constat ex cap. *Si autem* et cap. *Plerumque* 23, *de Rescriptis*. Undè processus vi illorum factus, validus est, nisi adversarius de subreptione ipsorum excipiat. Ratio disparitatis inter rescripta gratiæ et rescripta justitiæ, est quòd per priora statim jus impetranti acquiratur et difficilioris sint impetrationis; dùm per posteriora, nullum jus datur impetranti, sed committitur tantum cognitio negotii certis judicibus delegatis, unde faciliùs conceduntur. Adde quòd, quando adversarius non excipit, judex procedit de communi partium consensu. (Reiffenst., *ib*. 170-174).

61. Quærit. 10°. Utrùm subreptio contingens in unâ parte rescripti plures habentis partes, vitiet totum?

Resp. Si subreptio non fuit dolosa, sed per ignorantiam vel simplicitatem, non vitiat totum, sed illam duntaxat partem cujus fuit causa. Ità communiter. Si fuit dolosa, probabilius est, inquit Reiffenst., vitiari totum rescriptum, ex cap. cit. *Super litteris*.

Sunt tamen auctores qui dicunt tunc vitiari totum rescriptum solummodo in parte in quâ fuit subreptio dolosa. Ità Sanchez et Laymann (Reiff., *ib*. 174-177).

62. Quærit. 11°. Utrùm vitientur rescripta quandò subreptio contingit circa causam non motivam, sed impulsivam tantùm?

Causa rescripti *motiva* seu principalis est illa, quâ non existente, Papa rescriptum non concederet, vel saltem non nisi restrictè et sub certis limitationibus; causa verò *impulsiva* seu secundaria est ea, quâ non existente, concederetur rescriptum, quamvis non tam facilè.

Resp. Subreptio aut obreptio contingens circa solam *causam impulsivam* non vitiat rescripta. Constat ex variis cap. juris quæ citantur à Reiffenst. (*ibid*. n° 185 et 186), ratio quòd ad validitatem rescripti sufficiant potestas et voluntas ex parte concedentis; porrò adsunt hæc duo, dum, remotâ subreptione in causâ impulsivâ, Papa concederet rescriptum.

63. Ex dictis deducitur responsio ad casum quo plures

allegantur causæ finales seu motivæ, quarum quælibet ex se est sufficiens ad impetrandam gratiam, et tamen una duntaxat est vera; validum est tunc rescriptum ex regulâ juris 37 in 6° : « *utile non debet per inutile vitiari ;* » quia illæ causæ de facto non sunt motivæ seu principales, præter unam quæ supponitur vera. Nec obstat quòd in quocumque rescripto subintelligatur clausula, *Si preces veritate nitantur ;* quià hæc regula locum habet tantùm quandò subreptio contingit in substantialibus; porrò causa impulsiva non est subtantialis. (Reiffenst. ibid. 186-192).

64. Quærit. 12° Undenam dignosci possit subreptionem contigisse tantùm circa causam impulsivam, et non circa motivam seu principalem?

Resp. Id dignosci potest: 1° si unica causa exprimatur in litteris dispensationis; hæc est certè motiva causa, et non impulsiva tantùm: quia est ratio rescripti. 2° Imprimis desumendum est ex stylo Curiæ romanæ quænam causa sit motiva, aut impulsiva solùm: si de stylo non constet, arbitrio viri prudentis seu judicis relinquitur discernendum, qui, ait Reiffenst. (n° 195), id judicabit, ex jure communi, consuetudine in similibus observari solitâ, aliisque circumstantiis. Si omnibus his adhibitis, supersit dubium, subreptio probabilius haberi debet ut impulsiva tantùm: quia in dubio standum est pro valore actûs, seu rescripti.

65. Quærit. 13° Quænam exprimenda sint in rescriptis ut non censeantur subreptitia?

Resp. In rescriptis justitiæ duo potissimum sunt exprimenda videlicet: 1° In posterioris impetratione fieri debet mentio prioris. 2° Mentio de pendentiâ litis et processu coram alio judice inchoato, quando talis subest; cap. *Inter monasteria, de sent. et re judic.*

In rescriptis beneficialibus, ut valeat impetratio beneficii ecclesiastisi, mentio fieri debet alterius beneficii, quantumvis modici, si quod impetrans jam habet. Cap. *Cùm ideo* 17, *de rescript.*, et cap. *Si proponente* 42, *ejusd.*

Rescriptum quodcunque gratiæ impetratum contra consuetudinem, vel statutum particulare cujuspiam Ecclesiæ, non valet, nisi fiat mentio ejusdem, saltem per clausulam

derogatoriam, *Non obstantibus statutis et consuetudinibus contrariis* (cap. *Constitut.* 19, *de Rescript.*) Ratio est quia mens Pontificis non est velle derogare laudabilibus locorum consuetudinibus, vel statutis, nisi id exprimat. Hinc defectu talis clausulæ in prædicto casu, cassatur rescriptum beneficiale, quod fuerit impetratum, non factâ mentione de certo numero canonicorum, qui per statutum juramento firmatum, et à Romano Pontifice confirmatum, constitutus fuerat (Reiff. ibid. 197-200).

66. Quærit. 14° Utrum *motus proprius* tollat vitium subreptionis in rescriptis? Per motum proprium intelliguntur etiam rescripta S. Pontificis, in quibus hæc clausula *motu proprio* inserta habetur.

Resp. Clausula *motu proprio* in rescriptis Pontificiis supplet vitium subreptionis ex taciturnitate veri necessariò exprimendi. Ita omnes juxta Sanch. *De Matrim.* lib. 8 disp. 21 n° 47 et patet ex cap. *Si motu proprio* et Clement. *S. Romanus* 4, *de Præbend.*

Quidam casus excipiuntur: 1° si causa falsa exprimatur, sive à supplicante, sive à Pontifice: quia Pontifex non vult gratiam concedere si causa à se expressa, vel causa finalis ab impetrante allegata, non subsit.

2° Si taceatur inhabilitas personæ; v. g. si careat ætate, aut patiatur defectum natalium, vel aliàs sit irregularis; quia *motus proprius* non continet dispensationem talium defectuum.

3° Motus proprius nihil operatur in præjudicium tertii: v. g. si Papa conferat beneficium quod est juris patronatûs, et de hoc nulla fiat mentio. Ratio est, quia S. Pontifex non censetur velle præjudicare juri tertii, *nisi exprimat*. Ex capit. *Quamvis* 8, *de Rescript.*: « Quo casu derogatio » prodest, si de publicâ causâ agatur, in quâ jus tertii » juri publico postponatur. At, si de causis privatis age- » retur, plures DD. dubitant utrum Pontifex sine causâ » possit jus quæsitum auferre; et idcirco rescripta » hujusmodi, si qua forte Pontifex dederit, eo animo » dedisse videtur, ut effectum consequerentur, si et qua-

» tenus præjudicium tertii vitari possit. » Ita Soglia, *Inst. Jur. publ.* 31. V. Reiffenst. (*ibid.* n° 202-209).

67. Quærit. 15°. Utrum error latinitatis vitiet rescriptum?

Resp. Manifestus error latinitatis, si non sit omnino levis, vitiat rescriptum; patet ex cap. *Ad audientiam* 11, *de Rescriptis;* nisi aliunde de veritate litterarum appareat.

Dixi 1° *Manifestus:* aliter dicendum esset, si legitimitas verborum salvari posset per subauditionem, vel quamdam figuram.

2° *Si non sit omnino levis:* nam secùs de errore levi, de defectu unius litteræ, vel syllabæ; talis enim defectus faciliùs subterfugit oculos etiam plurium; unde ex cap. *Ex parte, de fide instrument.*, rescriptum apostolicum, pro eo quòd in hâc dictione *spoliârunt*, hæc littera *o* deerat, declaratur non esse vitiosum (Reiff. *ib.* 213-215).

68 Quærit. 16°. Quid dicendum de errore in nomine vel pronomine?

Resp. Hujusmodi error non vitiat rescriptum, si constet de corpore seu personâ pro quâ fit concessio; ratio est quia rescriptum non conceditur propter nomen sed propter personam supplicantis (Cap. *Intelligentia*, *de Verb. signif.*). Nec obstat cap. *Significante* 34, *de Rescript.*, ubi propter errorem in nomine diœcesis cassatur rescriptum, quia in casu, error diœcesis fuerat causa cur ad certos judices potius quam ad alios negotium fuerat commissum à Pontifice. (Reiffenst. *ibid.* n° 220-223).

69. Quærit. 17°. An et quando rasura vitiet rescriptum?

Resp. 1° Si rasura in rescripto pontificali facta fuerit ab impetrante, vel utente, quantùmvis modica fuerit etiam unius syllabæ, unius litteræ vel puncti, inquit Fagnan., in cap. *Ex conscientiâ*, tunc rescriptum falsum redditur, et sic radens efficitur falsarius ac excommunicatus (Glossa in cap. *Licet*, vers. *tenuem*, *de crimine Falsi*.

2° Si ab alio facta fuit rasura vel cancellatio: aut adest in loco suspecto, et tunc rescriptum nihil probat ac rejici potest, ex cap. *Cùm venerabilis, de relig. domibus;* aut reperitur in loco non substantiali adeoque non suspecto, et rescriptum vitiosum non redditur. Ex cap. *Ex litteris*, *de fid. instrum.*

Quando rescriptum adhuc clausum et signatum coram Ordinario exhibitum fuit, tunc rasura, si adsit, non præsumitur facta ab impetrante (Reiffenst. 224-229).

70. Nota quòd « Rescripta et litteræ, tam Papæ quam » Legati..., quæ publicam habent executionem, debent ante » omnia Ordinariis exhiberi, quorum officium est exami- » nare utrum suppressione veri, aut suppositione falsi, » aliove gravi defectu, litteræ apostolicæ vitientur; adeo- » que suum, ut vocant *visa* et approbationem scripto appo- » nere vel denegare, executionem permittere aut prohibere, » aut suspendere, cap. *Quod super his*, *de fide instr.* et cap. » *Porrò*, *de Privileg*... Concil. Trident... in ejusmodi litte- » rarum apostolicarum examine, decernit Episcopos esse » Apostolicos Delegatos : sess. 13. C. 5, sess. 22 cap. 5 » et sess. 24. C. 11. » (Cabassut, *Jur. canon. theor.* lib. 1, cap. 6, n° 18.) Vide infra dicenda (1564, etc.)

71. Quærit. 18°. Quomodo cessent rescripta?

Resp. 1° Rescripta justitiæ, morte concedentis expirant, *si res sit adhuc integra*. Ita communiter, ex cap. *Licet undique*, *de officio delegati*. Porrò res desinit esse integra per citationem factam ante obitum. Idem dicendum est in casu renuntiationis et translationis vel depositionis concedentis. Cap. *Gratum*, 20 *de officio delegati*, et cap. *Relatum*, de quo vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 274, III, et Bouix, *de Judiciis*, t. 1, pag. 160 et 161.

2° Quoad rescripta gratiæ, vel continent gratiam factam : et tunc, etiam re integrâ, non expirant morte vel demissione concedentis; quia jam impetranti jus fuit acquisitum (cap. *Si super gratiâ*, 9, *de officio delegati in* 6°); vel continent tantùm gratiam faciendam, seu concessam non in proprium commodum recipientis litteras, sed in alterius duntaxat favorem; et tunc expirant morte vel renuntiatione concedentis, re integrâ, ex cap. *Si cui nullâ* § fin., *de Præb.* in 6°. (Reiff. *ib.* 232-252)

72. Porrò rescripta continent gratiam factam, quando commissio datur cuipiam vel communitati conferendi aliquid, v. g. absolvendi personas indeterminatas, vel cum eis dipensandi (cap. *Si cui nulla*, *de Præb.* in 6°) : quia sic

posse generaliter conferre gratiam est magna prærogativa. Si verò persona, cui favor est impertiendus, determinetur in rescripto, tunc impetrans vel est necessarius executor gratiæ concedendæ, vel solùm voluntarius; in primo casu, gratia est reverà facta illi cui est impertienda ab executore, nec expirat morte concedentis, etiam re integrâ: tales sunt ordinariè dispensationes pro matrimonio. In secundo casu, gratia nondum est facta, sed facienda à commissario si voluerit, aut expedire judicaverit; ac proinde expirat morte vel renuntiatione, etc. concedentis, re integrâ. (Reiffenst. *ibid.* 253-258. *Prælect. S. Sulpit.* 274-276.)

73. Quærit. 19° Utrum expirent morte concedentis rescripta concessa sub clausulis, *usque ad beneplacitum nostrum,* vel *Sanctæ Sedis*, vel *donec revocavero*, etc.?

Resp. Rescriptum concessum sub clausulâ *usque ad beneplacitum nostrum*, per mortem concedentis expirat, ut est expressè decisum cap. *Si gratiosè, de Rescriptis* in 6°: quia per obitum extinguitur beneplacitum. S. Liguorio tamen dicit (*de Privileg.* XIII) privilegium concessum cum clausulâ *donec voluero*, probabiliter non expirare per mortem concedentis. Imò Bouix, loquendo de licentiis ab Episcopis datis regularibus *ad beneplacitum*, dicit esse communem sententiam eas non expirare per mortem concedentis (*de Regul.* t. 2. p. 249).—Sed cap. *Si gratiosè* modò citato, videtur esse standum, saltem pro rescriptis pontificiis. Secus est dicendum, si rescriptum fuerit datum sub clausulâ *usque ad beneplacitum S. Sedis:* quia S. Sedes non moritur (*ibid*); vel *donec revocavero:* quia mors non est actus revocationis. Ità communiter (Reiff. *ib.* 260-263).

74. Quærit. 20° Utrum rescripto rite impetrato possit quis renuntiare?

Resp. Affirmative, si rescriptum in favorem impetrantis cedat: nam cuilibet licitum est juri suo renuntiare (cap. *Si diligenti, de foro competenti*). Si tendat in favorem aliorum, non licet ei renuntiare, si renuntiatio lædat jus acquisitum alterius. (V. Reiffenst. 264-266.)

75. Quærit. 21° Quâ ratione revocentur rescripta?

Resp. Duplici modo revocari: tacitè vel expressè; *tacitè*

per concessionem alterius rescripti contrarii; *expressè* per revocationem prioris concessionis, cap. ult. *de Rescriptis* in 6°, ubi Bonifacius VIII revocavit omnes concessiones à se vel ab antecessoribus factas quibusdam clericis, ut fructus beneficiorum suorum possent percipere in absentiâ. (Reiffenst. *ib.* 271).

76. Nota quòd rescripta justitiæ à die factæ insinuationis valere incipiant. Insinuari autem tandiù possunt quandiù durat actio aut exceptio ob quam impetrata sunt. At si quis per annum insinuationem neglexerit, et interim adversarius ejus aliud rescriptum consecutus fuerit, rescriptum prius expirat. Ita Card. Sogl. *ex Innoc. III*, c. 23, *de Rescriptis.* (*Inst. jur. publ.* § 19, in fine.): « Si rescripta gratiæ nullo » temporis spatio alligata sint, perpetuò valent; videlicet » duratura sunt ad ejus vitam qui rescriptum consecutus » est. At rescripta justitiæ hæredibus et successoribus » etiam prosunt. » *Ibid.* 20.

§ V.

De Conciliorum decretis.

77. Concilia sunt *cœtus auctoritate legitimâ congregati ad tractanda negotia ecclesiastica, de quibus Episcopi pronuntiant.* Bouix, *Concile provincial,* pag. 21.

Controvertitur an Concilia sint institutionis divinæ, V. Card. Gousset. (*Exposit. des principes du droit canonique,* p. 172.) qui probabiliorem reputat sententiam affirmantem : non ideo tamen Concilia œcumenica habenda sunt ut absolutè Ecclesiæ necessaria, sed duntaxat sunt ipsi utilia, saltem ordinariè.

78. Soli Episcopi in conciliis vocem decisivam seu definitivam ex officio habent; hanc autem ex privilegio tantùm habent Cardinales non Episcopi, aut Abbates aliæque Dignitates in conciliis generalibus. (Card. Gousset, *Exposition,* etc., pag. 185).

Circa quod non est prætermittenda sequens propositio à Pio VI in Bullâ *Auctorem fidei* damnata, n° 11, § 2. « Doctrina

» quâ Parochi aliive sacerdotes in synodo congregati, » pronuntiant unà cum Episcopo tanquam judices fidei, » et simul innuitur judicium in causis fidei, ipsis compe» tere jure proprio et quidem per ordinationem accepto— » (declaratur): *falsa*, *temeraria*, *ordinis hierarchici sub»versiva*, *detrahens firmitati definitionum judiciorumve* » *dogmaticorum Ecclesiæ*, *ad minus erronea*. »

79. Concilia alia sunt generalia seu œcumenica, alia particularia; quæ iterum sunt, vel nationalia, vel provincialia, vel diœcesana.

Generalia, illa sunt ad quæ convocantur omnes Ecclesiæ universalis præsules. Minimè tamen requiritur ut adsint reverà omnes Ecclesiæ Episcopi, sed sufficit quòd convocentur. Vocarique debent auctoritate Romani Pontificis, qui per seipsum vel per suos Legatos præesse debet, et ad quem etiam pertinet acta concilii confirmare. (Devot. *Prolegom.* cap. 3, § XXXVIII). Concilium autem non potest esse verè œcumenicum nisi à S. Pontifice confirmetur, saltem quando ipse non præfuit nisi per Legatos. Card. Gousset, ut supra p. 194, vid. infr. dicenda (n° 689).

80. Quando non convocantur Episcopi totius Ecclesiæ, tunc concilia sunt particularia. Nationalia sunt quidem, si vocentur ad concilium Episcopi totius alicujus nationis; convocari verò debent vel à Patriarchâ, aut à Primate, vel ab alio auctoritatem habente; non autem possunt convocari à Principe sine consensu S. Pontificis, etiam postulantibus ipsismet Episcopis (Card. Gousset, *Exposition*, etc., p. 239-241). Provincialia sunt, quando à Metropolitano vocantur Antistites unius provinciæ; diœcesana verò quando Episcopus congregat in synodum Clerum suæ diœcesis, ut de his tractet quæ spectant ad curam pastoralem. Bened. XIV, *de Syn. diœces.* lib. 1. cap. 1.

81. Primis Ecclesiæ sæculis, concilia provincialia bis in anno erant celebranda, ut videre est in canone 36 Apostolorum, can. 5. concilii Nicæni 1., canone 20 concilii Antiochiæ, anno 341. Hanc celebrationem semel tantùm singulis annis, concilia œcumenica Constantinopolitanum III et Nicænum II, præscripsere; quam Concilium Late-

ran. V et Tridentinum reduxere ad quodlibet saltem triennium (Trid. sess. 24 cap. 2, *de Ref.*). Sed rariùs, varias ob causas, à longo tempore fuerunt congregata. (Bouix, *Concil. provinc.*, p. 420-425).

Tacitè consentire videtur S. Sedes quòd, singulis trienniis, non convocentur concilia provincialia : quippe non solùm in Galliâ, sed et in Germaniâ, Austriâ, Hispaniâ, imò in Italiâ et in Statu Ecclesiastico, perpauca habita sunt, à tribus sæculis, si excipias provinciam Mediolanensem, tempore S. Caroli. (Auct. *Prælect. S. Sulpit.* 201).

82 Ad concilium provinciale convocari debent : 1° omnes provinciæ Episcopi, qui, legitimo impedimento cessante, convenire tenentur, et si vocati « defuerint, sicut prisca » canonum præcepit auctoritas, usque ad proximam » synodum, à charitate fratrum et Ecclesiæ communione » priventur. » (Dist. 18 can. 14). Hujusmodi pœnæ sunt ferendæ sententiæ, juxta S. Congr. Conc. V. Card. Gousset, (*Exposition*, etc., n° 286), et Concil. Trident., (loco supra citato).

2° Convocari debent etiam Capitula cathedralia ut per suos delegatos adsint : constat praxi perpetuâ Ecclesiæ et cap. *Etsi* 10, *de his quæ fiunt à Præl.*

3° Quoad Abbates et alios Prælatos inferiores, si habeant in clerum et plebem jurisdictionem quasi-episcopalem, jus habent ut convocentur et adesse debent; secùs, si hanc jurisdictionem non habeant, quamvis ordinariè invitentur. *V. Prælect. S. Sulp.* n° 202.

4° « Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, ali- » quem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus » synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quæ » ibi ordinata fuerint, observent ac observari faciant. » (Conc. Trid. Sess. 24, cap. 2).

83. Nota quòd, impedito Metropolitano, aut vacuâ ipsius sede, convocari debeat concilium ab antiquiore provinciæ Episcopo. (*de Syn. diœces.* lib. 2, c. 9. n° 8).

84. Non omnes qui convocantur ad synodum provincialem, idcirco jus habent in eo suffragandi; sed hoc competit duntaxat : 1° Episcopis provinciæ præsentibus;

2° Abbatibus, seu Regularibus seu Commendatariis, jurisdictionem quasi-episcopalem habentibus; 3° saltem probabiliter, Vicariis capitularibus, sede vacante. Ita multi ap. *Prælect. S. Sulp.* n° 202. Majoritate votorum negotia in Concilio sunt definienda. Vocem præponderantem non habet Metropolitanus, etiam casu quo suffragia scinduntur, et tunc res in suspenso manent. (*Ibid.*)

85. Causæ, in Concilio provinciali pertractandæ, sunt præsertim disciplina, reformatio abusuum et criminum repressio.

Plerumque in eo non agitantur causæ ad fidem pertinentes. Si tamen hæreses fuerint subortæ, vel opiniones contra bonos mores, illas potest synodus condemnare; sed ipsius judicium, nonnisi accedente solemni Sedis Apostolicæ confirmatione, reponendum est inter dogmata fidei. Sic concilia Carthaginense et Milevitanum hæresim Pelagii damnaverunt; et Arausicanum profligavit Semipelagianismum. Memores esse debent Episcopi ipsis non licere definire quæ liberæ catholicorum disputationi dimittuntur. *Prælect. S. Sulp.* n° 203.

86. Asserunt plures concilia provincialia, imò et nationalia, nihil, etiam antiquitùs, decernere potuisse *præter sententiam Romani Pontificis;* quod in hoc tantum sensu verum est quod Papæ semper pateret recursus; Cf. Muzzarelli, *Remarques sur l'hist. de Fleury*, p. 150. Textus autem can. 2 Dist. 17 : « Nec » ullum ratum est, aut erit unquam concilium, quod » non fultum fuerit ejus (R. P.) autoritate » est apocryphus, ex Pseudo-Isidoro. Nunc acta conciliorum, antequam publicentur, subjicienda sunt S. Sedis correctioni; et concordat hodierna praxis (Bouix, *Conc. Prov.*, p. 368-405, et Card. Gousset, *Observ. sur un mém. adressé à l'épiscopat*, p. 101). Constat lex ex Const. *Immensa* Sixti V, ubi ait: « Provincialium verò, ubivis ter» rarum illa celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet » (C. Concilii), eaque singula expendet et recognoscet.»

87. « Non quidem hoc statuit Pontifex, ut postea con» firmationem reportent (hæc decreta) à Sede Apos-

» tolicâ, sed ut corrigatur, si quid fortasse, in iisdem, » aut nimis rigidum aut minùs rationi congruum depre» hendatur. Non semel tamen accidit à S. Pontifice, peten» tibus Metropolitanis .. per apostolicas litteras confir» mari. » Ita Bened. XIV (*de Synod*, liber 13, cap. 3); qui addit, juxta Suarez et Fagnan. « confirmationem Pontificis, » robur quidem adjicere actui confirmato, sed nequaquam » extendere (ad universalem Ecclesiam); nisi aliter supe» rior expresserit. » Non tamen hæc confirmatio sanat defectus juris si fortè in decretis Concilii provincialis irrepserint, nisi confirmatio fuerit in *formâ specificâ* cum clausulâ ex *motu proprio* et ex *certâ scientiâ*. Unde, præfato casu excepto, ab iis appellari posset. Vide Bouix, *de Episcopo*, t. 2, p. 392; et præsertim, *Revue des sciences ecclésiastiques*, 20 février 1861, p. 152-155. Unde juxta Card. Gousset, *Exposition des principes*, etc. p. 157. « Le jugement » des Cardinaux est... la déclaration qu'un Concile (pro» vincial) ne renferme rien qui soit digne de censure..., » quoiqu'il arrive quelquefois que ce concile contienne, » même après avoir été corrigé, certains règlements que » la Congrégation tolère plutôt qu'elle n'approuve. Le » Saint-Siége garde le silence quand il ne croit pas oppor» tun de réclamer, attendant que le temps et les circons» tances lui permettent de le faire sans inconvénient. » Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, nº 204; et plura alia circa concilia provincialia ap. Bouix (*du Concile provincial*); et ap. Card. Gousset. (*Exposit.*, etc. nº 265-322). Quoad concilium seu synodum diœcesanam, vide quæ dicturi sumus infra (937).

88. Nota tamen hìc quòd decreta synodalia non sint necessariò submittenda Sacræ Congregationi Concilii, antequam executioni demandentur, v. Bened. XIV, *de Synod.* lib. 13, cap. 3, nº 6, et Bouix, *de Episcopo*, t. 2. p. 391.

89. Quærit. 1º Quænam sit auctoritas Conciliorum?

Resp. Vim legis universalis habent, et sunt unus ex fontibus juris canonici strictè sumpti, si sint œcumenica. Eamdem verò vim non habent quando sunt particularia, nisi S. Pontifex, ea confirmando, ipsorum obligationem extendat ad totam Ecclesiam, aut hujusmodi extensio-

nem obtineant per legitimam consuetudinem; ratio patet.

90. Quærit. 2° Utrùm ad derogandum decretis Concilii generalis requiratur expressa hujus mentio?

Resp. Non paucos affirmare, qui et exigunt quòd fiat derogatio similibus verbis : *non obstante quâcumque lege, etiam in Concilio generali editâ.* Imò Sanchez et plures alii dicunt quòd, si agatur de aliquo concilio generali novissimo, ut nunc est Tridentinum, expressa debeat fieri mentio hujus concilii nominatim. Sed Reiffenstuel, citans Fagnanum, dicit quòd si derogetur per posterius decretum Concilii generalis, vel per novas Constitutiones pontificias nullâ opus sit mentione expressâ concilii cui derogatur; sufficit quòd novum decretum vel nova Constitutio sit eidem directè contrarium vel contraria : quia in his casibus applicari potest decisio, cap. 1. *de Constit.*, in 6°, ubi dicitur : « Licet » Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui » censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, » priorem, quamvis de ipsâ mentionem non faciat, revo- » care noscatur, etc. »

91. Si verò derogetur per rescripta apostolica, nisi agatur de Concilio Tridentino, tunc necessaria est expressa mentio Concilii; id est enuntiari oportet quòd derogetur *cæteris contrariis, etiam in concilio generali statutis* : Ità Glossa [1] cap. *licet* 1, *de Constit.* verbo *noscatur* in 6° et multi canonistæ, inter quos Card. de Luca, qui hanc sententiam appellat indubiam. Vid. etiam Card. Sogl. *Inst. jur. publici*, § 31; ratio est quia constitutiones et decreta concilii generalis cum summâ maturitate et pro totâ communitate feruntur; non sic autem rescripta quæ diriguntur ad personas particulares, et propter importunitatem petentium quandoque contra jus obtinentur; unde S. Pontifex meritò præsumi debet nolle derogare decretis Concilii generalis, nisi de eo mentionem faciat.

92. Dixi nisi *agatur de Concilio Tridentino* : quia tunc sufficit clausula illa generalis : *non obstantibus constitutionibus*

[1] Ubi dicitur : *Rescripta data contra legem non valent nisi in ipsis fiat mentio de lege.*

apostolicis, vel alia æquipollens; et illud deducitur ex cap. 21 sess. 25 Conc. Trid. *de ref.* in quo Concilium omnia et singula quæ statuit, de *morum reformatione et ecclesiasticâ disciplinâ*, ita decernit ut *in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur*. Talis est praxis Curiæ romanæ. Imò Fagnanus dicit quòd satis sit ut Papa disponat contrarium ejus quod sancivit Concilium, dummodò supplicatio manu Papæ signata fuerit, prout expressè declaravit B. Pius V, in suo motu proprio diei 23 decembris 1566. (Reiffenstuel lib. 1. tit. 2 n° 519-531).

93. Quærit. 3° Utrum concilium Trid. sit receptum in Galliâ quoad disciplinam? Dicitur *quoad disciplinam*: quia quantùm ad decreta fidei, in Galliâ, sicut in universâ Ecclesiâ summo et venerabundo consensu esse receptum nemo ambigit. Ad petitam quæstionem sic respondet Billuart, verbis Joannis Cabassut. et Joannis Pontas :

« Cabassutius, *Notitia ecclesiastica* sæculi 16. *de Con-
» cilio Trid.* hæc habet : *Postremò, Edictum confirmationis
» Sacros. Concilii publicatum Romæ 7° Kalendas Februarii,
» anno 1564, universus Clerus gallicanus, in provincialibus..
» conciliis atque in generalibus sacri Cleri comitiis, Sacro-
» sanctæ hujusmodi Synodi decreta ita amplexus est, ut nefas
» sit eis refragari.*

» Pontas verò, verbo *Bénéficier*, casu 27, sic loquitur gal-
» licè : « Le Concile de Trente a été reçu unanimement
» par l'assemblée générale du clergé de l'Église gallicane
» convoquée et tenue à Paris en l'année 1615, ainsi qu'on
» le voit par les pièces contenues dans les Mémoires du
» clergé : « *Après une longue et mûre délibération*, disent
» les Prélats assemblés, *du commun et unanime consente-
» ment de l'assemblée, la résolution suivante y a été faite :
» Les Cardinaux, Archevêques, Évêques, Prélats et autres
» ecclésiastiques soussignés, représentant le Clergé général de
» France, assemblés par la permission du Roi..., ont unani-
» mement reconnu et déclaré, reconnaissent et déclarent,
» qu'ils sont obligés par leur devoir et conscience à recevoir,
» comme de fait ils ont reçu et reçoivent ledit Concile de
» Trente, et promettent de l'observer autant qu'ils peuvent*

» *par leurs fonctions et autorité spirituelle et pastorale.* »

« Huic decreto suscripserunt 51 tàm Cardinales quàm » Archiepiscopi et Episcopi... et 28 alii ecclesiastici deputati. » (Billuart, *de Regul. Fidei, Dis.,* 5. art. 5, p. 168).

Duodecies jam à rege petierant Episcopi gallicani receptionem Concilii Trid. per gubernium, nec obtinere eam potuerant. Sic in comitiis anni 1578, loquebatur orator Cleri Arnaud de Pontac Episcopus Valentinensis. « Le clergé a » choisi de toutes les règles de réformation celles qui ont » été dictées et écrites par le Saint-Esprit au saint et uni- » versel Concile de Trente, *parce qu'ils sont liés et astreints* » *aux lois ainsi faites* par l'Église universelle sur peine » d'être tenus pour *schismatiques envers l'Église catholi-* » *que...* et d'encourir envers Dieu anathème et perpétuelle » damnation... Il pleure et lamente ce mauvais conseil de » ceux qui vous en ont diverti jusqu'ici. » Porrò hujusmodi denegatio, nisi dicatur auctoritatem Ecclesiæ esse submittendam civili potestati, legitimè impedire non valuit obligationem Concilii in Galliâ. « Ainsi, quoique de fait, inquit » Bouix, (*du Conc. prov.*, 4° partie, chap. 20, p. 505), » certains décrets de la discipline de Trente soient tombés » en désuétude en France, ou même n'y aient jamais été » mis en pratique, comme cela est arrivé en d'autres pays, » où la publication du concile a été faite, il demeure » incontestable que l'autorité ecclésiastique a réellement » et authentiquement reçu ce concile et quant au dogme » et quant à la discipline, sans la moindre restriction. » Vid. etiam Card. Gousset, *Exposition des principes*, etc. (n° 409-414).

94. Nota quòd, ante semper lugendam perturbationem 1789 epochis periodicis fiebant in Galliâ Cleri comitia (assemblées du clergé), ad quæ conveniebant tum certi Episcopi deputati à singulis provinciis ecclesiasticis, tum sacerdotes deputati ex Clero secundi ordinis earumdem provinciarum, ad deliberandum de rebus temporalibus Ecclesiarum et speciatim de subventionibus gubernio à clero præstandis.

Illa comitia, quamvis non semel quæstiones fidei et disciplinæ tractaverint, à conciliis propriè dictis tamen

differebant, tum ratione finis, tum ratione objecti. Et quoad quæstiones ecclesiasticas, evidens est haud potuisse istis comitiis majorem inesse auctoritatem quàm conciliis. Imò reverà nulla iis comitiis inerat vera auctoritas canonica circa hujusmodi negotia, cùm à canonibus non sint recognita.

§ VI.

De Romanis Congregationibus quatenus sunt fontes juris canonici.

95. Multiplici numero sunt Congregationes Romanæ, nempe *Inquisitionis, Indicis, Concilii, Rituum, Super negotiis Episcoporum et Regular.*, etc.; sunt etiam Romæ plura tribunalia, *Pænitentiariæ, Datariæ*, etc., etc. De singulis agetur infra in speciali tractatu (720, etc.).

Hic examinandum est tantùm utrum illarum decisiones vim habeant totam Ecclesiam obligandi : quæstio instauratur præsertim quoad decisiones Congregationis Concilii ob speciales facultates quibus à S. Sede donata fuit.

96. Instituta fuit illa congregatio à Pio IV, anno 1564, ad procurandam observationem decretorum concilii Trid. Huic postea S. Pius V concessit facultatem decidendi causas et controversias interpretationem Concilii spectantes. Sixtus verò V, per Bullam *Immensa æterni*, anno 1589, ei adjecit facultatem, consulto tamen Pontifice, interpretandi dubia et difficultates occurrentes circa reformationem morum, disciplinam, judicia ecclesiastica, etc., reservata tamen semper Sedi Apostolicæ interpretatione decretorum quæ fidei dogmata concernunt et alia multa.

Ipsius auctoritas ad universam Ecclesiam extenditur: sic enim habet Bulla *Immensa* «: Habeat itidem Congregatio, » auctoritatem promovendi reformationem cleri et populi, » nedum in Urbe et Statu Ecclesiastico temporali, sed etiam » in universo christiano orbe, in iis quæ pertinent ad divi- » num cultum propagandum, devotionem excitandam et » mores christiani populi ad prescriptum ejusdem Concilii » componendos. »

97. Ut ad propositam quæstionem nunc deveniamus : Nulli dubium est, inquit S. Liguor. (Lib. 1, nº 106, q. 2), quòd pro casibus, pro quibus fiunt declarationes, obligent ut leges.

Item quòd si promulgentur eâ solemnitate quâ leges ferri solent, cùm id fiat auctoritate S. Pontificis, procul dubio vim legis perpetuæ habebunt totam Ecclesiam obligantis (Salmant. ap. S. Liguor. *ibid.*).

His suppositis, tres sunt sententiæ juxta D. Bouix (*de Principiis*, p. 308).

98. *Prima* negat decisiones Congr. Concilii vim universalis legis habere : 1° Quia Congregatio non utitur verbis imperativis, sed tantùm verbis *censuit, censemus ;* 2° quia non promulgantur ipsius decisiones ; 3° quia sibi non semper concordant. Vide alias rationes, ap. D. Bouix (p. 309.)

Unde juxta patronos hujus sententiæ Pontifex, in hujusmodi decisionibus, non loquitur ut Ecclesiæ caput et Doctor, sed tantùm, ut Præses Congregationis, cui non communicat totam suam auctoritatem et infallibilitatem. (V. S. Liguor, ut supra). Hæc sententia est Sanchez, Bonac., Suar. Croix, Salmantic., etc., etc. ; probabilis habita fuit à S. Liguor., in primis suæ Theolog. editionibus ; sed, in posterioribus editionibus, sic suam primam appretiationem revocavit : « Addendum tamen quòd hujusmodi declaratio- » nes, quæ jam in Ecclesiâ universaliter divulgatæ et facto sic » promulgatæ fuerint usu plurium annorum vel relatione » auctorum communiter ipsas referentium, hæ satis omnes » fideles obstringunt. » (*Elench. retractat. adduntur*, etc. q. II). V. *Revue des sciences eccl.*, janv. 1860, p. 56-61.

99. *Secunda* sententia affirmat : 1° Quia illæ decisiones ejusdem auctoritatis sunt, quando sunt authenticæ, ac si à S. Sede immediatè emitterentur, juxta axioma juris : *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum ;* quippe ad hoc delegata fuit Congregatio, ut constat ex Bullâ Sixti V *Immensa*. Porro declarationes S. Pontificis vim habent totam Ecclesiam obligandi. Ergo, etc. Alia argumenta legi possunt ap. Bouix (*ibid*). — Vide etiam Stremler. *Tr. des peines ecclés.*, p. 509-541, etc. et infra dicenda (785).

Nec obstat eas non fuisse promulgatas: quia promulgatione indigent leges novæ, non autem declarationes de legibus jam promulgatis : dicunt tamen auctores, ait S. Liguor., necessarium esse quòd in ipsâ declaratione exprimatur eam fuisse *latam mandato S. Pontificis*, aut saltem *Pontifice consulto ;* nam in Bullâ Sixti V dicitur: « Interpretandi facultatem (nobis autem consultis) impertimur » Verumtamen concedunt hujusce sententiæ patroni, saltem duas decisiones Congregationis fuisse immutatas. Illa sententia est Fagnani, Reiffenstuel, Card. Luca, Barbosa, Bouix, *de Principiis*, p. 308-320. Vide etiam plures alios, in Diario *Univers*, 22 oct. 1859, citatos.

100 *Tertia* sententia distinguit inter declarationes, quæ vocari possunt *comprehensivæ,* quia non recedunt à propriâ verborum significatione; et declarationes, quæ vocantur *extensivæ*, quia aliquid denotant non comprehensum in propriâ verborum legis significatione. Priores habent ubique vim legis et etiam effectum retroactivum, ob rationes allatas pro secundâ sententiâ, posteriores verò vim non habent, nisi ex speciali mandato Papæ edantur et legitimè promulgentur; quia sunt novæ leges, auctoritatem legislativam exposcentes ; et effectum retroactivum nequeunt habere. Hæc sententia est Schmalzgrueber Vide etiam Stremler *des Peines ecclés.*, p. 542, etc., 548, etc. Rationi allatæ à Schmalzgrueber respondent patroni primæ sententiæ, ap. S. Liguor., quòd tales declarationes, quando fiunt de rebus dubiis, in quibus exstare possunt opiniones contrariæ circa intelligentiam legis, se habent ut novæ leges, ideoque promulgandæ sunt. Sed istius tertiæ sententiæ sequaces negant præfatas declarationes esse novas leges, quia, in factâ hypothesi non mutatur lex, sed explicatur; porrò ut decisio ab auctoritate competenti dimanans obliget, requiritur quidem ut innotescat; non verò requiritur ut promulgetur seu intimetur communitati, prout fit quando de lege statuendâ agitur; decisio enim non est mandatum sicut lex. Ergo, etc. (Bouix, *de Curiâ Romanâ*, p. 349, etc. Stremler, *ibid.* p. 543, etc. Bened. XIV, *Instit.* 10 et 80). Constare tamen debet de authenticitate

declarationum : porrò « La signature du Cardinal Préfet » avec celle du Secrétaire et le sceau de la Congrégation, » confère l'authenticité aux résolutions et sentences, et » leur donne force légale devant les tribunaux et magis- » trats inférieurs, qui doivent ajouter foi aux résolutions » présentées sous cette forme authentique » Ita Analecta col. 2378, ubi varia decreta allegantur. V. Card. Gousset, *Exposit. des principes*, p. 128. Attamen ut in conscientiâ obligent declarationes S. Congr. sufficit hodie, juxta communem sententiam, ut de illis certò constet. Vide Bouix, *de Curiâ Romanâ*, p. 331. Imò juxta Stremler, *des Peines eccl.*, p. 562, hoc etiam sufficit coram tribunalibus et magistratibus.

101. In suo tractatu *de Principiis* (p. 308) D. Bouix concedebat licitum esse denegare declarationibus Congreg. Concilii rationem et vim legis obligantis. Saltem in dubio an ipsæ habeant, nec ne, vim obligantem, eas non obligare dicit Laymann, ap. S. Liguor. ut supra; sed suam sententiam retractavit D. Bouix in suo Tract. *de Curiâ Romanâ* (pars 3, cap. 7); sic enim concludit : « Hodie probabilem » non esse nec in praxi tutam sententiam quæ S. Congreg. » concilii declarationibus vim legis universalis denegat, » eò quòd S. Congreg. non privatâ, sed apostolicâ Aucto- » ritate, urgeat observationem suarum declarationum, et » eos redarguat, qui his non obtemperant. » Vide Stremler, *ibid.*, p. 557-560.

102. Imò si ageretur de declarat. Congr. Rituum, etiam non promulgati, consuetudo, etiam inveterata, ipsis cedere debet, juxta varias decisiones hujusce Congr. præsertim 3 aug. 1839 et 11 sept. 1847[1].

Sed in omni hypothesi negari nequit hujusmodi declarationes esse summi ponderis, prout satis probat communis canonistarum praxis terminandi quæstiones, adducendo decisiones Congregationum Romanarum. Vide Bened. XIV. *Instit.* 107, nº 6. Temeritate autem difficilè carere videretur qui suum judicium prævalere vellet sententiis Congrega-

[1] Vide *Rev. des Sciences eccl.*, 15 février 1860, p. 121.

tionum, quas amplissimi Cardinales, ecclesiasticæ disciplinæ et sacrorum canonum peritissimi, constituunt.

103. Similis est Controversia circa auctoritatem decisionum aliarum congregationum. Nota ex Schmalzgrueber (*Jus ecc. dissert. proœm.*, n° 384) quòd : « Uniformitates » responsorum ac sententiarum super eodem articulo » sæpiùs et uniformiter redditorum, inducit stylum et » praxim Curiæ; stylus autem et praxis Curiæ jus facit. » Ita communiter DD.: « decisiones *Rotæ* minorem utique » quàm declarationes S. Congreg. auctoritatem habent. »

« An verò regulæ Cancellariæ[1] obligent ubique ? negat » Lessius.... qui ait obligare tantùm in Curiâ Romanâ, » et huic adhærent Diana et alii. Sed affirmat Mazzot. cum » Azor, Gomez, etc.; quia sic fert praxis » (S. Liguor. » lib. 1. 106).

Huic sententiæ fortiter adhæret D. Bouix, qui ait (*de Princip.* p. 291) : « Regulæ illæ tanquam pars juris com» munis habendæ sunt, non minus ac cætera Pontificis » decreta, quæ de disciplinâ universali disponunt. » Item Card. Gousset, *Exposition*, p. 114. Sed iis per Concordata in pluribus fuit derogatum, ut dicemus infra. (202 447, 455, etc.).

§ VII.

De Consuetudine quatenus est fons juris canonici.

I.

DE NATURA CONSUETUDINIS ET VARIIS IPSIUS SPECIEBUS.

104. — I. Consuetudo de quâ hìc agitur : alia est *facti* et definitur : « *Similium alicujus communitatis actuum frequentia*. Alia est *juris* quæ vocatur *jus non scriptum*; et definitur ab Isidoro : « *Jus quoddam, moribus institutum*

[1] Hujusmodi regulæ sunt numero 72 quas unusquisque S. Pontifex pro sui pontificatûs duratione renovat, postridiè suæ electionis. Primus Joannes XXII illas ordinatim collegit ac transcribere fecit. Card. Gousset, *Exposition des principes*. etc., p. 110 et infra (789).

quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex. » (Cap. *Consuetudo* 3, dist. 1.); et definiri etiam potest: *Jus per similium alicujus communitatis actuum frequentiam acquisitum.* » (D. Bouix, *de Principiis,* p. 323).

Dicitur: 1° *Frequentia*, quia actus per plures vices debent esse repetiti juxta prudentium *arbitrium*, ut dicunt Salmant. cum Palao, Bonac., Suar. etc., contra Less. etc., qui contendunt duos vel tres actus sufficere. (S. Liguor. lib. 1, n° 107).

Dicitur: 2° *Alicujus communitatis;* non cujuscumque, sed quæ sit capax potestatis legislativæ pro seipsâ, vel saltem sufficiens ut vera lex illi possit imponi. (Suar. *de Leg.* lib. 7. cap. 9, n° 6). Communitas ergo quæ familia dicitur, non esset sufficiens, quia lex vera illi imponi nequit, sed præceptum tantùm.

105.— II. Consuetudo 1° Alia est *secundùm jus*, quæ aut legem dubiam interpretatur, aut confirmat et adjuvat deducendo in opus. Alia *præter jus*, quæ aliquid statuit, ubi deficit lex. Alia *contra jus* quæ legem abrogat, vel non sinit illam obligare, quando nondum est accepta.

106. Dividitur 2° In *generalissimam* quæ vim habet in toto christiano orbe; *generalem*, quæ in totâ aliquâ provinciâ; et *specialem*, quæ in aliquâ tantùm urbe, pago, etc.

107. Dividitur 3° In *judicialem*, quæ inducitur pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere: duo judicia conformia intra decennium sufficiunt, modò contrarium, per illud tempus, non sit judicatum. Et *extrajudicialem*, quæ longo populi usu extra judicium inducitur.

108. Quamvis mala consuetudo non sit propriè consuetudo cùm ut talis, jus non faciat, attamen consuetudo solet dividi 4°: in *bonam*, et *malam*, seu rationabilem et irrationabilem: malam esse consuetudinem duplici modo contingere potest: *Intrinsecè* quidem, quando est contra legem naturalem aut divinam; *Extrinsecè* autem, quando ipsius actus prohibentur per legem, vel mali sunt propter adjunctam circumstantiam pravam quæ cessare potest.

Consuetudo mala *intrinsecè* dicitur abusus seu *corruptela,*

et nunquam in jus transire potest; mala *extrinsecè* posset evadere bona per ablationem sive prohibitionis sive pravæ circumstantiæ adjunctæ.

109. Dividitur : 5° In consuetudinem *à jure non repulsam*, et consuetudinem *à jure abrogatam*, *prohibitam et reprobatam* : quæ tria non sunt confundenda : quando lex *abrogat*, hoc intelligitur de consuetudine antea existente quæ abrogatur quidem, sed non ideo declaratur mala aut irrationabilis. Quando lex *prohibet*, illud intelligi debet etiam de consuetudine quæ in futurum introduceretur, quæ tamen non ideo declaratur mala vel irrationabilis. Quando tandem *lex reprobat*, eo ipso declaratur *mala* et *irrationabilis*.

110. Abrogans censetur clausula, *non obstante quâcumque consuetudine*. Prohibens verò consetur : *Nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere*. Reprobantes denique habendæ sunt clausulæ sequentes : *consuetudinem illam penitùs improbantes : cùm non tam consuetudo quam corruptela meritò sit censenda.*

111. Dividitur : 6° In *legitimè præscriptam*, et *non præscriptam*, de quibus infra (quamvis pariter consuetudo non præscripta non faciat jus).

Ex his patet consuetudinem multùm differre à præscriptione quæ introduci potest à privatis personis et tendit ad acquisitionem juris in particulari; dùm consuetudo introducitur tantùm à communitate et inducit jus commune. Aliæ differentiæ videri possunt ap. D. Bouix (*de Principiis*, p. 328).

II.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS UT VIM LEGIS HABEAT CONSUETUDO.

112. Aliæ requiruntur ex parte Communitatis, aliæ ex parte ipsius Consuetudinis, aliæ ex parte Principis.

1. *Ex parte Communitatis*. Consuetudo induci debet à communitate, cui saltem vera lex possit imponi, à majore ipsius parte, ex certâ scientiâ, per actus publicos et etiam liberos, non verò ex vi aut timore elicitos, cum intentione

se obligandi, si agatur de consuetudine *præter jus*, aut etiam fortè cum conscientiâ quòd sit obligata, et non interrumpantur actus ante consuetudinis completionem. Hæc explicatione indigent :

Dicitur ergo : 1° A *communitate cui saltem*, etc.; de eo jam diximus supra (104, dicitur 2°).

113.— 2° *A majore parte ipsius;* quia obligatio inducitur à communitate, consentiente principe; sed à communitate reverà non induceretur, si minor pars tantùm consuetudinem servaret.

In hoc verò notandum est, juxta Suarez (*de Leg*. lib. 7, cap. 9, n° 13, in fine), quòd « omnes conveniunt esse » computandas tantùm personas habiles ad præstandum » consensum..... Unde excluduntur omnes infantes et » amentes. Aliqui etiam omnino excludunt feminas quæ » non possunt legem ferre; et in viris excludunt omnes » minores 25 annis. Neutrum tamen video sufficienter » à jure probari, nec ratione convinci. » Ita etiam » S. Liguor. (lib. 1. n° 107, I.).

114.— 3° *Ex certâ scientiâ:* Communiter auctores requirunt illam conditionem quia princeps non intendit acquiescere consuetudini, nisi communitas velit se eximere à lege, vel sibi legem imponere, quod fieri nequit ubi adest error ex parte communitatis falsò existimantis, vel non adesse legem contra quam agit, vel se teneri ad legem quam per consuetudinem sibi imponit. Sed in hoc aliquod mihi suboritur dubium; nec bene intelligo quomodo conciliari possit illa assertio communis, cum sententiâ multorum qui requirunt bonam fidem in communitate pro stabiliendâ consuetudine legem abrogante. Pro hâc enim sententiâ sunt Glossa, cap. *Non est, de Consuet.*, in 6° verbo *Canonicè*. Suarez lib. 4, *Defens. fidei*, c. 31, 20; Laymann, Lessius etc., ap. Reiffenstuel; Billuart, t. 11, p. 171 *de Just. dissert.* 4, art. 3, *de Præscript.* § 8; *Theologia Tolosana, de Legibus*, in fine. Suarez tamen aliter sentit. *Tract. de Leg.* lib. 7, c. 18, n° 8 et 25. Vide infra (137). Si enim actus eliciti contra hujusmodi leges debeant esse (juxta dictos auctores) immunes à peccato, quomodo præfati actus debent et possunt

fieri cum intentione se eximendi ab obligatione legis? Præterea non clarè percipitur cur princeps non deberet auferre obligationem legis in favorem communitatis quæ contra illam à longo tempore agit quamvis ex ignorantiâ. Tunc enim ablatio legis utilis videtur, cùm ordinariè multùm difficile sit adducere populum ad observandam legem, quæ, etiam bonâ fide, in desuetudinem abiit : nec pariter video cur princeps nequeat obligatoriam reddere consuetudinem quam communitas, per tempus præscriptum, observat ut obligantem, quamvis ex errore sic agat. Hæc tamen sapientiorum judicio omnino submitto.

115. — 4° *Per actus publicos;* ut omnes de populo, vel major pars in præstando consensu possit convenire, et talis consuetudo possit esse nota Principi : ideoque actus debent esse publici, saltem notorietate facti (Suar., *de Leg.*, lib. 7, c. 10, n° 5).

116. — 5° *Per actus liberos,* etc. Quia aliter non censetur consentire superior : præsumi enim nequit velle subditos injusto metu cogi ad sibi imponendas obligationes ad quas non tenentur, vel ad se eximendos ab obligationibus quibus justè obstringuntur. Hæc in multis facilè possunt Galliæ applicari. Vide dicta supra quoad Concil. Trident. (93).

117. — 6° *Cum intentione se obligandi,* etc. Nam si ex merâ devotione agat populus, vim legis non habebit consuetudo : qualis v. g. audiendi quotidie missam, sæpiùs per annum confitendi, vel communicandi, recitandi ter Salutationem Angelicam, cineres recipiendi Quadragesimæ initio, etc. — In dubio utrum ex merâ devotione, an etiam ex voluntate se obligandi, introducta fuerit consuetudo, præsumendum est quòd potiùs ex devotione : item in dubio an sub gravi vel levi, ad culpam, vel pœnam, fuerit intentio se ligandi, benignior pars est tenenda. Animus se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo constanter servetur cum non levi incommodo (v. g. consuetudo jejunandi in vigiliâ Pentecostes), si transgressores puniantur, etc. (S. Liguor., lib. 1, 107, IV).

118. — 7° *Et non interrumpantur*, etc. Est sententia

communis: quia aliter consuetudo non legitimè foret præscripta.

Interrupta autem, etiam per unum actum contrarium, factum ex populo, ex certâ scientiâ, vel per punitionem à superiore inflictam, de novo inchoanda est, alioquin non valebit consuetudo.

Si verò fuerit jam completa et firmata, non revocatur per unum actum populi contravenientis, saltem si esset *præter jus*. Si verò esset *contra jus*, vide infra dicenda de abrogatione consuetudinis per contrariam consuetudinem (145).

119. — II. *Ex parte ipsius Consuetudinis.* — Consuetudo debet esse bona et rationabilis cap. *Cùm tanto* 11, *de Consuetud.* in quo dicitur : « Licet longævæ consuetudinis non » sit levis auctoritas, non tamen est adeò valitura ut vel » juri positivo aliquod debeat præjudicium generare, *nisi* » *fuerit rationabilis* et legitimè sit præscripta. » Ita omnes; et ratio est quia objectum legis debet esse bonum et utile communitati, quod non esset, si consuetudo non esset rationabilis vel bona.

120. Porrò bona et rationabilis habenda erit consuetudo, quando tale erit ipsius objectum quod potuisset esse objectum justæ legis. Unde nec debet adversari juri naturali aut divino, nec à jure canonico reprobari, nec præbere licentiam vel occasionem peccandi, nec esse communi utilitati perniciosa, nec per eam rumpi debet nervus ecclesiasticæ disciplinæ (Reiffenst., lib. 1, tit. 4, n° 34).

121. Hinc 1° non valeret consuetudo non servandi ulla interdicta vel excommunicationes, vel non se subjiciendi visitationi Episcopi; quia sic rumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ (Cap. *Cùm inter., de Consuet.* et cap. *Irrefragabilis* 15, *de Offic. Ordin.*).

122. Item 2° Non valet, sed irrationabilis habenda est, consuetudo adversa libertati et immunitati ecclesiasticæ, nisi nitatur privilegio Sanctæ Sedis. Ita omnes; si excipias Covarruviam et Julium Clarum; quia talis consuetudo reprobatur à jure (Cap. *Noverit*, 4, *de Sent. excomm.*, cap.

Cùm terra 14, *de Elect.* et Bulla *Cœnæ*). (Card. Soglia. *Inst. jur. publ.* § 21, p. 47.)

Dixi : *Nisi nitatur privilegio S. Sedis :* sic in Concilio generali Lugdunens. Gregorius X regibus tribuit jus Regaliæ in quibusdam casibus (Bouix, *de Princip.*, p. 339).

Item 3° Non valet consuetudo *Placiti regii*, quia per eam læditur libertas ecclesiastica.

123. Item 4° Abusiva est et nullius momenti consuetudo non acceptandi decreta S. Pontificis nisi antea probata fuerint ab Episcopis, etiam in casu quo aliter præscribit S. Pontifex; quia per talem consuetudinem, rumpitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, et quia sic adversatur ordinationi à Christo statutæ.

Item 5° Consuetudo quòd Legati S. Sedis non recipiantur in provinciis, est contra libertatem ecclesiasticam (Extrav. *super gentes*, et Brev. Pii VI *Super Nuntiaturis*).

124. — III. *Ex parte Principis.*— Ex hâc parte, requiritur ut consentiat S. Pontifex, si agatur de legibus Ecclesiæ communibus : consuetudo enim est lex; ergo ab eodem fonte dimanare debet ac leges; proinde à S. Pontifice, quando de legibus communibus Ecclesiæ agitur [1].

125. Triplici modo consentire potest S. Pontifex : *expressè*, *tacitè*, et *legaliter*, seu generaliter aut juridicè.

1° Consensus *expressus*, satis intelligitur, et de eo nulla difficultas moveri potest.

126. —2° *Tacitus* consensus locum habet quando Pontifex, videndo consuetudinem, non contradicit, quamvis commodè reclamare posset. Meritò enim tunc præsumitur consentire, si rationabilis sit consuetudo et cognoscatur ab ipso. Ita omnes. — In eâdem hypothesi, si dubitetur utrum consuetudo sit rationabilis, concludi legitimè potest illam esse rationabilem ex eo quòd taceat Pontifex. Si enim illam irrationabilem judicaret, certè contradiceret, cùm ex hypothesi facilè possit reclamare. Si verò Pontifex destituatur commoditate reclamandi, tunc concludi nequit ipsum ideò

[1] Juxta Suarez, (*De Legib.*, lib. VII, cap. XIII.) consensus Principis *est præcipua causa efficiens consuetudinarii juris.*

silere quia acquiescit consuetudini *contra legem* : cùm ratio ipsius silentii sit forsan timor majoris detrimenti orituri ex ipsius reclamatione : nempè, forsan vel schismatis ex parte populi, vel persecutionis ex parte potentium, curiarum, parlamentorum, etc; ex quo fit ut debeat tunc servare prudens silentium. In hoc ergo casu, consuetudo non præscribit *contra legem*, cùm legislator censendus sit velle suam legem esse servandam quando legitimè illius abrogationi non potest præsumi consentire; hinc, v. g., ex eo quòd per multum tempus siluerit, non ideò S. Sedes censetur consensisse mutationi Breviarii et Missalis Pii V, ut respondit S. Rit. Congr. 10 januarii 1852. D. Lottin, Cenomanensi Canonico (*Exposition*, etc. du Card. Gousset, n° 393).

127. « Meritò tamen (tunc), ait D. Bouix, *de Princip.* » p. 356, præsumi potest Pontifex consentire ut suspen- » datur obligatio legis, donec mentem suam liberè mani- » festare possit. »

128. « Si desuetudo, inquit S. Liguor., (libr. 1. n° 139. » Lim. 3°), nondùm sit præscripta, cæteri tamen non » tenentur ad legem : nam præsumitur princeps nolle hoc » obligare ad observandum quod non est à majore parte » receptum. » Ita etiam Billuart, *de Just.*, diss. 4. art. 3. § 8. in fine; Card. Gousset, (*Exposition*, etc., n° 403 *et alibi*.)

129. Nec objici valet dictum S. Augustini : *Quæ sunt contra bonos mores, nec facit, nec tacet Ecclesia :* quia non ideo tacet Ecclesia quòd S. Sedes palàm non reclamet, opportuniora tempora illud faciendi prudenter exspectans : si enim corruptela esset consuetudo, eo ipso quòd adversaretur generali doctrinæ Ecclesiæ, ut damnata habenda esset.

130. Dixi *contra legem :* Nam si consuetudo sit tantùm *præter jus*, etiamsi Papa non habuerit facilitatem reclamandi, censetur consentire, si videndo taceat; modò tamen sit rationabilis hæc consuetudo, quia S. Pontifex censetur velle populo satisfacere in iis quæ non sunt *contra legem* et *rationabilia* sunt. (D. Bouix, *de Principiis*, p. 355.)

131. 3° Quoad consensum *legalem* seu generalem, præs-

titus censetur per legem generalem quâ approbantur omnes consuetudines rationabiles et legitimè præscriptæ : unde non requiritur ad talem consensum ut Pontifex cognoscat consuetudinem. (S. Liguor. lib. 1, 107, V.)

Quidquid in contrarium nonnulli dicant, meritò ex can. *Cùm tanto* supra relato (119) et ex cap. 1, *de Constitut.*, in 6°, in quo dicitur S. Pontificem non derogare per suam legem, specialibus locorum consuetudinibus, quamvis illas ignoret, concludendum est consensum legalem sufficere, et ita reverà sentit multò communior DD. sententia. (D. Bouix, *de Principiis*, p. 352 *bis*, et S. Liguor., loco modò citato).

132. Attamen Card. Gousset, *Exposition des principes*, n° 385, 386, etc. sententiæ oppositæ adhærendum esse putat : quia jus non declarat consuetudinem esse legitimam, postquam per tempus certum et determinatum duraverit : sed in hoc sapientissimus Cardinalis errare videtur : nam cap. *Cùm tanto* supra relatum, apertè dicit consuetudinem, etiam juri positivo posse præjudicium generare, *si fuerit rationabilis et legitimè* PRÆSCRIPTA.

133. Sed hìc quærendum est quandonam Pontifex censeatur consentire ?

Resp. « Ad inducendam consuetudinem *viâ conniventiæ*,
» id est, principe sciente et tolerante, cùm facilè posset
» resistere introductioni consuetudinis contrariæ... pro-
» babiliùs est, non requiri determinatum tempus. Ita
» Lessius lib. 2, et alii ; ratio est, quia dum princeps scit
» suam legem non servari et silet, jam censetur conni-
» vendo consentire... Quot autem actus contrarii... in
» hoc requirantur ut censeatur princeps tacitè revocâsse
» suam legem ? Id in dubio, prudentis judicis arbitrio,
» spectata materia legis aliisque circumstantiis, erit
» dijudicandum. » (Reiffenst. lib. 1. 4, n° 93 et 95.)

134. Ad inducendam verò consuetudinem per consensum *legalem* seu per prescriptionem, vel agitur de consuetudine *præter jus*, vel de consuetudine *contra jus* : in primo casu, sufficit decennium. Ita communiter contra nonnullos qui dicunt diuturnitatem temporis relinqui judicio prudentum,

quos

(S. Liguor. lib. 1, 107. III.) Ratio est quia in jure dicitur revocandum esse *quidquid contra longam consuetudinem fiet*. (Dist. 12, can. 7.) Atqui in jure decem anni vocantur *longum tempus*. Ergo, etc., (Bouix, *de Principiis*, p. 356, etc.[1])

135. In secundo casu, si agatur de consuetudine *contra jus*, tres sunt sententiæ : *Prima* dicit sufficere decennium : quia hoc tempus sufficit contra legem civilem, et specialis non est dispositio juris in contrarium pro lege canonicâ. Reverà 40 anni requiruntur ad præscribenda bona ecclesiastica : sed lex non est bonum. Si Rota requirat 40 annos, hoc venit quia apud eam semper agitur de præjudicio tertii ac proinde de bonis Ecclesiæ.

Secunda distinguit : requirit quidem 40 annos pro consuetudine contra legem receptam, quia à jure canonico ex cap. *Auditis* 15, *de Præscript.* statuitur bona Ecclesiæ non præscribi nisi per 40 annos : sed dicit sufficere decennium, si lex nondum sit recepta, quia tunc non præscribitur contra legem, sed impeditur tantùm introductio legis. Certè autem sufficere decennium quando lex non fuit recepta, affirmat S. Liguor. *post Busemb.* lib. 1, n° 139.

Tertia dicit semper requiri 40 annos : quia etiam lex non recepta vim habet obligandi, et *Rota romana* hanc regulam semper observat.

136. Ex his sequitur 1° Certò requiri decennium; (contradicere tamen videtur Card. Gousset. *ibid.*, n° 382 et 386). 2° Certò sufficere 40 annos. Pro praxi dicendum quòd lex non videatur tolli per consuetudinem quæ non habet 40 annos; consuetudo enim quæ non habet 40 annos est dubia, et in hoc casu lex possidet.

137. Quærit. Utrum requiratur bona fides ad præscribendum contra legem?

[1] Nihil habetur in jure tàm canonico quàm civili, quo expressiùs determinetur tempus requisitum ad præscriptionem consuetudinum; unde Card. Gousset, *Exposition*, etc., n° 375, concludit ad judices competentes pertinere judicare utrum legitimè sit præscripta consuetudo, nec ne.

Resp. In hoc dissentire DD. Affirmativè enim opinantur Billuart. (*de Just. diss.* 4 art. 3 *de Præscrip* § 8, t. 11, p. 171.) Glossa, caput *Non est* 3, *de Consuet in* 6°. Suarez, lib. 4. *Defens. fidei*, c. 31, 20. Laymann, Lessius, ap. Reiffenst. lib. 1, tit. 4, n° 142, *Theolog. Tolosana, de Leg.*, in fine.

Negativè verò ipse Reiffenst. *ib.* n° 143, etc., Suarez, *de Leg.* lib. 7, c. 18, n° 8 et 25; S. Liguor. lib. 1, 107, qui ait : « Etiam peccando potest fieri consuetudo. Salm. l. 6. » n° 11 cum Suar. Palao, etc. Consuetudo enim triplicem » statum habet : In initio introducentes consuetudinem » *contra legem* omnes peccant; in progressu non peccant » illâ... jam introductâ utentes, sed possunt à principe » puniri; in fine autem, nec peccant, nec puniri possunt, » illâ jam præscriptâ utentes. »

Hæc posterior sententia videtur probabilior, quia vis consuetudinis venit à consensu Principis qui acquiescit consuetudini, quando est *rationabilis, et legitimè præscripta,* etsi fuerit mala fides. Tertia est sententia dicens valere consuetudinem contra legem, sive bonâ sive malâ fide introducatur. Ita Bokhen, ap. *Prælect S. Sulp.* n° 14. Sed fortè dubitari potest quòd fautores secundæ sententiæ reverà exigant malam fidem. Vide supra (114).

III.

QUINAM SINT EFFECTUS CONSUETUDINIS.

138. — 1° Legem interpretatur, et quidem *authenticè* si fuerit legitimè præscripta, alioquin tantùm *conjecturaliter.*

2° Legem inducit, si debitis vestita sit conditionibus.

3° Legem abrogat in iisdem circumstantiis; porrò illam abrogare potest vel totaliter, vel quoad pœnam tantùm; imò quoad obligationem tantùm, adhuc subsistente pœnâ, modò pœna non supponat necessariò culpam, qualis esset v. g. censura.

4° Irritat actus in contrarium gestos, prout potest deduci

ex cap. *Cùm tanto*, pluries supra citato, (Bouix, *de Principiis*, p. 362).

An autem consuetudo possit abrogare legem quæ prohibet consuetudinem in futurum inducendam? Quæstio est controversa, ut mox videbitur.

IV.

DE ABROGATIONE CONSUETUDINIS.

139. Quærit. 1° Quomodo abrogari possint Consuetudines?

Resp. Abrogari posse vel per legem supervenientem, vel per legem consuetudini anteriorem quâ consuetudo prohibetur antequam sit orta; vel per consuetudinem contrariam.

Et 1° per *legem supervenientem :* Lex superveniens necessariò abrogat consuetudinem universalem Ecclesiæ ipsi contrariam, etiamsi immemorabilis fuerit illa consuetudo, et quamvis de eâ lex mentionem non faciat: alioquin, ut patet, inutilis lex efficeretur : sed non ideo lex superveniens abrogat consuetudines locales, de quibus non loquitur. (Cap. 1, *de Constit.* in 6°. Suarez. *De Leg.* lib. 7 cap. 20, n° 7, 8)

140. Consuetudinibus particularibus, quæ non sunt immemorabiles, seu quæ nondum centum annos habent [1] sufficienter derogatur per clausulam generalem, nullâ obstante consuetudine: nam illa clausula non requiritur ut aboleantur consuetudines generales Ecclesiæ; ergo inutilis esset si consuetudinibus localibus non derogaret. Est sententia communis. (Cap. 1, *de Consuet.* in 6°.)

141. Episcopi tamen, inquit S. Liguor. (lib. 1. 109) per suas leges « abrogant quamcumque consuetudinem » particularem; quia præsumuntur ipsi plenam habere » notitiam consuetudinum suarum diœcesium. »

142. Ad abrogationem consuetudinum particularium

[1] Card. Gousset, *Exposition*, etc., n° 104.

immemorabilium specialis mentio requiritur : *Etiam immemorabilis;* ratio est quia hujusmodi consuetudo est instar tituli, imò *quâ non potest allegari melior titulus de toto mundo*, ut loquitur Fagnanus; et habet semper vim privilegii à principe concessi. Ita communiter contra aliquos.

Excipiendi sunt tamen casus quidam : 1° si lex declararet irrationabiles contrarias consuetudines; 2° si ratio legis militet æquè contra consuetudines immemorabiles ac contra alias; 3° si legislator omnia contraria abroget, uno casu excepto.

143. — 2° Per *legem anteriorem quâ consuetudo prohibetur antequam sit orta :* Disputatur utrum consuetudo possit prævalere contra talem legem prohibentem : 1ª sententia negat, quia alioquin inutiliter apposita fuisset hujusmodi clausula prohibens; 2ª sententia affirmat : quia ex cap. *Cùm tanto*, ad legitimam consuetudinem requiritur solùm quòd sit *rationabilis* et *legitimè præscripta;* porrò ex hoc quòd consuetudo fuerit prohibita, non ideo semper *irrationabilis* est reputanda, ut jam diximus supra (108).

Ad rationem oppositam respondetur quòd non inutiliter dicta clausula apponatur : quia ex illâ concludi potest in dubio, consuetudinem esse irrationabilem ; per illam princeps significat se non consentire tacitè hujusmodi consuetudini quamvis ab ipso sit cognita; ac proinde in hoc casu, requiritur longa præscriptio, etc. (Bouix, *de Principiis*, p. 367.)

Hanc posteriorem sententiam ut probabiliorem amplectuntur Suarez (*de Leg.* lib. 7. c. 19, 20, 21), S. Liguor. lib. 1, 108, etc.

Certè in dicto casu prævalebit consuetudo, si legislator positivè consentiat. Card. Gousset, *Exposition*, etc., n° 406, 416, 423.

144. Quær. 2° An modò dicta decretis concilii Trident. possint applicari ?

Resp. Affirmare Jesuitam Soll (*de Præscript.* part. 2, cap. 4, § 12), citantem Covarruviam (lib. 3. chap. 13, n° 4). Sed

negare plures auctores magnæ auctoritatis, inter quos Bened. XIV (*Inst.* 60, n° 7); Cardin. Luca, Devoti (*Proleg.* § 50), Bouix, (*de Principiis*, p. 372), quia praxis tribunalium et Congregationum romanarum, Rotæ nempe et Congregat. Concilii, satis demonstrat S. Pontificem nullo modo consentire, nec tacitè, nec legaliter, consuetudinibus contrariis Concilii Trident. decretis.

In Bullâ enim confirmatoriâ Concilii dicitur : « Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his, » à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter » contigerit attentari. »

Item in Bullâ Pii IV, *In principiis : irrita nulliusque valoris* declarantur omnia « vigore privilegiorum exemptio» num, etc., et aliarum quarumcunque gratiarum hujus» modi, post id tempus quo concilium obligare cœpit, » facta et gesta quomodolibet fuerint et in posterum » fient. »

« Ergo, ait D. Bouix (*ib.* p. 379), hoc ipso quòd aliqua » consuetudo contraria sit decretis Tridentinis, saltem du» bium est an habeat consensum S. Pontificis, in quo dubio » possidet lex Trident... Ergo... recurrendum est ad S. » Sedem » pro exemptione legitimâ. Attamen idem auctor videtur aliud suasisse in suo Tract. (*du Conc. provinc.*, p. 505), ubi ait quædam decreta disciplinæ Concilii Trident. in desuetudinem venisse, aut etiam nunquam fuisse ad praxim reducta in Galliâ, non secùs ac in aliis regionibus in quibus promulgatum fuit hujusmodi Concilium : quænam sint illa decreta non explicat. Auctor *Prælect. S. Sulpitii* probabiliorem quoque habet sententiam quæ dicit posse abrogari consuetudine quædam decreta Concilii Trident (n° 17).

145. 3° Quoad abrogationem consuetudinis *per aliam consuetudinem contrariam,* certum est eam fieri posse, et in hoc casu, si agatur de consuetudine *præter jus,* sufficit decennium; quia non videtur S. Pontifex plus requirere temporis ad destruendam hujusmodi consuetudinem, quàm fuit requisitum ad illam statuendam; si verò agatur de consuetudine *contra jus*, iterum multi DD. decennium requirunt, et

dicunt illud tempus sufficere, quia in hoc casu fit reditus ad jus; ac proinde non agitur *contra jus*. D. Bouix (*de Principiis*, p. 381, etc.) rectiùs sentire videtur, dicendo sufficere tunc *quòd major pars communitatis* non ampliùs servet consuetudinem contra jus quia meritò præsumi debet Pontifex non consensisse tali consuetudini, nisi hâc restrictione, *donec ita optabit populus cui displicere nolo*.

CAPUT III.

DE JURE CANONICO NATIONALI.

ART. I.

DE JURE NATIONALI IN GENERE.

146. Quærit. 1° Quid et quotuplex sit jus canonicum nationale?

Resp. 1° Jus canonicum nationale est *complexio legum ecclesiasticarum alicui genti propriarum*. Posse legitimè vigere hujusmodi leges exceptionales apud singulas gentes nemo negat.

Resp. 2° Jus nationale, vel tale fuit ab initio per derogationem juri communi factam; vel nationale tantummodò evasit, quia, mutato ubique communi jure, in istâ natione firmum permansit.

Iterum jus istud fuit ab initio, vel concessum per simplex privilegium auctoritatis competentis, vel per contractum onerosum, ob aliquod onus quod sibi natio illa imposuit, v. g. fundandi beneficia, aut alia præstandi.

Demum exemptio concessa fuit vel per consensum expressum superioris, vel per tacitum, medio consuetudinis *in jus* evectæ.

147. Quærit. 2° Utrum legitimum esse possit jus nationale canonicum, sine consensu vel auctoritate S. Pontificis?

Resp. Negative, si agatur de iure nationali derogatorio.

Vel enim res ita se habet, vel jus nationale derogatorium introduci potuit à sæculari principe, aut ab aliâ potestate à Papâ diversâ: atqui duo hæc posteriora dici nequeunt. Non primum : —Cùm de fide sit principem sæcularem haud posse leges canonicas condere, nec ab ipsis eximere.—Non secundum. — Nam illa potestas esset vel Concilium œcumenicum, aut particulare, vel Patriarcha, vel alia potestas inferior, vel consuetudo. Sed illæ omnes potestates à S. Pontifice pendent: ipsummet Concilium generale à Papâ debet approbari, sicut etiam consuetudo. Ergo jus nationale derogatorium legitimè subsistere nequit sine auctoritate S. Pontificis (Bouix, *de Principiis*, p. 76). Et de hoc convenit etiam auctor cujusdam libri Memorialis gallicè scripti, *Sur le droit coutumier*, in suâ responsione ad Card. Gousset (p. 16); sic enim habet: « Où avons-nous dit qu'il fallait établir ou conserver » un droit national indépendant du Saint-Siége, c'est- » à-dire, sans le consentement exprès ou tacite du Saint- » Siége? »

148. Attamen, inquit D. Bouix (p. 78) tolerantur sæpe consuetudines variarum regionum legibus generalibus oppositæ, ad compatiendum infirmis, et ut non extinguatur linum adhuc fumigans. — Quoad autem jus nationale non derogatorium patet quòd possit statui à legitimâ auctoritate, sine consensu S. Pontificis.

149. Quærit. 3° Utrum S. Pontifex valeat irritare quodcumque jus nationale?

Resp. Affirmative : et quidem 1° potest irritare jus nationale quod fuit ab initio merum privilegium expressè vel tacitè per consuetudinem concessum ; nam qui concessit privilegium potest illud revocare.

2° Potest irritare jus nationale quod tale evasit per mutationem juris communis ubique factam, aliquâ regione exceptâ : quia S. Pontifex plenam habet potestatem in singulis regionibus orbis catholici, sine ullâ exceptione, ac proinde singulas potest ligare.

3° Potest S. Pontifex, justâ exigente causâ, jus nationale irritare, etiam concordatis firmatum.

Ratio dubitandi esset quòd servanda sit fides data; at

Concordata sunt pacta et quidem publica, mutuo consensu inita ; ergo, etc.

150. Tali quidem argumento probatur non debere S. Pontificem, levibus de causis, Concordatis derogare, neque ipsum censendum esse iis contraire, nisi specialem et expressam eorum ac justæ causæ mentionem faciat : adeòque rescriptum adversus Concordata obtentum, sine hâc mentione, pro subreptitio et invalido habendum, ut advertit Engl. (*de Præb.* et *Dignitat.*, nº 54).

« Nihilominus tamen, inquit Biner (ap. Bouix, *de Principiis*, p. 81 et 82) non evincitur non posse S. Pontificem, ex plenitudine suæ potestatis, Concordatis contravenire iisque derogare quando justa id exigit causa, prout agnoscunt ecclesiastici juris interpretes : nam Pontifex Romanus summam potestatem... nunquam ità potest... à se abdicare aut alteri cuicumque ita communicare, ut non majorem adhuc retineat. »

Nec obstat, inquit, quòd Concordatum sit pactum et pactis sit standum. — Nam : 1º controvertitur utrùm Concordata dicenda sint vera pacta. — Qui negant, dicunt spiritualia sub contractum non posse cadere. Unde potius dicenda sunt privilegia : porrò privilegia ex gravi causâ revocari possunt ; 2º Princeps supremus, juxta complures doctores, derogare potest iis saltem pactionibus quas cum subditis iniit, si gravissima boni publici causa exigat, et in omnibus pactis, quæ init S. Pontifex, semper includitur hæc conditio : *nisi aliud requirat causa gravis et extraordinaria boni communis Ecclesiæ* (Suar., *de Legib.*, lib. 8, cap. 37, nº 5 ; S. Liguor., *de Privileg.*, xv). 3º Vel tale est Concordatum quod nihil aliud exigatur à gente, quâcum initur, nisi quòd aliunde ipsa debet Ecclesiæ, vel per Concordatum imponitur huic genti onus indebitum : in primo casu, Concordatum non tam est pactum ex parte Pontificis quàm concessio privilegii. In secundo casu, non est etiam contractus propriè dictus, cùm spiritualia temporalibus comparari nequeant. Standum tamen est promissis, sed subaudienda semper conditio : *nisi aliud exigat causa gravis et extraordinaria boni communis.* Vid. insuper *Prælect.*

S. Sulpit., n° 64; et Card. Soglia, *Inst. jur. publ.*, § 60, ubi dicitur : « Concordata rationem habent non privilegii,
» sed pacti; estque illud pactum non temporarium vel
» personale, sed reale ac perpetuum, quod religiosè obser-
» vandum est... nisi aliud exigat commune bonum
» Ecclesiæ. »

ART. II.

DE JURE GALLICANO.

151. Quærit. 1° Quænam sit recta notio juris gallicani?

Resp. « Quidam, inquit D. Bouix (*de Principiis*, p. 84)
» finxerunt 1° jus gallicanum non niti auctoritate S. Pon-
» tificis, sed stare per seipsum firmum [1]. 2° Talem esse

[1] De eorum sententiâ sic habet Lequeux, t. 4, p. 281, 282, 3e édit. :
« Nous repoussons .. la très fausse interprétation que quelques auteurs
» ont donnée aux *libertés gallicanes*, en les présentant comme le droit
» de rejeter toutes les constitutions pontificales ou les canons des
» Conciles qui ne conviendraient pas à nos intérêts, ou qu'il ne plairait
» pas aux Évêques d'accepter. On ne peut rendre un plus mauvais ser-
» vice que d'appuyer la discipline propre à la France sur un principe
» aussi ruineux, qui devrait être à bon droit condamné comme intolé-
» rable. »

Ex aliâ parte sic habet Héricourt, ap. Crouzet, *Droit ecclés.*, t. III, p. 203, in notâ : « Les Canonistes ultramontains prétendent qu'on ne
» pouvait les autoriser (les libertés gallicanes) qu'en les regardant
» comme des concessions particulières de Papes qui auraient voulu
» mettre des bornes à leur puissance absolue en faveur de l'Église de
» France; et comme on ne trouve nulle part un privilége de cette
» nature accordé aux Français, ils en concluent que ces libertés ne
» sont que des chimères. D'autres, par un excès dont ils ne considèrent
» point toutes les conséquences, font consister nos libertés dans une
» indépendance entière du Saint-Siége, laissant au Pape un vain titre
» de chef de l'Église sans aucune juridiction. Ceux qui ont appris en
» quoi consistent nos libertés dans nos bons auteurs, raisonnent bien
» différemment : ils savent que nos libertés ne consistent que dans
» l'observation des plus anciens canons, qui ont été suivis pendant
» plusieurs siècles par toute l'Église, et dans le droit dans lequel elle
» s'est maintenue de ne point s'assujettir à plusieurs servitudes dont
» les Papes ont chargé d'autres Églises, depuis que certains docteurs
» ont cru pouvoir leur attribuer une autorité sans bornes... Les libertés
» de l'Église gallicane ne sont donc que l'ancienne liberté de l'Église
» universelle, c'est-à-dire, de l'ancien droit commun conservé en

» istius juris vim, ut non possit à Papâ infirmari. 3° Huic » juri multa annexuerunt quæ non jura, sed injuriæ erga » Ecclesiam reputanda sunt. 4°... Falsò opinati sunt ad jus » gallicanum pertinere quatuor articulos famosæ Declara- » tionis anni 1682. Porrò hæc quatuor à rectâ notione juris » gallicani removenda sunt. »

Primum quidem, quia nullum jus legitimè derogare valet juri communi, sine consensu, saltem tacito aut legali S. Pontificis. *Secundum* quoque; modò enim probavimus S. Pontificem posse quodcumque jus irritare etiam Concordatis firmatum (149-150). Item *tertium*: sic multa à Parlamentis, à regibus, à sectâ Jansenisticâ ut jus Galliæ prætenduntur absque fundamento quæ à Clero etiam in Galliâ rejiciuntur. *Quartum* denique, quia vel veri sunt in se quatuor illi articuli, et tunc non magis sunt jus Galliæ quam cæterarum gentium, vel falsi sunt, et tunc nullo modo jus gallicanum aut aliud jus constituere possunt.

Unde jus gallicanum non potest consistere nisi in quibusdam derogationibus juri communi legitimè factis aut consuetudinibus præter jus: in quo sensu rectè videtur posse definiri: *variæ apud Galliæ Ecclesias juri communi derogationes, aut consuetudines auctoritate S. Pontificis firmatæ.* Meritò igitur excludi debent à legitimo jure gallicano, sive articuli organici contra quos pluries protestata est S. Sedes, sive leges à potestate civili emanatæ, nisi ab Ecclesiâ approbarentur, sive decisiones Concilii Statûs et aliorum tribunalium sæcularium. Quamvis enim sileat Ecclesia,

» France sur un plus grand nombre d'articles, et avec plus de soin » que chez toutes les autres nations de l'Eglise. Suivant cet ancien » droit commun... le Pape... est une autorité... qui doit être réglée par » les saints canons, qui est établie pour édifier et non pour détruire, » qui doit conserver les lois universelles de la discipline ecclésiastique » et les coutumes légitimes des Églises particulières, qui ne doit point » entreprendre sur les droits des pasteurs inférieurs et qui doit être » soumise au jugement de l'Eglise universelle... Il y a parmi nous plu- » sieurs usages qu'il serait difficile d'accorder avec la pureté de l'an- » cienne discipline... Mais ces usages sont ou des priviléges autorisés » par l'Église et confirmés par les rois, ou des relâchements qu'un » Concile œcuménique ou l'Église gallicane pourra réformer du con- » sentement du Pape et du Roi, qui est le protecteur de nos saintes » libertés. »

non sequitur quòd eas approbet, cùm non possit supprimere.

152. Quærit. 2° Utrùm priscum jus Galliæ per Concordatum anni 1801 et subsequentes actus S. Sedis, omninò extinctum fuerit?

Resp. Affirmare D. Bouix (*de Principiis*, p. 87 et 557) et cum eo Card. Gousset (*Observations sur un Mémoire adressé à l'Épiscopat*, etc., *sur le droit coutumier*, p. 40), Card. Soglia (*Append.*, p. 8), qui dicit certum videri ex praxi Ecclesiæ Romanæ. Item Card. Orioli Præfectum Cong. Episcop. et Regular., occasione consultationis cujusdam quâ postulabatur utrum liceret in Galliâ pluries celebrare nocte Nativitatis et in eâdem communicare ob consuetudinem apud nos servatam. Imò D. Jacquenet (*Revue des sciences ecclés.*, 15 août 1860, p. 118 et 119.) asserit illud ità esse certum, ut in controversiam non possit ampliùs reduci :

Nituntur illi omnes præsertim Bullâ *Qui Christi Domini*, anno 1801, in quâ dicitur : « Supprimimus, annullamus, » et perpetuò extinguimus titulum, denominationem, to- » tumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum, » Archiepiscopalium et Episcopalium, unà cum respec- » tivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis » cujuscumque generis... ita ut (deleto etiam omni jure » metropolitico cujuscumque metropolitanæ ubicumque » existentis) omnes supra dicti Archiepiscopatus et Epis- » copatus, cum Abbatiis... haberi debeant in posterum » tanquam non ampliùs in primo eorum statu existentes, » quia aut omnimodò extincti, aut in novam formam redi- » gendi... *non obstantibus... earumdem Ecclesiarum per* » *nos suppressarum et extinctarum... statutis et consuetu-* » *dinibus, etiam immemorialibus, privilegiis quoque, in-* » *dultis, concessionibus*, etc. »

Ex his verbis certum est, inquit D. Bouix, extinctas fuisse omnes Galliæ Ecclesias, tempore hujus Bullæ existentes : porrò, extinctis Ecclesiis, non potuit existere jus ipsis proprium, nec proinde consuetudines in iis vigentes, præsertim cùm illæ Ecclesiæ fuerint suppressæ *cum respectivis earum juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque*

generis, et non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorialibus. Sunt ipsamet Bullæ verba. Ergo, etc.

Non tantùm Bulla suppressit jura, privilegia, prærogativasque inhærentes singulis Galliæ Ecclesiis, inquit Card. Gousset, sine ullâ distinctione jurium communium vel particularium; sed suppressit *perpetuò titulum, denominationem, totumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum, unà cum respectivis earum juribus, non obstantibus earumdem consuetudinibus etiam immemorialibus*. Porrò hæc, præsertim destructio totius statûs præsentis Ecclesiarum Galliæ, manifestè includunt suppressionem omnium ipsarum consuetudinum, ac proinde extinctionem totius juris prisci gallicani. Ergo, etc.

153. Quantacumque sit vis præfatorum argumentorum, fateor, veniâ tantorum Doctorum, non mihi videri omninò convincentes allatas rationes. Quamvis enim S. Pontifex suppresserit omnes Ecclesias Galliæ, cum omnibus ipsarum juribus privilegiis, etc.; mutaveritque totum illarum statum præsentem, non sequitur inde quòd suppresserit populum fidelem in Galliâ existentem, nec ipsius Clerum; imò nec Ecclesias, quatenus simpliciter Ecclesias; eas quidem suppressit ut Metropoles, Cathedrales, etc.; non verò simpliciter ut Ecclesias; alioquin eo ipso cultui divino inservire ampliùs non possent (quod absonum videtur), fatente ipsomet D. Bouix (*de Regular.*, t. 1, p. 377); suppressi non fuêre per Concordatum et Bullas subsequentes, religiosi, nec monasteria, nec illorum jura et privilegia, nec etiam parochiæ quæ postea succursales institutæ fuêre (*ib.*, t. 2, p. 359). Idem D. Bouix, *de Parocho* (p. 586 et 587), non habet ut suppressa per Concordatum festa patronorum ab immemorabili, ante annum 1802 constitutorum.

His suppositis certis, et non facilè videtur quomodo in dubium vocari possent, cur, apud fideles, apud clerum et religiosos in Galliæ Ecclesiis existentes tempore Concordati, anno 1801, cur, inquimus, non potuissent retineri consuetudines apud eos legitimè introductæ, si quæ fuerint tales? Cur hujusmodi consuetudines necessariò fuissent suppressæ eò quòd tituli denominationes,

totusque status præsens illarum Ecclesiarum extinctus fuerit?

Quia, inquiunt, illæ consuetudines sunt jura ipsarum Ecclesiarum extinctarum; sed, etsi multùm veneremur auctoritatem talia asserentium, et maximi ponderis sit apud nos praxis Romæ observata, non adhuc intelligimus quomodo omnes consuetudines vigentes apud populum et clerum alicujus Ecclesiæ, sint necessariò jura illius Ecclesiæ et non potius aliquando jura solius populi, vel cleri apud quos vigent: quod v. g. fideles possint, nec ne, communicare nocte Nativitatis Domini, quod liceat recitare certas litanias ab Indice prohibitas, ob consuetudinem alicubi vigentem, quod ecclesiasticâ sepulturâ non priventur morientes ex duello, si dederint signa pœnitentiæ, non obstante Constit. *Detestabilem* Bened. XIV, quod medici non observent præscriptiones cap. *Cùm infirmitatem* et Constit. S. Pii V, *Super gregem*, tales consuetudines et plures aliæ si reverà legitimæ fuissent tempore Concordati (quod hîc non expendimus) suntne jura alicujus Ecclesiæ? Nonne potiùs sunt jura eorum apud quos sunt in usu?

Hujusmodi consuetudines sunt quidem jura illarum Ecclesiarum in eo sensu quod sint leges apud eas vigentes; sed non in hoc sensu videtur S. Pontifex intellexisse verbum *jus* quando dixit : *Extinguimus titulum*, etc., *infra scriptarum Ecclesiarum cum respectivis earum .. juribus*. Videtur potiùs intellexisse in sensu legitimæ facultatis aliquid agendi, vel omittendi prout intelligitur in tractatu *de Justitia et Jure*.

Reverà quidem, leges particulares ab auctoritate locali Ecclesiarum suppressarum statutæ extinctæ fuisse videntur per illarum suppressionem, cùm non videatur quomodo potuissent subsistere destructâ auctoritate à quâ fuerant institutæ; sed non ideo est idem dicendum de consuetudinibus in iisdem locis legitimè vigentibus, cùm hujusmodi consuetudines vim obligandi non hauriebant ex auctoritate locali, sed à populo fuerant introductæ et aliquo modo à S. Pontifice fuerant approbatæ.

154. Dico ergo : vel quæstio est de consuetudinibus quæ aliquod jus privilegium aut prærogativam aliquam confere-

bant Ecclesiis suppressis, aut illarum Capitulis, et hujusmodi consuetudines indubiè fuerunt suppressæ per Bullam *Qui Christi Domini*; vel est quæstio de cæteris consuetudinibus, quæ nullum jus propriè dictum, nullum privilegium conferebant prædictis Ecclesiis, sed tantùm populo aut clero apud eas residentibus, et tunc nihil apparet in Bullâ propter quod tales consuetudines dicendæ sint per eam suppressæ.

Et verò si supprimerentur omnes Ecclesiæ orientales, cum earum juribus, etc., sequereturne eo ipso teneri omnes sacerdotes hujusmodi Ecclesiarum ad observandum ritum latinum in celebratione missæ, consecrando in azimis; tenerenturne eo ipso fideles in azimis communicare, etc? Ergo pariter non debent dici suppressæ consuetudines quæ in Galliâ legitimè existebant tempore Concordati.

Ideo Bulla *Qui Christi*, etc., intelligenda esset in sensu D. Bouix et aliorum ut supra, quia sic Romæ interpretantur; sed hoc minimè probatur, imò contrarium apparet ex decisione S. Cong. Indulgentiarum 14 mai 1853 [1], juxta quam indulgentiæ concessæ confraternitatibus Galliæ ante perturbationem 1789 non fuerunt revocatæ per Concordatum 1801 et Bullas subsequentes.

Nec objicias hìc non agi de consuetudinibus, sed potius de privilegiis Ecclesiis concessis. Nam Bulla *Qui Christi* eodem modo loquitur de prioribus ac de posterioribus; unde si. non obstante Bullâ, certa privilegia olim Ecclesiis concessa adhuc subsistunt, non est ratio cur non sit idem dicendum de certis consuetudinibus quæ Ecclesiis suppressis nihil juris aut privilegii conferunt.

Præterea in ipsâmet Bullâ *Qui Christi*, etc., dicitur : « In ipsis autem *statutis* vel condendis, vel immutandis « (quæstio est ibi de statutis capitulorum) religiosa sacro» rum canonum observantia retineatur, usuumque ac » laudabilium consuetudinum antea vigentium præsenti-

[1] Vid. Opus : *Le Chrétien éclairé sur la nature et l'usage des Indulg.*, par le P. A. Maurel, Jésuite, p. 171. Decisiones in hujusmodi opere relatæ declarantur authenticæ à Card. Asquinio. Præfect. ejusdem Congregationis, 11 Julii 1856.

» busque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur.» Quæ verba non supponunt omnes consuetudines esse à Bullâ suppressas.

Insuper, ut supra diximus (42, 45), sunt constitutiones SS. Pontificum quæ non obligant nisi promulgentur in singulis provinciis: porrò verisimile est plures fuisse hujusmodi constitutiones quæ non fuerunt promulgatæ in variis diœcesibus Galliæ: num sustinebitur quòd omnes illæ constitutiones quæ suo tempore non fuerunt publicatæ, publicari debuerint in Galliâ statim ac publicata fuit Bulla *Qui Christi?* Aut quòd sine novâ publicatione illæ obligarent statim ac vim habuit dicta Bulla? Ita ut Ecclesiæ gallicanæ post Concordatum non potuerint uti, erga præfatas constitutiones, libertate quâ legitimè fuerunt usæ cæteræ Ecclesiæ, scilicet illas non recipiendi, imò quâ ipsæmet fortè usæ fuissent tempore primæ illarum promulgationis Romæ factæ? Non videntur ergo omninò sublatæ consuetudines in Galliâ vigentes ante Concordatum. Proinde adhuc examinari potest quænam fuerint tempore Concordati consuetudines, legitimè introductæ, quæ compossibiles erant cum novo statu à Concordato determinato, et de iis dici poterit illas consuetudines apud nos adhuc hodie vigere.

Ut robur præfatorum argumentorum destruat D. Jacquenet (*Rev. des sciences ecclés.*, 20 février 1861, p. 127-141) congessit multas decisiones Congregationum romanarum; sed parum feliciter, ut nobis videtur, cùm illæ decisiones seu declarationes omnes respiciant tantùm casus in quibus agitur de juribus Ecclesiarum vel Capitulorum suppressorum, nihil proinde probant contra consuetudines quæ nihil juris conferunt hujusmodi Ecclesiis aut Capitulis [1].

[1] Nec decisoria est sententia Card. Orioli, Congregationis Episcop. et Regul. Præfecti, ap D. Bouix relata (*de Principiis*, p. 557), ubi agens partes *Cardinalis Ponentis* dicit quòd « Quamvis (in dictâ Bullâ *Qui* » *Christi*) nihil expressè statuatur quoad pristinarum consuetudinum » abrogationem, *hæc tamen abrogatio* tanquam quid necessariò conse- » quens admittenda videtur. » Nam 1° hæc sententia non est ipsius Congregationis, sed Cardinalis Ponentis opinio; 2° suam sententiam, Cardinalis non dat ut omnino certam, sed solùm dicit ipsi videri esse admittendam. Ergo, etc.

155. Fatetur etiam Card. Gousset potuisse legitimè introduci consuetudines à tempore Concordati 1801. V. p. 46 operis supra memorati (152). Si quæ ergo exstent consuetudines in Galliâ à dicto Concordato legitimè introductæ, hæ novum jus gallicanum meritò constituunt. Seriò tamen consuetudines illæ sunt examinandæ ad discernendum utrum habeant omnes conditiones supra enumeratas (142, etc.).

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS IN GENERE.

156. Quærit. 1° Quid et quotuplex sit Privilegium ?

Resp. Privilegium definiri potest : *Privata lex aliquid speciale concedens contra vel præter jus.* (Ferraris V° *Privilegium*, art. 1, n° 1).

Dicitur 1° *Lex*, non eo sensu quòd illud obtinentes eo teneantur uti, *cùm invito beneficium non datur.* — Sed eo duntaxat sensu quòd aliis prohibitum sit ne illud impediant (Bouix, *de Regular.*, t. 2, p. 73 et 74).

Dicitur 2° *Privata* quia per hoc particulari personæ vel communitati specialis concessio fit præter vel contra jus commune (Suar., *de Legib.*, lib. 8, cap. 1, n° 3).

157. Quamvis privilegium, prout lex, omnes obliget, non indiget tamen promulgatione (nisi feratur per legem generalem prout fit quando privilegia communitati conceduntur, v. g. clero, vel religiosis, aut omnibus fidelibus prout in Jubilæo). Nam privilegium est principaliter favor, et præceptum aliis impositum non impediendi privilegium est quasi accessorium, et ideò, inquit Suarez (*Ib.*, cap. 24, n° 8), sequitur naturam principalis, reputaturque tanquam lex privata, ad quam solemnis promulgatio non requiritur. Sufficit ergo quòd privatim intimetur à privilegiato per ostensionem sui rescripti, vel alio modo sufficienti, sicut sufficit quòd donatio alicui facta, à donatario manifestetur ut omnes teneantur illam ut validam habere. Illa autem lex non imponitur Ecclesiæ, aut alicui communitati propter

bonum publicum vel ipsius gubernationem, sed ponitur, ut præceptum particulare aliis datum in favorem privilegiati ut servetur ipsius privilegium.

158. Dicitur 3° *Aliquid speciale concedens, contra vel præter jus.* Unde si aliqua lex imponat aliquod speciale gravamen certis personis, vel populis, non potest dici privilegium, quia non concedit, sed imponit, inquit Suarez, *de Leg.*, lib. 8, c. 1, n° 4.

159. Differt privilegium a *dispensatione* quæ eximit à lege et ideo est semper odiosa, nec dicenda est lex etiam privata quia non est necessariò permanens.

Differt etiam à *licentiâ* quæ conceditur tantùm ad paucos actus, et ideo rationem non habet legis etiam privatæ (S. Liguor., *de Privileg.*, n° 1).

160. Privilegium dividitur: 1° In *reale* et *personale*: *reale* dicitur quod directè conceditur alicui rei, muneri, vel conditioni distinctæ à personâ. *Personale* verò quod immediatè datur personæ ratione sui. Quandonam autem directè rei vel muneri, etc., quandonam immediatè privilegium conferatur personæ, vid. ap. Suarez (*ib.*, c. 3, n° 4-19). — Reale transit ad hæredes et de se est perpetuum; personale extinguitur cum possessore.

Divid. 2° in *gratiosum*, *remunerativum*, *conventionale* et *purum*.

Gratiosum est illud quod gratis conceditur sine ullo respectu ad merita privilegiati vel aliorum, v. g. parentum. *Remunerativum* è contra est illud quod propter merita impetrantis vel aliorum, conceditur. *Conventionale* quod obtinetur, interveniente conventione. *Purum* tandem quod datur absque pacto.

Divid. 3° in *perpetuum* et *temporale*, quæ satis ex denominatione intelliguntur.

Divid. 4° In privilegium *contra jus* et *præter jus;* v. g. exemptio à jurisdictione Ordinarii est privilegium contra jus; potestas verò absolvendi à reservatis vel dispensandi est privilegium præter jus. Hæc distinctio est maximè attendenda: nam privilegium contra jus est plerumque strictè interpretandum; è contra privilegium præter jus est latè interpretandum.

Vid. alias divisiones ap. Suar. (*ib.*, cap. 6 et 7); André, *Cours de droit canon*, v° *Privilegium*; Bouix, *de Regular.*, t. 2, p. 74 et 75.

161. Quærit. 2° A quo concedi possit privilegium?

Resp. Concedi posse ab omni et solo qui leges valet condere. Ratio est quia est lex, quamvis privata, eximens à communi jure, vel aliquid supra jus concedens, ipsamque communitatem obligans ad servandum privilegium ipsi privilegiato; porrò ad hoc manifestè requiritur potestas legislativa.

Solus Papa privilegia ubique contra jus potest concedere. Id possunt Episcopi relativè ad propria statuta, vel in iis quæ non sunt contra jus, singuli in suâ diœcesi.

Reverà, in quibusdam etiam juris communis valent dispensare, v. g. in abstinentiâ et jejuniis : sed hæc tenent à S. Pontifice. Nec ullibi jus ipsis concedit privilegia concedendi contra jus; concessio enim privilegii est quid majus quam dispensationis (Suar. *ib.*, cap. 8, n° 9).

Acquiri etiam potest privilegium legitimâ consuetudine, si agatur de communitate; si verò ageretur de privatâ personâ, acquiri potest per præscriptionem (Suar., lib. 8, c. 7, n° 5). Inter regulares acquiritur etiam per communicationem, ut dicemus infra (2934).

162. Quærit. 3° Quid requiratur ut privilegium deroget juri communi?

Resp. « Ut privilegium deroget juri communi non requi-
» ritur clausula derogatoria; præsumitur enim princeps
» jam scire leges communes. Excipitur tamen. : 1° Quando
» privilegium non posset suum effectum sortiri sine hâc
» expressâ derogatione; 2° si in lege cui derogatur esset
» apposita clausula, non *obstante quocumque privilegio* :
» hoc intelligitur dummodo in privilegio non exstet clau-
» sula *ex certâ scientia*, vel *ex plenitudine potestatis*....
» 3° Quando privilegium est contra aliquam consuetudinem
» aut legem municipalem, his non derogatur nisi de illis
» specialiter mentio fiat. » S. Liguor., *de Privileg.*, n° 2.

Quando restringenda est jurisdictio Ordinaria, ex decreto *Attendentes* Martini V (sess. 43, Conc. Constant.) requiritur ut audiantur ii quorum interest : « Non intendimus exemp-

» tiones de cætero facere, nisi causâ cognitâ et vocatis » quorum interest. » Lequeux (n° 48) qui citat *Mém. du Clergé*, liv. 19, et *Confér. d'Angers sur les lois*, 12° *Confér.*, t. 2, p. 508.

163. Quærit. 4° An ad valorem privilegii requiratur scriptura?

Resp. Regulariter scripturam requiri tantùm ad probandum privilegium: attamen ex regulâ 27 Cancellariæ, gratiæ quæ ab Apostolicâ Sede conceduntur, effectum suum in *foro externo* sortiri nequeunt, antequam litteræ desuper confectæ fuerint; quod intelligendum est, etiamsi Pontifex in libello supplici scripserit vocem *Fiat*. Disputatur pro foro conscientiæ. V. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 53.

Dixi *regulariter:* nam, in quibusdam casibus, scriptura requiritur ad valorem privilegii; nempe: 1° Si agatur de facultate ingrediendi clausuram monialium extra Galliam; 2° Nulla est collatio, confirmatio et unio beneficiorum ante litterarum expeditionem; 3° Item nulla est facultas non residendi in beneficio curato, nisi sit scripta; 4° Item ex regulâ 52 Cancellariæ romanæ: « Nulli.... dispensatio » cuiquam in judicio vel extra suffragetur, antequam super » eâ litteræ apostolicæ sint confectæ. » V. Bouix, *de Regular.*, t. 2, p. 75 et 76.

164. Quærit. 5° Utrum rescriptum privilegium concedens habeat effectum statim ac confertur, an verò duntaxat quando pervenit ad notitiam privilegiati?

Resp. « De hâc questione, inquit D. Bouix (*de Regul.*, » t. 2, p. 76), valde controvertitur. Probabilior videtur sen- » tentia quæ distinguit hoc modo : Si privilegium conce- » datur *motu proprio* (auctor non videtur supponere quod » privilegium concedatur per legem generalem) absque » præviis precibus privilegiati, non sortitur effectum ante- » quam privilegiatus de eo certior factus fuerit: quia nempe » necessaria videtur acceptatio privilegiati [1]. Si verò con- » cessio fiat ad preces privilegiati, effectum habebit, statim ac » concessum fuerit, quia jam tunc adest dicta acceptatio.

[1] Vide tamen Suar. *de Leg.* lib. VIII, c. XXV, n° 19.

» Juxta hanc distinctionem, si postulatum ab Episcopo » vel Parocho fuerit, ut possit fieri matrimonium coram » Titio sacerdote, et contrahatur coram dicto Titio, post » *concessam*, sed ante *cognitam* licentiam, valebit matrimo- » nium si Titius ipse licentiam per se vel per *alios* postu- » laverit, secus, non valebit. » (Vide Reiffenst., lib. 5, tit. 33, n° 42.)

165. Quærit. 6° Quidnam operetur innovatio seu confirmatio privilegiorum?

Resp. Duplici modo confirmari possunt privilegia : *in formâ communi*, vel in *formâ speciali*, v. g. si dicatur: *ex certâ scientiâ* vel *non obstante lege et consuetudine in contrarium*, vel inseratur tenor totius privilegii aut instrumenti. (Ferraris, v° *Privilegium*, art. 2, n°° 6 et 35, etc.).

Confirmatio in formâ communi adhibita, roborat quidem privilegium, sed quale hîc et nunc existit; unde si fuerit ab initio invalidum, vel valere desierit, per hujusmodi confirmationem, nullatenus reviviscit. Estque id extra omnem controversiam apud Doctores.

Aliter res se habet si confirmatio fiat in *formâ specificâ :* per illam privilegium validum redditur, etiamsi valere desierit. Æquivalet ergo novæ concessioni, et supplet omnes defectus qui suppleri possunt (Bouix, *de Regul.*, t. 2, p. 78). Suarez tamen videtur exigere hanc clausulam, non obstante *falsitate* aut *subreptione* in casu quo privilegium fuit ab initio nullum, quia confirmatio est de privilegiis reverà concessis, quale non est privilegium in hypothesi (*de Leg.*, lib. 8, cap. 19, n° 3).

166. Quærit. 7° Utrum privilegiatus suo privilegio uti teneatur?

Resp. « Non tenetur, regulariter loquendo, uti privile- » gio. *Reg. jur.* 61 in 6°. Sed excipiendum est 1° si non » utendo grave damnum proximo inferret : hoc tamen » intellige, si *per se* non verò consequenter : ex. c. si » Confessarius habeat privilegium absolvendi à peccatis » reservatis, post auditam confessionem, tenetur eo uti.... » 2° Si privilegium cedat in bonum commune quemadmo- » dum est privilegium immunitatis, quo unusquisque

» tenetur uti, ex cap. *Si diligenti de foro compet.* 3° Si pri-
» vilegium tollat impedimentum ad observandum præcep-
» tum, ex. c., si infirmus habet domi oratorium privatum et
» potest facilè audire sacrum, tenetur privilegio uti.... 4° Si
» privilegium non est personale, sed reale, addictum loco, vel
» dignitati, vel statui, quemadmodum sunt privilegia con-
» cessa Episcopis et Regularibus. » (S. Liguor., *de Privilegiis*, n° 3).

167. Quærit. 8° Quomodò privilegia sint interpretanda?

Resp. « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus inter-
» pretationi; sed ubi sunt dubia necessaria est interpreta-
» tio. » Ità Glossa in capit. *Cùm dilectus*, *de Consuet.*

« 1° Omne privilegium interpretandum esse, ait
» S. Liguor. (*ib.*, n° 6), eo modo quo privilegiato non sit
» neque inutile, neque onerosum.... 2° Privilegia solùm
» Princeps, vel alii quibus à Principe foret commissum,
» authenticè vel juridicè possunt interpretari; doctrinaliter
» verò potest ea interpretari quicumque vir doctus, cujus
» resolutioni licitè potest acquiesci, ut omnes affirmant;
» et quando in privilegio prohibetur quæcumque interpre-
» tatio, de solâ authenticâ et juridicâ est intelligendum....
» Aut ad summum intelligi debet de interpretatione quæ
» fit ex professo, ut dictum est *de Legibus* (n° 200).....
» 4° Generaliter loquendo omne privilegium largè est inter-
» pretandum; et habemus ex cap. *Olim.*, 6; *de Verb. signif.*,
» ubi dicitur : *Cùm beneficia principum interpretanda*
» *latissimè*, etc.... Contra verò privilegia odiosa strictè
» sunt interpretanda, cujusmodi sunt illa quæ sunt dero-
» gatoria juris communis, aut statutorum et consuetudi-
» num particularium, dummodo hæc statuta non sint contra
» jus commune, aut dummodo privilegium non sit inser-
» tum *in corpore juris*, ideoque aiunt Sanchez et Maz-
» zotta, etc.... omnia privilegia realia latè esse interpre-
» tanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam
» inserta in jure communi. Insuper excipitur si aliàs pri-
» vilegium redderetur inutile, aut si in eo exstaret clau-
» sula : *ex certâ scientiâ*, vel *ex motu proprio*; vel si
» privilegium esset absolvendi, dispensandi aut communi-

» candi ad alios.... Privilegia verò in præjudicium aliorum, » cujusmodi essent ad obtinenda plura beneficia.... aut » contra observantiam regularem strictè sunt interpretanda, » etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio*.

« Hoc verò intelligendum est de privileg°. concessis perso» nis particularibus; sed ea quæ sunt concessa alicui Ordini, » conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, » omnia sunt interpretanda, non modò latè, sed etiam la» tissimè, etiamsi adversetur juri communi vel alicui tertio, » quemadmodum communissimè affirmant D.D... Privi» legia enim communitatibus concessa præsumuntur » omnia esse remuneratoria servitiorum præstitorum, et » ideò omnia habentur tanquam favorabilia. » (S. Liguor., *de Privileg.*, n° 6-8.)

Dictum fuit *privilegia in præjudicium* aliorum strictè esse interpretanda; nam si essent in præjudicium solius concedentis, largissimè essent interpretanda contra ipsum, « cùm nihil exceperit et potuerit excipere, ac in beneficiis » plenissima sit interpretatio adhibenda. » (Cap. *Quia circa*, *de Privileg.*)

« Excipe tamen, inquit Reiffenst. (lib. 1, tit. 3, n° 131), » privilegium concessum ab Ecclesiâ Romanâ, quæ in suum » præjudicium non præsumitur quemquam privilegiare : » arg. cap. *Cùm instantia*, *de Cens.* »

168. Quærit. 9° Quot modis cessare possint privilegia?

Resp. multis modis cessare posse : « 1° per decursum » termini constituti; 2° per cessationem causæ finalis : » intellige quando privilegium est concessum sub condi» tione dictæ causæ : sed quando concessum esset abso» lutè, adest opinio valde probabilis quòd etiamsi cessaret » causa finalis, non cesset tamen privilegium... juxta quod » diximus *de Dispensat.*, c. 2, n° 66 in fine; 3° ob » renuntiationem privilegiati, in quo notandum est quòd » particulares nequeant renuntiare privilegiis communi» tatis; et ut valida sit renuntiatio fieri debet in manu » illius qui privilegium concessit et ab eodem accep» tanda... 4° Per usum contrarium, vel per non usum; in » dubio tamen præsumptio est semper pro usu; sed in hoc

» advertendum est quòd privilegia gratiosa, quæ non sunt
» aliàs gravamini, ut absolvendi, dispensandi, vel jejunandi
» et his similia, hæc nunquam amittuntur per non usum
» et etiam per usum contrarium, quamvis temporis longissimi...
» Privilegia contra quæ tertio sunt onerosa, ut
» non solvendi decimas et similia, hæc præscribuntur per
» usum contrarium et per usum privativum [1] (non verò
» duntaxat negativum), quod accidit quando privilegiatus
» conscius jam sui privilegii, occasionibus oblatis, sponte
» uti recusavit : hoc autem currit, dummodo in privilegio
» non sit clausula utendi ad sui arbitrium... Insuper hoc
» intelligitur pro foro externo; nam in concientiâ, non
» amittit privilegium qui animum non habet renuntiandi.
» Potest cessare etiam privilegium per abusum sive in
» totum sive in partem (Vid. etiam Reiffenst., lib. 5,
» tit. 34, nº 176-179).

169. » Cessat 5º Privilegium ob revocationem Principis.
» In hoc autem distinguere oportet privilegia gratuita à
» remunerativis et ab onerosis : si privilegium est merè
» gratuitum, revocari potest validè etiam sine justâ causâ,
» quamvis hoc non excusetur saltem à culpâ veniali, si
» scandalum absit... Si verò cum privilegio translatum
» fuisset dominium alicujus rei in privilegiatum, illud
» revocari nequit nec licitè nec validè, nisi ob causam
» urgentissimam boni communis, vel gravis delicti, vel
» ob illas causas ob quas (vel potius sine quibus) revocari
» nequit donatio... Sed si privilegium est remunerativum vel
» ob justitiam, vel ob gratitudinem, semper requiritur justa
» causa, ut validè revocetur. Et si insuper est onerosum
» ut, ex. c., concessum ob pretium acceptum vel ob aliquod
» onus privilegiato impositum, tunc ut revocetur (ultra jus-
» tam causam) requiritur compensatio. Et hoc dicendum

[1] Modò adsint sequentes conditiones : « 1º Ut fuerit occasio utendi
» privilegio ; 2º ut negligens uti privilegio quando id poterat, scienter
» neglexerit ; 3º ut neglexerit liberè... non per violentiam ; 4º ut non
» usus vel usus contrarius intervenerit debito tempore ; 5º ut non usus
» vel usus contrarius provenerit ab iis qui privilegio renuntiare potuerunt. »
Bouix, *de Reg.* t. 2, p. 84.

» de privilegiis remuneratoriis ob justitiam, ut dicunt
» communiter DD.

170. » Revocatio privilegiorum alia est *expressa*, alia verò
» *tacita*. Quoad *expressam* regulariter loquendo, sufficit
» clausula generalis *non obstantibus privilegiis*, etc., ut
» revocentur omnia privilegia in contrarium. Excipientur
» tamen : 1° privilegia concessa per modum contractûs,
» sive onerosa sint sive remunerativa ob justitiam (ut su-
» pra dictum est), in quibus mentio specialis fiat merito-
» rum in particulari; 2° privilegia quæ clausulam habent
» quòd non intelligantur derogata, nisi mentio particularis
» fiat; 3° privilegia Regularium, quæ etiam specialem
» mentionem requirunt, quia sunt remunerativa et vi-
» dentur clausulam habere derogatoriam futuræ revoca-
» tionis nisi eorum mentio specialis fiat, ut affirmat Ro-
» dr., etc... 4° privilegia inserta in *Corpore juris*, quia tunc
» sunt veræ leges, et ut revocentur requiritur clausula
» specialis *non obstantibus in contrarium*, etc...

» Omnes verò præfatæ limitationes intelliguntur locum
» habere si non constet de contrariâ mente derogantis...
» Unde si in lege revocatoriâ adsit clausula ex *certâ scien-*
» *tiâ* aut ex *motu proprio* aut *de potestatis plenitudine*, tunc
» revocatur omne privilegium quantumcumque qualifica-
» tum exceptis onerosis, aut quando revocatio præjudicaret
» juri à tertio acquisito.

171. » Quod attinet ad revocationem tacitam : privile-
» gia ante concessa intelliguntur revocata per quamcum-
» que legem universalem in contrarium, etiam si in eà
» non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex vel
» novum privilegium aliis concessum non posset effec-
» tum intentum sortiri, nisi revocatis privilegiis antea
» concessis. Non præsumitur enim legislator velle con-
» dere legem inutilem aut concedere privilegium eluso-
» rium, sive generale, sive particulare illud sit Hoc tamen
» intelligendum est, quando privilegia prius concessa nota
» sunt principi quemadmodum præsumitur de omnibus
» privilegiis insertis in *Corpore juris*. Quod è contra non
» præsumitur de aliis quæ existunt *extra jus*; unde horum

» specialis mentio est facienda.» Ita S. Liguor., *de Privileg.*, n° 14-18.

172. Quoad durationem privilegiorum observandum est quòd privilegia merè personalia seu primario personæ concessa, morte impetrantis extinguantur. Difficultas est quomodo à cæteris distinguantur illa privilegia merè personalia circa quod vid. Suar. *De Legib.*, lib. 8, c. 3; et attende ad regulam sic ab eodem datam (n° 9): « Si intentio privilegiatoris » fuit providere personæ, privilegium est personale; si » verò intentio fuit providere causæ, Dignitati, et similibus, » privilegium est reale, » et tunc non extinguitur morte impetrantis. « In privilegiis, addit Suarez (*ib.* n° 12, in » fine), magis esse utendum conjecturis quam recurren» dum ad expressionem nominis proprii et Dignitatis. » Vide insuper Reiffenst., lib. 1, tit. 29, n° 227, etc., ubi dicitur : « Attendendus est totus contextus verborum.... » deinde spectanda est materia subjecta aliæque circum» stantiæ concurrentes, ac juxta ipsa ferendum est judi» cium .. Si autem, pensatis omnibus, remaneat dubium... » delegatio censenda est personalis... ac proinde non tran» sire ad successores...; ratio est quia jurisdictio delegata » est odiosa et strictè interpretanda. »

Hæc dicta de privilegiis in genere sufficere videntur : de privilegiis verò in specie dicetur passim in decursu hujus Manualis prout se dederit occasio, tractando vel de Clericis vel de Religiosis, etc... De communicatione autem privilegiorum, sermo erit in discursu de Statu religioso (2934, etc.).

CAPUT V.

DE HISTORIA JURIS CANONICI.

ART. I.

DE HISTORIA JURIS CANONICI COMMUNIS.

§ I.

Quale fuerit jus canonicum primis Ecclesiæ sæculis?

173. Initio, id est duobus vel tribus prioribus sæculis, solâ Scripturâ et regulis Apostolorum aut virorum aposto-

licorum velut per manum traditis administrata fuit Ecclesia. Regulam ab Apostolis traditam circa Episcoporum successionem memorat S. Clemens, S. Petri discipulus et successor; S. Ignatius martyr in suis epistolis populos, per quos iter faciebat, hortabatur ut *diligentiùs* ac *tenaciùs Apostolorum traditionibus inhærerent*. In controversiâ de die celebrationis Paschæ et aliâ de Baptismate ab hæreticis collato, contendentes ex utrâque parte allegabant traditiones Apostolorum. Paulatim verò, multiplicatis pro variis Ecclesiæ necessitatibus conciliis, varii conditi sunt canones ex quibus efformatæ fuêre diversæ juris canonici Collectiones.

§ II.

De jure canonico apud Ecclesiam Orientalem.

174. Sæculis 2° et 3°, in Asiâ, Syriâ, Palestinâ, etc., à Synodis particularibus nonnulli conditi sunt canones; postea, id est, anno 314, habita sunt concilia Ancyranum in Galatiâ, et Neocæsariense in Ponto, in quibus multi canones conditi fuêre quibus plures alii fuerunt additi in Synodis quarti et quinti sæculi, videlicet Nicæno (anno 325), Antiocheno (341), Sardicensi (347), Carthaginensi (348), Gangrensi in Paphlagoniâ (362-370), Laodiceno in Phrygiâ (347-381), (Phillipps, *du Droit ecclés. dans ses sources*, p. 10). Ex his efformatæ sunt plures canonum collectiones; de præcipuis tantùm dicemus.

Jam satis fuit dictum de Canonibus et Constitutionibus Apostolorum (23-24); superest ut pauca indigitemus:

1° De celebri Collectione in Chalcedonensi Concilio, anno 451, commemoratâ. In sessione enim quartâ hujusce Synodi in memoriam fuit revocata quædam regula tanquam ex *Codice* deprompta, quæ est ipsemet canon 5 Concilii Antiocheni. Insuper plures alii canones, videlicet 4 et 5 ejusdem Concilii allegantur tanquam 83 et 84 alicujus *codicis*. Ergo exstabat jam tunc Collectio aliqua canonum authentica et usu recepta. Sed penitùs ignoratur à quo fuerit redacta. Duæ illius exaratæ fuerunt versiones ante Diony-

sianam : Isidoriana nempe et ea quæ vocata fuit *Prisca* (V. Bouix, *de Principiis*, p. 403).

2° *De Collectione canonum Joannis Scholastici et de ipsius Nomo-Canone.*

Joannes Scholasticus, presbyter Antiochensis anno 564, Justiniano imperante, ad sedem Constantinopolitanam evectus, auctor fuit Collectionis canonum in 50 titulos, non ordine chronologico, sed prout materiæ postulabant redactorum.

Alteram Collectionem edidit in quâ congessit non solùm canones, sed Imperatorum leges ex Justiniano Codice et Novellis depromptas, quæ ideo *Nomo-Canon* dicta est. Novas additiones accepit Græcorum Codex ex Synodo Trullanâ seu *Quinâ-Sextâ.*

3° Photius Constantinopolis Pseudo-Patriarcha, anno 858 alterum edidit *Nomo-Canonem* in 14 titulos divisum, in quo virus Schismatis continetur, et quem, anno 1170, Balsamon post alios plures jussu Imperatoris Emmanuelis Commenis commentatus est.

Sunt adhuc multæ aliæ collectiones canonum apud Orientales de quibus vide, si lubet, D. Bouix (*de Principiis*, p. 394, etc.); Philipps. *op. cit.*; Tardif, *Hist. des sources du droit can.*; Maassen, *Quellen*, etc.

§ III.

De jure canonico in Ecclesiâ latinâ.

I.

ANTE DIONYSIUM EXIGUUM.

175. In Ecclesiâ Occidentali, Nicænorum canonum Collectio sola diù auctoritatem habuit, ut colligi potest ex ep. ad cler. et popul. Constantinopolitanum Innocentii I qui Romanæ Eccl. præfuit ab anno 402 usque ad annum 416.

Nomine autem *Canonum Nicænorum* comprehendebantur etiam canones Concilii Sardicensis, ut constat ex Commonit. à Zozimo Papâ Legatis Africæ tradito, et ex multis et pervetustis codicibus (Bouix, *de Principiis*, p. 400-404.) Probabiliter illud evenit ex eò quòd ab iisdem ferè Patribus, duce Osio, conditi fuêre tum Nicæni, tum Sardicenses cano-

nes, unde isti quasi appendices illorum habiti sunt.

Præfata assertio non obstat quominùs ante Dionysium simul vim legis in universali Ecclesiâ obtinuerint decreta SS. Pontificum sufficienter promulgata et in archivis S. Sedis tunc temporis authenticè asservata.

II.

DE COLLECTIONE DIONYSII EXIGUI SÆCULO 6°, ET QUIBUSDAM ALIIS.

176. « Fuit hic Dionysius, ait Devoti (*Proleg.*, c. 5, § 59), » Instituto monachus, natione Scytha, moribus et domi- » cilio Romanus, doctrinâ verò ac vitæ integritate præ- » clarus. Romam venit Anastasio II Pontifice, qui Ponti- » ficatum tenuit usque ad annum 498.» Obiit circa annum 536.

Dionysiana Collectio in duas distinguitur partes, quarum una synodorum canones, altera Romanorum Pontificum epistolas complectitur.

Prior pars continet : 1° Tabulam omnium titulorum; 2° Canones Apostolorum; 3° Canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenses et Constantinopolitanos; 4° Canones Chalcedonenses; 5° Sardicenses 21 ex originali latino ; 6° Africanos distinctos in 138 numeros.

Secunda pars, post epistolam ad Julianum presbyterum et tabulam titulorum, continet : 1° Epistolam Siricii ad Himerium Taraconensem; 2° 22 Epistolas Innocentii; 3° Epistolam Zozimi ad Hesychium Salonitanum; 4° Bonifacii I decreta; 5° Cœlestini epistolas tres; 6° septem Leonis; 7° decreta Gelasii; 8° Epistolam Anastasii II ad Anastasium Augustum.

Cæteris antiquioribus collectionibus, valde præstabat Dionysiana Collectio, sive perspicuitate et ordine, sive monumentorum sinceritate : nihil enim apocryphum recepit, præter Apostolorum Canones, de quibus tamen non omisit præmonere. Non tamen auctoritate publicâ pollens fuit. Incertum est utrum ex apostolicis scriniis epistolas Pontificum eduxerit.

Non autem videtur primus fuisse Dionysius qui decreta SS. Pontificum collegerit. Malè tamen ex falsâ suppositione quòd fuerit primus, inferunt Van Espen et quidam alii, pontificias illas constitutiones vim obligandi non habuisse ante Collectionem Dionysianam. Non enim ex privatis collectionibus, sed ex Pontificis potestate reputanda est illarum auctoritas; quod patet etiam ex epistolâ Siricii ad Hymerium ubi dicitur : « Statuta Sedis Apostolicæ... » nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum.» Et ex epistolâ comprovincialium Episcoporum Metropolis Arelatensis ad S. Leonem Magnum, in quâ asserunt « non ex aliquo » canonum Codice sed ex scriniis Sedis Apostolicæ decre» torum Zozimi Pontificis, vim omnem et auctoritatem » repeti. » (Devoti, c. 5, § 58 in nota).

Prodierunt aliæ multæ collectiones juris canonici ante eam quæ vocata fuit *Isidoriana ;* sufficiat illas enuntiare :

Videlicet 1° Breviatio, seu Indiculum canonum Ferrandi diaconi Carthagin., ann. 547.

2° Collectio, seu Capitula S. Martini Bracariensis Archiepiscopi qui obiit anno 583.

3° *Breviarium et Collectio Cresconii*, *VII sæculo.* Cresconius, Africanus Episcopus, anno 697 floruit. Primus fuit in Occidente qui in suâ collectione integros canones et epistolas SS. Pontificum non retulit, sed divisit in partes, et in titulos distribuit.

Collectio *Adriana*, anno 774, Carolo Magno tradita; Adriana vocatur, non eò quòd Adrianus fuerit ipsius auctor, quippe non differt à collectione Dionysianâ nisi in quibusdam additamentis; sed eo nomine vocatur quia, offerendo illam Carolo Magno, Adrianus visus fuit illam aliquo modo probare, ipsique auctoritatem conferre; vocata fuit etiam *Codex canonum.*

Ante duas modò relatas, prodierat in Hispaniâ, circa annum 633, Collectio quæ *Hispanica* exhinc vocata fuit. A multis S. Isodoro Hispalensi tribuitur, et prout primitùs exstabat, adhuc remanet manuscripta, juxta Feller (v° *S. Isidore*). Contradicit tamen P. de Régnon, ap. *Etudes religieuses*, p. 655; et saltem *Patrologiam* Migne, t. 84, p. 655, inserta est.

III.

DE ISIDORI MERCATORIS COLLECTIONE, ET DE FALSIS DECRETALIBUS NONO SÆCULO.

177. Celebris evasit illa collectio, ob insertionem in eâ factam multarum falsarum decretalium. Plures enim in eâ reperiuntur litteræ evidenter supposititiæ SS. Pontificum à S. Clemente usque ad S. Sylvestrum. Item Pontificibus subsequentibus usque ad S. Gregorium Magnum, plures aliæ attribuuntur, de quibus nulla facta fuerat mentio in cæteris collectionibus et in quibus inveniuntur multa indicia falsitatis.

Collectio tamen ista accepta fuit, nemine fraudem suspicante: quamvis enim Hincmarus visus fuerit non admittere auctoritatem decretalium quæ in collectione *Adrianâ* seu *Codice* canonum non reperiebantur, nunquam tamen dixit illas fictitias esse; imò prout ei objiciebat Nicolaüs I, illis decretalibus utebatur Hincmarus in iis quæ sibi favebant.

Ita autem invaluit impostura, ut subsequentes collectores Burchardus nempe, S. Yvo Carnutensis et præsertim Gratianus, suas fecêre illas falsas decretales quin exhinc ulla reclamatio exorta fuerit usque ad dimidiam partem decimi quinti sæculi.

Primus omnium Cardin. Nicolaus Cusanus, circa annum 1450, ut suspectas denuntiavit: idem sensit Erasmus. Eas rejiciendas esse dixerunt Centuriatores Magdeburgenses; et quamvis eos confutare tentaverit Franciscus Torres, ita manifestam exhibuerunt imposturam, calvinista David Blondellus et multi alii catholici, inter quos De Marca, Baluzius, Cardin. Norisius, Labbe, Natal. Alexander, fratres Ballerini, Zaccaria et alii multi, ut hodie apud omnes eruditos constet de illarum decretalium suppositione.

Ex hoc facto tam stupendo ansam clamitandi contra Ecclesiam arripere non omiserunt Protestantes, contendentes per falsas decretales deturpatam fuisse doctrinam catholicam, et inde ortam fuisse hodiernan opinionem de

S. Pontificis auctoritate antiquis ignotam. Jansenistæ quoque, et ex Gallicanis multi ex hoc insinuunt, consciâ et connivente Romanâ Sede, propagatam fuisse imposturam, indebita hinc accessisse pontificiæ auctoritati incrementa, diminuta verò Episcoporum et provincialium conciliorum jura, eversam denique et obnubilatam veram Ecclesiæ disciplinam. Ita Fleury, Van Espen, Febronius. Hæc sunt hîc refellenda; sed prius examinandum est:

178. — I. Quis fuerit Isidorus, quo tempore, et quem in scopum scripserit.

1° Isidorus iste aperte assumit nomen S. Isidori Hispalensis, de quo tamen ne cogitari quidem potest. Habet enim præfatio: « Incipit præfatio S. Isidori eppi » libri hujus. Isidorus Mercator *(in multis codicibus* » peccator) servus Christi », etc. — Et revera collectio nihil aliud est quam *Hispana* seu *Isidoriana*, cui adjecta sunt apocrypha multa, quorum quædam jam extabant, plura ab auctore composita sunt diversissimis ex locis. Cf. P. Hinsch, *Decretales Ps. Isid.*; Schneider, *Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen*, 2 ed. p. 81 seq.

2° Collectionis prima mentio habetur paulo post Conc. Suessionense a. 853, et saltem in Conc. Carisiacensi a. 857, ubi expresse citatur. Ceterum cum falsarius usus sit documentis authenticis non ita antiquis, v. g. Syn. Aquisgranatensi a. 836, tempore medio collectionis compilationem tuto reponere possumus.

3° Circa operis auctorem et patriam multæ, eæque maxime variæ propositæ sunt hypotheses. At neque Romæ, neque in Hispania compilatas esse falsas decretales sustineri potest. Deseritur pariter opinio juxta quam Moguntiæ fabricatæ essent a Riculfo, aut ab Otgaro, aut etiam a Rhabano Mauro; ceterum uni eidemque falsario hodie tribuuntur et Pseudo Decretales, et capitula Angilramni, et Capitularia Benedicti Levitæ. Rectius patria operis assignata est a recentioribus Gallia, præsertim provincia Remensis; auctorem vero dixerunt quidam Hincmarum, quod absurdum est, quidam Rothadum, alii Lupum abbatem, sed

absque ratione. Nunc multo probabilior tenenda est opinio D. Simson juxta quem Cenomani fabricatæ sunt falsæ Decretales, una cum aliis apocryphis : *Gesta epp. Cenomanensium*, *Gesta Aldrici ep.*, etc.

3° Falsum est scopum falsarii fuisse amplificare Sedis Apostolicæ auctoritatem, prout immeritò contendunt Fleury, Van Espen, etc. E contra ipsius mens fuisse videtur difficiliora reddere Episcoporum judicia, ut colligi potest ex ipsâ præfatione et ex ipsismet falsis decretalibus. Id confitetur ipse Fleury, *His. eccl.*, liv. 44, n° 22; Van Espen, *Proleg.* c. 5, §, 71 ; Lequeux, t. 4, p. 9 ; Feller, v° *Isidore.*

179. — II. Dici nequit imposturam Isidori, consciâ et connivente Sede Romanâ, fuisse contextam. Hæc calumnia frequens apud Protestantes et Jansenistas imò et quosdam Gallicanos, obtruditur præsertim ab Ægidio Wette et Nicolao de Hontheim sub nomine Febronii, qui affirmat falsas Decretales compositas fuisse post annum 744, et *Romæ quidem, ut gravis fert suspicio ;* et refert quòd « Gasparus Barthol. observat Isidorianum Codicem, urgente vehementissimè Nicolao I, à totâ Ecclesiâ.... receptum esse. » Porrò hæc duo sunt falsa :

1° Falsum est Isidorianas Decretales Romæ, annuente vel etiam auctrice Romanâ Curiâ, confictas esse : Etenim jam confectæ erant illæ decretales, anno 846, fatente ipsomet Febronio, qui existimavit illas multò antea prodiisse. Ergo, si Romæ confictæ fuerint, Romanâ Curiâ auctrice, debuit illas cognoscere et commendare Leo IV, qui S. Sedem occupavit anno 847; porrò ille Pontifex, in suâ ad Britannos epistolâ, dum declarat quisnam codex esset Romæ receptus, quemque sequi omnes deberent, non Isidorianum, sed Dionysianum describit (dist. 20, c. 1). Ergo, falsum est Isidorianas Decretales, annuente et auctrice Curiâ Romanâ, confictas esse.

2° Falsum est Isidorianam Collectionem, urgente vehementissimè Nicolao I, fuisse à totâ Ecclesiâ receptam : etenim ille Pontifex, in epistolis quas direxit, sive ad Photium, sive ad Hincmarum, sive ad Imperatorem Michaelem, annis 863 et 865, quamvis totus sit in asserendis et vindi-

candis S. Sedis prærogativis, nunquam allegat falsas Decretales Isidori, sed semper citat veras, quales reperiebantur in Collectione Dionysianâ. Re quidem verâ, in suâ ad Episcopos Galliæ epistolâ circa annum 865, illos redarguit quòd contenderent non esse accipiendas veteres constitutiones SS. Pontificum, sub pretextu quòd in Codice Adriano non reperiebantur; sed incertum est utrum Pontifex voluerit his verbis designare falsas Decretales : de hoc disputant eruditi : et quidquid sentiendum sit de hâc quæstione, exinde non probatur Nicolaum I vehementissime ad receptionem falsarum Decretalium impulisse : ait enim tantùm constitutiones S. Sedis recipiendas esse, etiamsi non inserantur alicui codici : quod quidem extra controversiam haberi debet, ut patet.

Quamvis in Galliâ primùm et Germaniâ, et sensim in cæteris regionibus, magnam obtinuerit auctoritatem collectio Isidoriana ; quamvis à multis conciliis allegata fuerit et admissa tandem fuerit in Decreto Gratiani, à nullo tamen Papâ nulloque Concilio œcumenico approbata fuit authenticè.

180. — III. Dici nequit per falsas Decretales perturbata fuisse Episcoporum jura, novam disciplinam fuisse introductam, etc.

His querelis pleni sunt Jansenistarum imò et Gallicanorum libri. Sic Fleury (3ᵉ disc. nº 2) : « Mais de toutes ces » pièces fausses, les plus pernicieuses furent les *Décrétales* » attribuées aux Papes des quatre premiers siècles, qui ont » fait une plaie irréparable à la discipline de l'Église, par » les maximes nouvelles qu'elles ont introduites touchant » les jugements des Évêques et l'autorité du Pape. » Similia dicunt Racine, Quesnel, Van Espen (Bouix, *de Principiis*, p. 429, etc.). Porrò hæc proferuntur absque ullo fundamento. Etenim circa tria præsertim fuit innovatum ab Isidoro, juxta Fleury (Discours 7, nº 6) : 1º Circa *Concilia*, quæ amplius haud potuerunt celebrari *Præter sententiam Papæ;* 2º Circa *judicia* Episcoporum, quæ ad S. Pontificem fuerunt reservata ; 3º Circa *appellationes*, quæ in infinitum fuerunt extensæ. Sed hæc, inquimus, sine fundamento proferuntur.

1° Non fuit innovatum circa concilia dicendo : *Præter sententiam Romani Pontificis non posse celebrari :* eadem enim dicuntur quinto sæculo à Socrate et Sozomeno, occasione Synodi Antioch., in quâ S. Athanasius fuerat depositus (Bouix, *Concil. Provincial.* p. 368, etc.). Anno 451, in Concilio Chalcedonensi (art. 1), Legatus S. Pontificis Dioscori damnationem postulans, pro causâ assignavit quòd ausus fuisset concilium facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ : *Quod nunquam licuit*, aiebat, *nunquam factum est.* Ergo dicendo *Præter sententiam Romani Pontificis concilia non posse celebrari* nihil *inauditum* asseruit Isidorus, nec innovavit.

2° Nec innovavit circa *judicia Episcoporum*, illa reservando ad S. Sedem : jam enim, quarto sæculo, Papa Julius, scribendo ad Eusebianos, illos reprehendit quòd Athanasium deposuissent, inconsultâ Romanâ Ecclesiâ, quod vocat insuetum, novum, Patrumque traditionibus contrarium. V. Muzzarelli, *Remarques sur l'Histoire ecclésiastique de Fleury*, p. 30.

3° Nec denique Isidorus innovavit circa *appellationes*, indefinitè illas extendendo.—Nam si legantur epistolæ SS. Pontificum, præsertim SS. Leonis Magni et Gregorii Magni, brevi manifestum erit quàm frequenter, longè ante falsas Decretales, appellaretur ad Sedem Apostolicam, non in causis tantùm Episcoporum, sed etiam sacerdotum aut clericorum ordinis inferioris[1].—Attamen Fleury præsumperat de iisdem SS. Leone et Gregorio Magno asserere : « Il est bien cer» tain, dans le fait, qu'ils n'ont *jamais exercé* cette autorité » marquée dans les Décrétales d'Isidore » (appellationes excipiendi). Ex quo posset concludi nunquam Fleury legisse epistolas SS. Leonis et Gregorii Magni.

181. — IV. Quomodo fieri potuerit quòd suppositio

[1] De S. Leone legendæ sunt littera 20ª ad Flavianum pro appellatione Eutichetis, litt. 40ª pro appellatione Flaviani, litt. 89ª ad Pulcheriam, litt. 105ª Anatolii Patriarchæ Constantinopolitani, etc.—De S. Gregorio legendæ sunt litt. ad Natalem, lib. I. ep. 19 et liber 2, ep. 14 aliàs 18.— Ad Hilarium Monach. Africanum, lib. I. 82, aliàs 84.— Ad Januarium, Episcop. lib. II 34 aliàs 48, et aliæ multæ à Muzzarelli citatæ (*Remarq. sur l'Hist. eccl. de Fleury*.

tot Decretalium per multa sæcula non fuerit recognita?

Illud evenit 1° Ex eo quòd Falsæ Decretales erant quidem falsæ quoad attributionem factam iis sub quorum nomine intitulantur, sed in seipsis nihil novi aut falsi continebant, nullum punctum disciplinæ immutabant; imò jam antea existebant, magnâ saltem ex parte, vel in Historiis Rufini et Cassiodori, vel in *Libro Pontificali*, vel in Scripturâ Sacrâ, in conciliis, in operibus SS. Patrum, quin etiam in veris Decretalibus recentiorum Pontificum : « Après tout, » inquit Phillipps (*Droit eccl. dans ses sources*, p. 60), il » était, au fond, bien indifférent que telle ou telle propo- » sition eût été formulée par Anaclet ou Léon, par Evariste » ou Grégoire, par Télesphore ou Nicolas. »

2° Quia his temporibus, ante inventionem typographiæ, ars de scriptis judicandi, nondum suos progrèssus fecerat; suspicatus tamen fuit error: « Ut antiquiores (Vide » Epist. Card. Deus-Dedit ad Victorem III, quam edide- » runt Ballerini in Appendice ad S. Leonem, p. 4, c. 14) » criticos missos faciamus, qui in Isidorum censoriam » virgulam distrixerunt, Petrus Comestor, sæculo XII » (in *Hist. Schol. ad Act. Apost.*) atque sæculo XV Gobe- » linus... Card. Cusanus etc.... Isidorum de falsi crimine » postulârunt. » (Politi, *Jurisprud. Eccles. universalis*, t. 1, *Procem.*, quæst. 7). Immeritò igitur Protestantes glorientur quasi primi imposturam detexerint.

Cæterum Ecclesia nunquam tulit judicium de authenticitate Collectionis Isidorianæ. Attributio verò scriptorum facta alicui auctori vero vel fictitio, non est quid ad dogma vel mores pertinens, quando præsertim nihil, nec in fide nec in disciplinâ innovatur.

IV.

DE LIBRO DIURNO, SÆCULO OCTAVO, ET ALIIS COLLECTIONIBUS USQUE AD DECRETUM GRATIANI.

182. In libro *Diurno* continentur variæ formulæ professionis fidei, ordinationum à SS. Pontificibus sæculis VI, VII et VIII adhibitæ. Celebris evasit ille Liber sæculo XVII, eò quòd Romæ repertus à præclaro Lucâ Holstenio, et ab

eodem prælo commissus, anno 1646, non potuerit in lucem edi, obstantibus Romanis Censoribus, imò fuerit ab ipsis suppressus, anno 1662; causam exinde multarum querelarum arripuerunt hæretici et alii, quasi S. Sedes se inimicam lucis et progressui scientiæ ecclesiasticæ infensam ostenderet.

Divulgatus fuit Liber Holstenii anno 1724, in eoque multa inventa sunt ad confirmandam fidem et auctoritatem Sedis Apostolicæ idonea.

Cur verò suppressus fuerit videtur esse quia in eo continebatur professio fidei quam emittere debebant SS. Pontifices recenter electi et in quâ Honorius Papa damnabatur tanquam fautor hæresis Monothelitarum.

183. Inter innumeras collectiones juris canonici, quæ ante Gratiani decretum in lucem prodierunt, præcipuæ fuêre:

1° Collectio Reginonis Abbatis Prumiensis, anno circiter 906.

2° Collectio Burchardi, Wormatiensis Episcopi, edita quidem ante annum 1023 sed post annum 1012, in quâ multa apocrypha Isidori transcripta sunt (*Droit Ecclés. dans ses sources*, Philipps, p. 83).

3° Collectio S. Anselmi Lucani Episc., tempore S. Gregorii VII cui addictissimus fuit.

4° Collectio Deus-Dedit, qui ab eodem Pontifice Cardinalis fuit creatus. Hæ duæ collectiones 3ª et 4ª ex archivis Ecclesiæ Romanæ, ex parte saltem, erutæ sunt et valorem habent (*Droit Ecclés. dans ses sources*, p. 87).

5° Yvonis Carnutensis duplex collectio: una *Decretum* vocata, cujus auctorem certè fuisse Yvonem communiter admittitur; altera *Panormia* nuncupata de cujus vero auctore valdè controvertitur. Yvo obiit versùs ann. 1115. Præcipuus fons ex quo suos canones hausit, fuerunt Collectio Isidori et Collectiones Reginonis et Burchardi.

V.

DE COLLECTIONE GRATIANI.

184. Gratianus, Clusii in Etruriâ (Chiusi en Toscane) natus, monasticam vitam sub regulâ S. Benedicti amplexatus

est Bononiæ, in monasterio SS. Felicis et Naboris. Celeberrimam Collectionem suam ibi edidit circa ann. 1151. Opus suum compegit ex locis Scripturæ Sanctæ, ex 50 canonibus Apostolorum, ex Conciliis, ex SS. Pontificum Constitutionibus ex sententiis Patrum et plurium scriptorum ecclesiasticorum, ex jure civili romano, ex Capitularibus regum Francorum, ex Historiâ Ecclesiasticâ, ex libro Diurno et Ordine Pœnitentiali, ex Pontificali Romano. Vocari solet *Decretum Gratiani*.

Dividitur in tres partes : Prima pars constat Distinctionibus 101 in Canones vel Capita distributis : statutis enim principiis generalibus juris ecclesiastici in viginti prioribus distinctionibus, in cæteris 81 tractatur de Personis, earum juribus, obligationibus, dotibus etc.—Secunda pars constat Causis (seu judiciis) 36, quarum unaquæque subdividitur in quæstiones, quæ iterum subdividuntur in canones seu capita. Quæstio tertia causæ 33 agit de Pœnitentiâ, et subdividitur in septem distinctiones. —Tertia pars, sub titulo de Consecratione, subdividitur in 5 distinctiones et tractat de Rebus sacris, seu de ecclesiis, Sacramentis, etc.

Vix percipi potest, inquit Devoti, cur Gratianus has varias divisiones admiserit.

Plus quam centum canones inscribuntur nomine *Palea*. Nec constat apud eruditos de sensu hujus vocis (*Droit eccl. dans ses sources*, supra citat, p. 111 et 112). Non autem à Gratiano, sed ab alienâ manu inserti fuerunt hujusmodi canones : primùm in margine, et quidem non omnes qui nunc exstant, sed postea in contextu, sicut nunc positi sunt. Juxta Walter, eorum insertor fuit *Pauca Palea*.

Magno plausu excepta fuit Collectio Gratiani, ita ut, cæteris collectionibus neglectis, sola in scholis legeretur et interpretaretur, ac in foro tanquam pars communis juris proponeretur.

Multæ tamen in eâ reperiuntur mendæ. Non enim ex veris fontibus, sed mendosis collect. Burchardi, Yvonis, imò Isidori Mercatoris deprompta sunt ejus monumenta; multa in eâ confunduntur : v. g. Concilium *Quini-Sext.* cum sextâ Synodo œcumenicâ; sententiæ Patrum traduntur tanquam

SS. Pontificum; corrumpuntur auctorum et locorum nomina.

A SS. Pontificibus Pio V et Gregorio XIII designati fuêre multi correctores, quorum curis multæ mendæ deletæ sunt; sed remanent adhuc multa spuria et dubia, quorum catalogus legi potest ex Berardi apud Phillipps (*Droit eccl. dans ses sources*, p. 100, etc.). Vide etiam Cardin. Gousset, *Exposition des principes*, p. 17.

Memoriâ excidere non debet nunquam à S. Sede auctoritate publicâ fuisse donatum Decretum Gratiani.

De Glossatoribus ipsius vide Phillipps, in opere sæpe citato (p. 112-140).

185. Post Decretum Gratiani et ante Collectionem Decretalium Gregorii IX, plures aliæ concinnatæ sunt quas sufficiat indigitare :

1° Collectio Card. Florentini Laborantis, anno 1182.

2° Collectio quæ dicitur 1ª vel *Breviarium,* et quæ auctorem habuit Bernardum Circa, Præpositum Papiensem, ann. circiter 1190 (*Droit eccles. dans ses sources*, p. 143-144).

3° Collectio *Secunda*, auctore Joanne Vallense, juxta D. Bouix; sed juxta Phillipps (*Ibid.*, p. 151), ejus auctor fuisset Gilbertus.

4° Collectio *Tertia* sub Innocento III, quæ auctoritate pontificiâ fuit confirmata.

5° Collectiones quæ 4ª et 5ª dicuntur.

Illis quinque Collectionibus substituta fuit Collectio Gregorii IX, de quâ statim dicturi sumus, quæ illas abrogavit, juxta Phillipps (*ibid*, p. 205). Sed hoc ab aliis non admittitur.

VI.

DE COLLECTIONE DECRETALIUM SUB GREGORIO IX.

186. Exemplum Justiniani imperatoris imitari volens, Gregorius IX Codicem jussit exarari, in quo, resecatis quæ vel antiquata erant vel minus utilia vel confusione laborabant in veteribus collectionibus, aptè disponeretur totius juris ecclesiastici Corpus, quique vi legis polleret. Quo in opere conficiendo usus fuit operâ S. Raymundi de Pennafort, sic vocati ab oppido ejusdem nominis propè Barcinonem in Hispaniâ, in quo ortus fuit. Is S. Dominici

Institutum amplexus, munere SS. Pontificis Cappellani et Pœnitentiarii fungebatur. Triennio opus suum absolvit, non tantùm Decretales pontificias à S. Gregorio I ad Gregorium IX, sed etiam colligendo loca S. Scripturæ, canones Apostolorun, decreta conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV, multos SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum sententias. Illi tamen titulum indidit Decretalium D. Gregorii Papæ IX, quia sua fecit hæc omnia Pontifex ipse, opus suo nomine publicando et dirigendo, anno 1233, ad Universitates Bononiensem et Parisiensem.

Opus distributum fuit in quinque libros : Primus tractat de Judicibus ecclesiasticis seu de Prælatis; Secundus de Judiciis civilibus; Tertius, de Rebus ecclesiasticis quæ ad forum episcopale deducuntur in civilibus causis; Quartus, de Connubiis; Quintus, de Judiciis criminalibus, delictis et censuris. Quæ omnia hoc versiculo comprehenduntur :

« Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen. »

187. Ipsimet Decretalium tituli sunt authentici, et quidem tanquam juris regulæ allegantur : v. g. *Ut lite non contestatâ, non procedatur ad judicium ; Ne sede vacante, aliquia innovetur*. Confundi tamen non debent tituli cum summariis ; ista enim utpote fœtus privatorum non sunt authentica ; attamen utilia sunt.

188. *Partes decisæ* de quibus identidem habetur mentio, sunt partes Decretalium suppressæ à S. Raymundo et quæ ab auctoribus privatis fuerunt insertæ ad dilucidanda quædam obscura. Facilè discerni possunt.

VII.

DE SEXTO DECRETALIUM, CLEMENTINIS ET EXTRAVAGANTIBUS.

189. Novis quotidie in lucem editis constitutionibus, novam Collectionem authenticam faciendam curavit Bonifacius VIII operâ Guillelmi de Mandagoto Archiepiscopi Eberodunensis, Berengarii Fredoli Episcopi Biterrensis et Cardin. Richardi de Senis, anno 1298. Continet illa Collectio tum decretales Gregorii IX post ipsius collectionem promulgatas et sequentium Pontificum, tum

canones duorum Conciliorum œcumenicorum Lugdunensium, annis 1245, 1274; dividitur in 5 libros, eâdem servatâ titulorum et materiarum serie ac in Collectione Gregorii IX : vocata est *Sextus* quia est additamentum quinque libris Decretalium. Directa fuit ad Universitatem Bononiensem et probabiliter ad alias Universitates. Vim legis habet, in iis quæ non fuerunt legitimâ auctoritate immutata, sicut Collectio Gregorii IX.

190. *Clementinæ* à Clemente V collectæ, promulgatæ fuerunt post ipsius mortem, curâ Joannis XXII, anno 1317. Continent Decretales post Sextum evulgatas et statuta Concilii Viennensis œcumenici. Eodem modo dividuntur ac Sextus et Collectio Gregoriana.

191. Clementinæ vim legis habent, non secus ac quinque libri Decretalium et Sextus, hâc tamen differentiâ quòd Decretales Gregorii IX et Sextus Bonifacii VIII, revocaverunt omnes Decretales in his libris et in Decreto Gratiani non insertas aut non reservatas; dum nihil simile statutum fuit in publicatione Clementinarum (*Droit ecclés. dans ses sources*, par *Phillipps*, p. 265.)

192. *Extravagantes* duplicis generis sunt : Extravagantes Joannis XXII, et *Extravagantes Communes* usque ad Sixtum IV, numero 25. Vocatæ sunt *Extravagantes* quia fuerunt *vagantes* extra *Corpus juris*. Collectæ quidem fuêre, privatâ industriâ, sed quia nunc habentur ut insertæ *Corpori juris*, immeritò vocari videntur *Extravagantes;* sed usu consecrata est hujusmodi denominatio.

VIII.

DE CORPORE JURIS CANONICI.

193. Constat illud 1° Decreto Gratiani ad cujus calcem adjici solent Canones Pœnitentiales et Canones Apostolorum; 2° quinque libris Decretalium Gregorii IX; 3° Sexto Bonifacii VIII; 4° Clementinis; 5° Extravagantibus Joannis XXII; 6° Extravagantibus Communibus.

In pluribus editionibus adjiciuntur : 1° Liber Septimus

Decretalium Petri Matthæi Lugdunensis ; 2° Institutiones Lanceloti.

194. Sic autem allegari solent textus deprompti ex Corpore juris canonici :

« I. Quæ citantur ex Decreto Gratiani, allegantur per » Canones (et etiam aliquando per Capitula); quæ verò ex » Decretalibus, per Capitula.

» II. Quæ citantur ex primâ parte *Decreti Gratiani*... » allegantur sic : c. *Audite*, Dist. 34 : quod indicat cano- » nem 6 , distinctionis 34, qui incipit per vocem *Audite* : » unde ad inveniendum hunc locum, quærenda est dis- » tinctio 34, et dein, oculis percurrendo initialia verba » canonum hujus distinctionis, facilè reperitur canon » *Audite*, qui est sub n° 6. Aliquando canon non indicatur » per verbum initiale, sed per numerum sub quo jacet in » distinctione, v. g. c. 6, dist. 34. Hodierni aliqui auctores » utrumque ponunt, v. g. c. *Audite* 6, dist. 34.

» III. Quæ citantur ex 2ª parte Decreti Gratiani... sic » allegantur : C. *Omnibus*, c. 2, q. 5, quod indicat in » quæstione 5 causæ secundæ, canonem cujus initiale » verbum est *Omnibus*. Loco verbi initialis, aliquando » ponitur tantùm numerus; undè ad indicandum prædic- » tum canonem *Omnibus*, qui est sub n° 19, sic poni » potest, c. 19. C. 2, q. 5; id est canon 19, Causæ 2, » quæst. 5. Auctores aliqui veteres indicant causam per » solum numerum, omissâ litterâ C.; v. gr. C. *Apertè* » 24, q. 1. Id est, can. *Apertè*, Causa 24, quæstio- » nis 1.

» IV. Monuimus supra aliquid peculiare reperiri in » Causâ 33. Tertia nempe hujus causæ quæstio est trac- » tatus quidam de Pœnitentiâ divisus in septem speciales » distinctiones, et ideò modus etiam specialis adhibetur » ad allegandos hujus tractatûs canones : citantur sic : C. » *Perniciosè*, de *Pœnit.* dist. 1. id est : canon *Perniciosè*, » distinctionis 1, in tractatu de *Pœnitentiâ*.

» V. Quæ citantur ex tertiâ Gratiani parte... sic allegari » solent : C. *Triforme*, *de Consecr.* dist. 2; hoc est : canon » *Triforme* distinctionis 2, in tractatu de *Consecratione*.

» Vel etiam, loco verbi initialis, poni potest canonis » numerus C. 22, *Consecr.* dist. 2.

» VI. Ad calcem Decreti Gratiani reperiuntur Canones » Pœnitentiales et Canones Apostolorum : citantur autem » sic : C. *Pœnit.* 14. C. *Apost.* 15.

195. » VII. Ad allegandos quinque libros Decretalium, » indicatur 1° Capitulum per initialem ejus vocem; deinde » scribitur titulus libri; tunc additur vox *Extra* vel *supra* » quæ monent textum inveniri extra Decretum Gratiani, » id est, in quinque libris Decretalium et vox extrà sup» pleri potest per litteram *X;* v. g. cap. *Quotiens* X, *de* » *Pactis :* id est capitulum cujus primum verbum est » *Quotiens* inter Decretales et sub titulo *de Pactis.* Quis» nam autem sit numerus hujus tituli et in quo ex quinque » libris Decretalium inveniatur, non indicari solet. Et ideò » in omnibus editionibus *Corporis juris* apponitur indi» culus alphabeticus omnium titulorum. Quærendus ergo » primùm est titulus in isto indiculo. Pro indicatione citatâ, » v. g. descendo per istum indiculum usque ad litteram » P, et ibi reperio titulum *de Pactis* esse titulum 35, libri 1 » Decretalium. Aliquoties autem citatio fit sine voce *Extra.* » et sinè X, cap. *Quotiens, de Pactis.*

196. » VIII. Ad allegandum *Sextum Decretalium* poni» tur in fine citationis, in 6°, id est, in libro 6° Decretalium. » v. g. c. *Gratia de Rescriptis* in 6°. Id est capit. *Gratia* » in titulo *de Rescriptis*, in sexto libro Decretalium. » Quærendus ergo est in indiculo alphabetico titulorum » Sexti, ad litteram R, titulus *de Rescriptis*, et indiculus » docebit hunc titulum esse tertium primi libri in Sexto.

197. » IX. Clementinæ allegantur sic : *Clem. Multorum,* » *de Pœnis* : id est inter Clementinas, capitulum *Multorum* » tituli *de Pœnis ;* quærendus titulus *de Pœnis* in indiculo » titulorum pro Clementinis, et ibi monetur hunc titulum » esse 8, libri quinti Clementinarum.

198. » X. Extravagantes Joannis XXII allegantur sic : » Extrav.[1], *Ecclesiæ, de Major.* et *Obed.;* id est, inter Extra-

[1] Omissum videtur verbum : Joannis XXII.

» vagantes Joannis XXII, capitulum Ecclesiæ in titulo *de* » *Majoritate et Obedientiâ.*

199. » XI. Extravagantes Communes sic allegantur : » Extrav. Comm. *Etsi*, *de Præbend.* et *Dignit.*; id est : » inter Extravagantes, capitulum *Etsi*, in titulo de *Præbendis et Dignitatibus*, qui titulus quæsitus in indiculo, » reperitur esse secundus libri tertii Extravagantium » Communium.

« XII. Liber Septimus Decretalium allegatur sicut » Sextus, excepto quod ponatur in 7°.

» Institutiones Lanceloti rariùs allegantur, cùm auc» toritatem non habent. » Ita Bouix, *de Principiis*, p. 465-467. Cf. D. Laurin, *Introductio in corpus Jur. can.*

Cæterùm tanquam regula generalis haberi debent hæc verba Cardin. Soglia (*Just. Jur. publici*, § 58 in fine) : « Manet... jus ecclesiasticum Decretalium in suâ posses» sione, et illis, qui jus particulare contrarium prætendunt, » incumbet probatio. »

IX.

DE JURE NOVISSIMO, ID EST, A CLAUSO CORPORE JURIS USQUE IN HODIERNUM DIEM.

200. Insertis Corpori juris Extravagantibus, novæ, in dies, emanârunt Decretales quas colligendas curaverat Gregorius XIII in libro cui nomen Septimus Decretalium. Sed re infectâ nec absolutâ à Sixto V, sub ipsius successore Clemente VIII collectio typis fuit quidem mandata, sed ob quasdam difficultates, non fuit divulgata : ita ut hodiè exemplaria ipsius sint rarissima.

Eodem ferè tempore, Petrus Matthæus, Lugdunensis jurisconsultus, exaravit et ipse Septimum librum Decretalium, qui habetur ad calcem Corporis juris canonici in quibusdam editionibus; sed opus illud multis vitiis laborans caret auctoritate.

Remanent ergo extra collectionem omnem authenticam multæ Constitutiones SS. Pontificum. Authentica tamen est Collectio Bened. XIV ab ipsomet publicâ auctoritate promulgata.

201. Quoad Collectionem quæ vocatur *Magnum Bullarium*, concinnata fuit à privatis auctoribus, multisque vitiis scatet ac majori adhuc negligentiâ continuatur (*Du Droit ecclés. dans ses sources*, par Phillipps, p. 328-332). Unaquæquæ tamen Constitutio Pontificia vim legis habet, modò constet de ipsius authenticitate et promulgatione, nec ei fuerit legitimè derogatum.

202. Ad jus Novissimum pertinent Decisiones Congregationum Romanarum, et Regulæ Cancellariæ, quæ scriptis consignatæ à Joanne XXII, per varias additiones ad numerum 72 excrevêre. Vim obligandi habent tantùm vivente Pontifice : sed quia à singulis Pontificibus statim confirmantur, perinde est ac si vim legis perpetuam obtinerent; sed iis in pluribus derogatum fuit per *Concordata*; vide supra (103), et infra (447-455, etc.).

203. Partem præcipuam Juris Novissimi constituunt Concilii Tridentini decreta; nec omittenda sunt decreta anteriorum conciliorum ut Constantiensis, Florentini, Lateranensis V. De his omnibus vide Bouix, *de Principiis* (p. 382-472).

ART. II.

DE HISTORIA JURIS GALLICANI.

§ I.

De origine juris Gallicani usque ad Pragmaticam Sanctionem Caroli VII.

I.

DE PRIMIS CONCILIIS ET QUIBUSDAM ALIIS MONUMENTIS ECCLESIÆ GALLICANÆ.

204. Initia alicujus juris privati in Galliâ exhibent Concilia quæ in frequenti numero habita sunt, quarto et subsequentibus sæculis, in variis provinciis :

Canon 4 Concilii Aurelianensis, anno 511, à Clodoveo convocati, laicos certi gradûs et magistratus in auctori-

tate constitutos ad ordines promovere sine Regis consensu vetat. Item ex altero Concilio Aurelianensi, anno 549, colligitur tunc fuisse requisitum Regis assensum pro electione Episcoporum.

Plura insuper in iisdem conciliis notanda sunt circa liturgiam Ecclesiis Galliæ propriam; circa modum administrandi sacramenta; circa judiciorum ecclesiasticorum materiam et formam; de iis etiam utiliter legi possunt antiqui libri Pœnitentiales, capitularia seu statuta episcopalia pro parochorum directione concinnata; inprimis Capitula Theodulphi Aurelianensis, initio sæculi noni; Hincmari, sæculo eodem; Constitutiones Riculphi Suessionensis, versùs annum 859; Regulæ S. Chrodogangi Metensis Episcopi pro suæ Ecclesiæ canonicis.

Lucem aliquam, in consuetudinibus Galliæ propriis, afferre etiam potest opus Marculphi Monachi, quod varias continet formulas et jussu S. Landerici Parisiensis Episcopi fuit divulgatum.

II.

DE EDICTIS REGUM PRIMÆ PROSAPIÆ.

205. Non sinè fructu, pariter perlegentur edicta Merovingiensium Regum; leges Ripuariorum, Allemanorum, Bavariensium, etc., à Dagoberto sancitæ circa annum 620. In iis enim inveniuntur quidem monumenta protectionis ab iisdem regibus Ecclesiæ concessæ; sed aliquando etiam vestigia servitutum in futurum eidem imponendarum: ex iis profertur una Sigeberti epistola ad S. Desiderium Cadurcensem directa, anno 650, in quâ concilia coadunari sinè regio consensu prohibentur; aliisque pluribus documentis apparet nimiam jam tunc fuisse partem regum in eligendis Antistitibus infelicesque indè prodiisse electiones in dedecus sacerdotii et disciplinæ Ecclesiasticæ ruinam vergentes.

III.

DE CAPITULARIBUS CAROLI MAGNI ET EJUS SUCCESSORUM.

206. Capitula verò vel Capitularia Caroli Magni ejusque successorum maximè favent Ecclesiasticæ potestati. In iis

præsertim utiliter ediscuntur priscæ Gallicanæ Ecclesiæ consuetudines; et tam magni pretii fuêre in Ecclesiâ, ut S. Pontifex Joannes VIII, in Concilio Ravennatensi, sententiis Patrum videatur illa assimilare : « Si quis, inquit, » SS. Patrum regulas contempserit et gloriosissimorum » imperatorum Caroli Magni et filii ejus Ludovici quæ de » ecclesiasticis Decimis in eorum Capitularibus statuta » atque sancita sunt, non observaverit... excommunica- » tioni subjaceat. » Apud Gratianum (C. *de Decretis*, dist. 10) mentio fit promissionis Papæ Leonis IV, circa annum 853, observandi illa Capitularia.

Collecta sunt illa Capitularia primùm ab Ansegiso Abbate, circa annum 825. Celebrior autem fuit collectio capitularium Benedicti Levitæ, quæ tamen spuria est et eumdem falsarium auctorem habet ac Pseudo-Decretales (n. 178).

IV.

DE ORIGINE JURIS REGALIÆ.

207. Sub primis tertiæ prosapiæ regibus, maximè tunc vigente jure feudatorio, Episcopi, Abbates, imò et Capitula potestatem civilem quasi dominativam exercebant in populos curæ ipsorum commissos; sed à Regibus imponebatur Præsulibus tanquàm vassalibus juramentum fidelitatis. Undè Arnulphus ad sedem Remensem promotus, sequens juramentum præstare debuit Hugoni Capetiano, anno 991 : « Ego Arnulphus.... promitto Regibus Franco- » rum Hugoni et Roberto, me fidem purissimam, consi- » lium et auxilium, secundùm meum scire et posse, in » omnibus servaturum. »

Vicissim Reges defensionem et tutelam Ecclesiarum sibi tribuebant, et sub prætextu quòd post mortem Prælati ipsi essent bonorum ac jurium sedis vacantis custodes, multos actus jurisdictionis ecclesiasticæ exercebant : v. g., administrationem bonorum temporalium illius Ecclesiæ, collationem beneficiorum suis titularibus, tempore vacantiæ, privatorum. Non tamen hoc sinè assensu SS. Pontificum,

ut videre est ex epistolâ Innocentii III, anno 1210, et ex secundo Concilio Lugdun. œcumenico (Lequeux, t. 4, p. 306, 3ª edit.).

Hæc fuit origo juris *Regaliæ*, cujus extensio tanta deinde excitatura erat dissidia.

V.

DE MONUMENTIS S. LUDOVICI.

208. Anno 1228, sub tutelâ Reginæ Blanchæ, S. Ludovicus edictum direxit ad cives diœcesis Albigensis pro hæresi extirpandâ, in quo agitur de Libertatibus et Immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Sed in hoc edicto *Libertates et Immunitates*, longè aliter intelliguntur ac in posterioribus sæculis : in Edicto enim, Libertates et Immunitates, respectu civilis potestatis intelliguntur; dùm hodiè per Libertates Gallicanas, libertates tantùm respectu Sedis Apostolicæ prætenduntur.

Censuras tamen nondum à Sanctâ Sede confirmatas, nolebat pius Rex executioni mandari, nisi causâ à suis judicibus cognitâ (*Hist. de Rohrbacher*, t. 18, p. 681).

209. Anno verò 1268, aliud edictum fertur tulisse, nuncupatum *Pragmatica Sanctio* à duabus vocibus: *Pragma*, quod græcè significat *Negotium;* et *Sanctio*, quâ voce designantur leges quæ pœnas infligunt violatoribus ipsarum. Observatio juris communis præcipitur in hoc edicto; sed disputatur utrùm authenticum sit. De ipsius articulo quinto præsertim suborta fuit dubitatio, eò quòd desit in quibusdam codicibus.

Momenta præcipua contra ingenuitatem illius documenti sunt : 1° quia de eo silent historici antè Carolum VII; id est per duo sæcula; 2° quia si fuisset à S. Ludovico confectum, certè ignorare non potuit Philippus Pulcher, qui non omisisset illud proferre in patrocinium suæ causæ cum Bonifacio VIII; 3° quia intitulatur *Ad futuram rei memoriam;* quæ formula, in edictis Regum Francorum est omninò insueta; 4° quia in articulo 5 agitur de exactionibus et gravissimis pecuniarum oneribus Ecclesiis regni per

Curiam Romanam impositis; porrò omninò improbabile est tam pium Regem sic locutum fuisse, eâ præcisè epochâ, quâ à S. Pontifice postulaverat et obtinuerat decimas Ecclesiarum pro *bello sancto*. Alia legi possunt apud André, *Cours de droit canon*, v° *Pragmatique Sanction;* pro suâ sententiâ citat DD. Affre, *de l'Appel comme d'Abus*, et D. Thomassy. Ipsemet d'Héricourt in dubium revocabat authenticitatem Pragmaticæ. Item Thomassinus (*Discipl. ecclés.*, p. 4, lib. 11, c. 9). Vide etiam Card. Gousset (*Exposition des principes*, etc., n° 551, etc.).

Quidquid sit de illâ controversiâ, dispositiones omnes Pragmaticæ, si quintus articulus excipiatur, intelligi possunt, non relativè ad Sanctam Sedem. sed potius ad Præpositos civili regimini. Utile ducimus hîc transcribere hanc celebrem Pragmaticam Sanctionem :

« Ludovicus, Dei gratiâ, Francorum Rex, ad perpetuam » rei memoriam : Pro salubri et tranquillo statu Ecclesiæ » regni nostri, nec non pro divini cultûs augmento, et » Christi fidelium animarum salute, utque gratiam et auxi- » lium Omnipotentis Dei (cujus solius ditioni ac protec- » tioni regnum nostrum semper subjectum exstitit et nunc » esse volumus) consequi valeamus, quæ sequuntur, hoc » dicto consultissimo in perpetuum valituro, statuimus et » ordinamus :

» I. Primò, ut Ecclesiarum regni nostri Prælati, Patroni » et beneficiorum collatores ordinarii, jus suum plena- » rium habeant, et unicuique sua jurisdictio servetur.

» II. Item Ecclesiæ Cathedrales et aliæ Regni nostri, » liberas electiones et earum effectum integraliter ha- » beant.

» III. Item Simoniæ crimen pestiferum, Ecclesiam labe- » factans, à Regno nostro penitùs eliminandum volumus » et jubemus.

» IV. Item promotiones, collationes, provisiones et » dispositiones Prælaturarum, Dignitatum, et aliorum » quorumcumque beneficiorum et officiorum ecclesiasti- » corum Regni nostri, secundùm dispositionem, ordina- » tionem et determinationem juris communis, sacrorum

» Conciliorum Ecclesiæ Dei atque institutorum antiquo-
» rum SS. Patrum fieri volumus atque ordinamus.

» V. Item exactiones et onera gravissima pecuniarum
» per Curiam Romanam Ecclesiæ Regni nostri imposita,
» quibus Regnum nostrum miserabiliter depauperatum
» existit, sive etiam imponendas vel imponenda, levari,
» aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro ratio-
» nabili, piâ et urgentissimâ causâ, vel inevitabili necessi-
» tate, ac de spontaneo et expresso consensu Nostro et
» ipsius Regni nostri.

» VI. Item libertates, franchisias, immunitates, præ-
» rogativas, jura et privilegia, per inclytæ recordationis
» Francorum Reges, prædecessores nostros, et successive
» per Nos, Ecclesiis, monasteriis, atque aliis locis piis,
» religiosis, nec non personis Ecclesiasticis Regni nostri
» concessas et concessa laudamus, approbamus et confir-
» mamus per præsentes.

» Datum Parisiis, anno Domini 1268, mense martio. »

Quomodo autem administrabantur res Ecclesiasticæ. tempore S. Ludovici, videri potest in codice nuncupato: *Établissements de S. Louis*. V. Lequeux, t. 4, p. 315, Cf. Viollet, *Les Etabl. de S. Louis*.

VI.

DE DISSIDIO BONIFACIUM VIII INTER ET PHILIPPUM PULCHRUM.

210. Satis nota est historia hujus acris discriminis, cujus occasione opinio de absolutâ independentiâ potestatis sæcularis, respectu spiritualis auctoritatis, cœpit radices figere in Galliâ. Ex eâ autem epochâ præsertim cœpêre convelli ecclesiasticæ immunitates.

VII.

DE CONTENTIONE CIRCA JURISDICTIONEM ECCLESIÆ.

211. Versùs eamdem epocham acerba jurgia exorta sunt ecclesiasticos inter et laicos judices : laici enim dolebant qùòd in multis ecclesiastici usurpâssent, ut contendebant,

jurisdictionem ad regem aut ad ipsius barones pertinentem; vicissim Clerus conquerebatur quòd frequenter læderentur ipsius immunitates : lite tandem ad tribunal Regis Philippi Valesii delatâ, Clerus victor exiit : sed non ideò sopitum est bellum, novisque in dies suborientibus aggressionibus, sensim per varia edicta, multùm imminuta fuit jurisdictio Ecclesiæ. Hoc eodem tempore, introduci cœpit *appellatio tanquam de abusu.*

VIII.

DE SUBSIDIIS CLERO IMPOSITIS PRO SERVITIO GUBERNII TEMPORALIS.

212. Bella pro recuperatione *Regionis Sanctæ*, locum dederunt impositioni variorum subsidiorum, consentientibus, imò imperantibus Romanis Pontificibus. Mox verò reges eadem subsidia reclamârunt pro aliis necessitatibus publicis : et quamvis, anno 1214, Concilium Lateranense IV non permiserit ea conferri nisi, priùs consultâ Sede Apostolicâ, idemque prohibuerit Bonifacius VIII, anno 1296 per Bullam *Clericis laicos;* tamen cùm ipsemet Bonif. VIII declaraverit, anno 1297, necessarium non esse recursum ad S. Sedem pro oblationibus spontaneis, in casu quo status necessitate gravi laboraret, consuetudo inolevit hujusmodi subsidia reclamandi in variis calamitatibus publicis quæ sat frequenter contingunt; et tandem, sæculo XVI, instituti fuêre in Galliâ Cœtus Cleri totius nationis, qui periodicè locum habebant ad regulandas hujusmodi præstationes Gubernio factas; cœperunt autem regulariter congregari, anno 1578.

IX.

DE MAGNO SCHISMATE.

213. Dum assiduè remedium quæreretur contrà hoc luctuosum schisma, ut solum efficax apparuit Concilium generale. Cœpit ergo acerrimè agitari quæstio utrùm Concilium œcumenicum esset, necne, supra Papam. Insuper cùm in ore omnium quotidiè esset sermo de reformatione Ecclesiæ in *Capite suo* et *membris*, omnes prærogativæ

Sedis Romanæ liberè discussæ fuêre. Et hinc enatæ sunt illæ malè et insidiosè postea vocatæ *Libertates Gallicanæ.*

§ II.

De Pragmaticâ Caroli VII et Concordato Leonem X inter et Franciscum I inito.

214. Conciliabuli Basileensis tempore, convocatis Bituricæ à Carolo VII proceribus Nobilitatis, Prælatis et quibusdam aliis secundi ordinis Ecclesiasticis, selecta sunt præfati conciliabuli decreta, quibus Rex efformavit Decretum, anno 1438, quod *Pragmatica Sanctio* vocatum fuit, cujus executio parlamentis fuit mandata.

In illâ Pragmaticâ profitebatur superioritas Concilii generalis supra Papam; electiones Episcoporum et Dignitatum tàm in Capitulis quàm in monasteriis fieri præcipiebantur secundùm regulas juris antiqui : tollebantur generaliter, cum quibusdam tamen exceptionibus, Reservationes et Expectativæ. *V.* ap. André, v° *Pragmatique.*

215. Suppressâ à Ludovico XI Pragmaticâ, post regis mortem ipsa tamen revixit, donec damnata fuerit irrevocabiliter in Concilio Lateranensi V, et per Concordatum Leonem X inter et Franciscum I initum, fuerit mutata.

In hoc autem Concordato plures quidem dispositiones Pragmaticæ servatæ fuêre : nempe quæ in istâ sancita fuerunt de reservationibus circa beneficia; circa collationem beneficiorum ab Ordinariis; circa jura graduatorum; circa ordinem servandum in appellationibus, etc. Sed in duobus potissimùm differt à Pragmaticâ Concordatum : 1° Loco electionum Episcoporum et Prælatorum, tribuitur Regi, casu vacantiæ, jus præsentandi S. Pontifici, intra sex menses, doctorem seu licentiatum in jure vel theologiâ, qui attigerit saltem annum 27 et fuerit aliàs idoneus (tit. 3). 2° Quoad annates, quæ saltem implicitè conservantur cum quibusdam modificationibus.

Executioni mandari haud potuit Concordatum nisi post multas oppositiones ex parte Parlamentorum. Vid. *Hist. de l'Église Gallic.,* liv. 51, et *Specimen jur. Ecclesiastic.*

apud Gallos recepti, auctore *Doujat* (André, vº *Concordat.*).

§ III.

De Jure ecclesiastico in Galliam introducto, sæculis XVI, XVII et XVIII, ante Constitutionem civilem Cleri, anno 1790.

I.

DE JURE INTRODUCTO SÆCULO XVI.

216. Imminuta jàm ecclesiastica jurisdictio, ad limites etiam angustiores fuit redacta et penè annihilata. Paulatim enim à judicibus Ecclesiæ sublatum fuit judicium hæreticorum; imò per Edictum 1539 (Villiers-Cotterets), ipsis prohibetur sub gravibus pœnis in jus coram suo tribunali vocare laicos in causis personalibus : undè evenit quòd, quamvis Parlamenta primùm acriter in hæreticos sævierint, tandem post varias fluctuationes rigoris et tolerantiæ, hæresimpublicè licuerit profiteri. Idem Edictum supponit legitimitatem appellationis *tanquam de abusu*, in materiâ disciplinæ et correctionis et aliis causis merè personalibus.

Oppositio Parlamentorum fuit etiam causa cur, non obstantibus Episcoporum iteratis reclamationibus, recepta non fuerint à Gubernio decreta Concilii Tridentini (93).

217. Ut votis Episcoporum satis aliquo modo fieret, et suppleretur, quantum fieri poterat, publicationi Concilii Tridentini, varia edicta publicata fuêre, inter quæ præcipuè Blesense, anno 1579, memorandum est. In hoc Decreto inserta fuêre, non designato quidem Concilio, sed quasi de verbo ad verbum, notabiliora Concilii Tridentini decreta, videlicet circa professionem fidei, circa residentiam, circa gratuitatem functionum pontificalium, circa simoniam, circa regulares, circa pluralitatem beneficiorum, etc., etc. Hoc ergo Edictum est consulendum (V. Lequeux, *ib.*, t. 4, p. 447).

Consuli item potest edictum Melodunense anno 1580 publicatum, in quo præscribitur celebratio conciliorum provincialium singulis trienniis.

4º

In hoc sæculo XVI præsertim, invaluit usus adhibendi voces *libertates Ecclesiæ Gallicanæ,* in sensu longè diverso, ac antiquitus. Non ampliùs enim per illas voces intellectæ fuère libertates respectu potestatis sæcularis, sed potiùs respectu Sedis Romanæ. Et hoc consequenter ad ista duo principia videlicet : 1° quòd princeps sæcularis esset omninò independens ab auctoritate ecclesiasticâ in rebus temporalibus ; 2° quòd S. Pontifex non absolutam sed limitatam à canonibus haberet auctoritatem in iis quæ pertinent ad ordinarium exercitium suæ jurisdictionis. Ita præsertim Petrus Pithou in suo opere : *Libertés de l'Eglise Gallicane*, in quo prætensæ illæ libertates enumerantur (V. Lequeux, t. 4, p. 338).

II.

DE JURE INTRODUCTO SÆCULO XVII.

218. Clarissimum, sive ob magna gesta, quæ, in Galliâ præsertim, peracta sunt, sive ob præclaros viros tàm ecclesiasticos quàm sæculares, qui in eâ floruerunt, celebre etiam effectum fuit præsens sæculum ob famosam Declarationem Cleri Gallicani circa potestatem Ecclesiasticam ; huic Declarationi quasi præluderat jàm, anno 1614, in Comitiis generalibus, Plebeiorum Ordo (*le Tiers-Etat*), postulando statui tanquàm legem fundamentalem quòd Rex, cujus potestas, inquiebant, à solo Deo venit, à nullâ auctoritate, sive spirituali sive temporali, posset deponi, nec ipsius subditi valerent solvi à vinculo fidelitatis et obedientiæ. Imò volebant ut omnibus indistinctè præscriberetur illa lex ut sancta, inviolabilis, verbo Dei consona, sinè ullâ distinctione, æquivocatione, aut limitatione qualicumque ; et quòd ad illud astringerentur sub juramento omnes in regno beneficiarii ; et omnes doctores, prædicatores ad illam docendam et divulgandam obligarentur.

Non tamen prævaluit in hoc negotio Plebeiorum Ordo, obsistente fortiter Cardinale Du Perron : postea, anno 1663, dissidiis inter Gubernium et Curiam Romanam exortis propter negotia merè politica, adducta fuit Facultas Sor-

bonica ad exponendas in sex propositionibus doctrinas iis affines, quæ professæ fuerunt postea in Declaratione anni 1682. Quas propositiones Rex jussit mittendas ad omnes Regni Universitates, ut in earum actibus referrentur et divulgarentur. Suprema autem Curia prohibuit in toto suo districtu aliter doceri.

219. Contestationes verò circa quæstionem *Regaliæ* occasionem dederunt celebri Declarationi 1682. Porrò, *Regalia*, ut jam vidimus (207), erat jus quo reges Francorum administrabant temporalia Diœcesium vacantium, illarum redditus percipiebant, varia beneficia conferebant donec novi titulares Principi juramentum fidelitatis præstitissent.

Concilium generale Lugdunense II, prohibuerat, sub pœnâ excommunicationis, usurpationem seu potius extensionem hujus juris, quippè jam tunc in regno Francorum existebat; sed huic, successu temporum, pluribus provinciis, videlicet Delphinatu, Provinciâ (Provence), Occitaniâ (Languedoc), Aquitaniâ (Guienne) additis, in novas illas provincias Gubernium à Supremâ Curiâ concitatum, Decreto anni 1675, extendere voluit Regaliam. Hujusmodi conatibus strenuè obstiterunt duo Episcopi, Nicolaus Pavillon Alectensis nempè et Stephanus Caulet Apamiensis; ipsorumque causam tutatus est S. Pontifex Innocentius XI, cujus rescripta supprimere et annullare ausa est Suprema Curia Parisiensis.

220. Ad dirimendas difficultates hinc exortas, convocatus fuit extraordinariè, anno 1681, Clerus Gallicanus, qui approbavit Regaliæ extensionem cum quibusdam tamen modificationibus et restrictionibus. Hoc autem improbante S. Pontifice, sequentem, promovente Gubernio, declarationem edidit Clerus Gallicanus, sub anno 1682 :

« Ecclesiæ Gallicanæ decreta et Libertates à majoribus
» nostris tanto studio propugnatas, earumquæ fundamenta
» sacris canonibus et Patrum traditione nixa, multi diruere
» moliuntur; nec desunt qui earum obtentu primatum B.
» Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum, à
» Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christia-

» nis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in quâ fides
» prædicatur et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam
» omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur.
» Hæretici quoque nihil prætermittunt quo eam potesta-
» tem, quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam et
» gravem Regibus et populis ostentent, iisque fraudibus sim-
» plices animas ab Ecclesiæ matris, Christique adeo com-
» munione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus :
» Nos Archiepiscopi et Episcopi Parisiis mandato regio
» congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, unà
» cum cæteris ecclesiasticis viris nobiscum deputatis,
» diligenti tractatu habito, hæc sancienda et declaranda
» esse duximus:

» I. Primùm B. Petro ejusque successoribus Christi
» Vicariis ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium et ad æter-
» nam salutem pertinentium, non autem civilium, à Deo
» traditam potestatem : dicente Domino : *Regnum meum*
» *non est de hoc mundo:* et iterùm : *Reddite ergo quæ sunt*
» *Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo;* ac proindè stare
» apostolicum illud : *Omnis anima potestatibus sublimio-*
» *ribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quæ*
» *autem sunt, à Deo ordinatæ sunt; itaque qui potestati*
» *resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et princi-
» pes, in temporalibus, nulli ecclesiasticæ potestati Dei
» ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ
» directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi
» à fide atque obedientiâ, ac præstito fidelitatis sacra-
» mento solvi posse; eamque sententiam, publicæ tran-
» quillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ quàm impe-
» rio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et Sancto-
» rum exemplis consonam, omninò retinendam [1].

» II. Sic autem inesse Apostolicæ Sedi ac Petri succes-
» soribus, Christi Vicariis, rerum spiritualium plenam
» potestatem, ut simul valeant atque immota consistant
» sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis, à Sede Apos-
» tolicâ comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac

[1] Hujus articuli confutationem vide infrà (698, etc.)

» totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gal-
» licanâ perpetuâ religione custodita decreta de auctoritate
» Conciliorum generalium, quæ sess. 4ª et 5ª continentur:
» nec probari à Gallicanâ Ecclesiâ qui eorum Decretorum
» quasi dubiæ sint auctoritates ac minus approbata, robur
» infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii
» dicta detorqueant[1].

» III. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per
» canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ
» consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta à
» Regno et Ecclesiâ Gallicanâ recepta; Patrumque termi-
» nos manere inconcussos: atque id pertinere ad ampli-
» tudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines
» tantæ Sedis et Ecclesiarum consensione firmata, pro-
» priam stabilitatem obtineant[2].

» IV. In fidei quoque quæstionibus præcipuas S. Pontificis
» esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Eccle-
» sias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium,
» nisi Ecclesiæ consensus accesserit[3].

» Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas
» atque ad Episcopos iis Spiritu Sancto auctore præsiden-
» tes mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes,
» simusque in eodem sensu et in eâdem sententiâ. »

Observationem hujusce Declarationis præscripsit Rex suo edicto 22 martii 1682; sed improbata et annullata fuit solemniter ab Alexandro VIII per Constit. *Inter multiplices*. Jam anteà Innocentius XI institutionem canonicam constanter denegaverat omnibus ecclesiasticis electis ad episcopatum, qui fuerant membra conventûs 1682.

Pace tandem compositâ Ludovicum XIV inter et Innocentium XII, anno 1693, dicti electi ad Episcopatum, ut institutionem à Sede Apostolicâ obtinerent, scribere debuerunt ad Papam *se dolere ultra quod dici potest pro eo quod displicuerat Suæ Sanctitati; et habere pro non decreto quidquid decretum fuerat, sive in negotio Regaliæ, sive circa*

[1] Vid. quomodo confutetur iste articulus infra (691, etc.)
[2] Vid. supra (26-32, etc.) et infra (675, etc., 690, 691.)
[3] Vid. supra (29, etc.) et infra (684, 688).

Potestatem Pontificiam. Per suas litteras Papam certioravit etiam Ludovicus XIV se mandâsse ut suum non observaretur edictum 22 martii 1682.

His non obstantibus, præfati Edicti executionem non semel acriter ursit Suprema Curia, imò et Regalia usque ad perturbationem 1789 fuit constanter exercita in toto regno. Tradebatur enim ut *jus incommutabile et imprescriptibile*.

Iterùm improbata fuit Declaratio Cleri Gallicani per Bullam *Auctorem fidei*, anno 1794.

221. Cùm tamen *nulla theologicæ censuræ nota inusta fuerit doctrinæ in declaratione contentæ*, absolvi possunt ex decisione Sacræ Pœnitentiariæ 27 sept. 1820, *sacerdotes illi qui bonâ fide et ex animi sui persuasione doctrinæ illi adhuc adhærent*. Minimè tamen hodie post decret. sess. 4 C. Vatic.

222. Hoc eodem XVII sæculo, plura alia sancita fuerunt à Gubernio temporali. Per edicta enim annorum 1665 et 1670 regulata fuit tribunalium sæcularium forma simul et ecclesiasticorum seu *Officialitatum*. In edicto 1695 explanatur quasi summa totius legislationis ecclesiasticæ qualis in Galliâ erat observanda. In his autem consecratur appellatio *tanquam de abusu*. V. Lequeux, t. 4, p. 474-485.

III.

DE JURE INTRODUCTO A CURIIS SÆCULARIBUS, SÆCULO XVIII.

223. Crescente in dies hostilitate magistratuum adversùs Clerum, omnia istius jura, etiam indubitanter divina, impugnata fuêre. Jansenismo apertè favens Suprema Curia, refragantes Bullæ *Unigenitus* suo præsidio tutabatur; causis denegationis sacramentorum et sepulturæ se immiscebat; Episcoporum pastorales instructiones lacerabat damnabatque. Imò in exsilium pellebat Prælatos sacerdotesque, quorum crimen solummodo erat ipsorum obedientia erga decisiones Sanctæ Sedis. Exaggerabantur facultates et jura Cleri secundi ordinis, deprimebatur verò auctoritas Episcoporum. Sed maximè ad nihilum, quoad fieri poterat, reducebatur majestas Sedis Apostolicæ. Evidenter apparuit mentem fuisse subjiciendi omnino Ecclesiam Sæculari

Potestati; quin etiam, grassante impietate, sub umbrâ Prætensæ Philosophiæ, illam destruendi : hinc suppressio Societatis Jesu, quasi esset præcipuum obstaculum tàm nefandi consilii.

§ IV.

De Constitutione civili Cleri Gallicani, de Concordato et aliis.

I.

DE CONSTITUTIONE CIVILI CLERI GALLICANI.

224. Fetus fuit erroris jamdiù disseminati mentibusque ferè omnium inoculati, Ecclesiam causasque ecclesiasticas submittendas esse potestati civili. His principiis imbuta Conventio Nationalis non verita est edicere, inconsulto imò contradicente S. Pontifice, Constitutionem per quam penitùs destruebatur status Ecclesiæ in Galliâ. Supprimebantur enim omnes diœceses et Ecclesiæ parochiales; destituebantur illorum titulares; eligendi Episcopos et instituendi parochos novus modus constituebatur, in quo nihil vel ferè nihil tribuebatur auctoritati ecclesiasticæ, multùm verò impiis, hæterodoxis, Protestantibus et Judæis, etc. etc. Hæc Constitutio decreta fuit 13 julii 1790, mendosèque fuit vocata *civilis*, quasi non attingeret jura Cleri spiritualia sed sola temporalia. Per aliud decretum 27 nov. ejusdem anni, astricti fuêre Episcopi et parochi ad jurandam istius Constitutionis observationem.

Præclarè autem et egregiè nebulosas has tentationes et duras probationes sustinuit Clerus Gallicanus. Episcopi enim ferè omnes (quatuor tantùm sunt excipiendi), et major pars sacerdotum secundi ordinis supradictum impium juramentum respuerunt: damnata fuit Constitutio à S. Pontifice Pio VI, in duobus Brevibus, uno 10 Martii 1791 ad Episcopos Conventûs Nationalis, et altero 13 aprilis ejusdem anni ad Clerum et fideles Galliæ directis.

225. Nihilominus efformata fuit in Galliâ quædam Ecclesia dicta *Constitutionalis*, cujus primi Antistites, videlicet DD. Expilli et Marolles, consecrati fuêre ab Episcopo Augustodunensi D. Talleyrand; prior, pro districtu (départe-

ment) vocato *Finistère;* secundus pro districtu dicto de *l'Aisne*, et per hos ambos excreverunt ubique sacrilegæ ordinationes. Sed mox in pejus negotiis publicis ruentibus, pulsisque in exilium, vel ad mortem damnatis sacerdotibus, ac abjecto à Gubernio omni Christianismo, dissipatum est etiam hoc vanum Ecclesiæ simulacrum.

II.

DE CONCORDATO 1801.

226. Tantis malis remedium applicare volens Divina Misericordia, virum extraordinarium, solertis potentisque ingenii suscitavit, Napoleonem Buonaparte nempè, qui vix ad dignitatem Primi Consulis evectus, consilia inire cum Pio VII recenter ad Cathedram Apostolicam electo, quæsivit. Mox inter utrumque Concordatum fuit conclusum 15 mensis Julii 1801, et ratificatum à S. Pontifice 15 mensis Augusti sequentis. In eo conventum fuit de novâ diœcesium et parochiarum circumscriptione mutuo consensu faciendâ. Primus Consul, postquam Papa à veteribus titularibus dimissionem ab eorum sedibus postulaverit, nominaturus erat ad novas sedes episcopales. Sic verò nominati institutionem canonicam à S. Pontifice erant recepturi. Episcopi autem promovere non valebant parochos ad novas parochias nisi admissos à Gubernio. Tandem Papa declarabat eos qui bona ecclesiastica à Gubernio alienata acquisierant, molestiam ullam, neque à se, neque à successoribus esse experturos; et ex aliâ parte Gubernium in se suscipiebat cùm Episcoporum tùm parochorum sustentationem, quæ cujusque statum decebat.

227. Necessarium ducimus hìc transcribere textum hujus memorabilis Conventionis:

« Conventio inter Gubernium Gallicanum et S. Pontifi-
» cem Pium VII:

» Gubernium Reipublicæ recognoscit Religionem Catho-
» licam, Apostolicam, Romanam, eam esse religionem
» quam longè maxima pars civium Gallicanæ Reipublicæ
» profitetur.

» S. Pontifex pari modo recognoscit eamdem Religionem, maximam utilitatem maximumque decus percepisse, et hoc quoque præstolari ex catholico cultu in Galliâ constituto, nec non ex peculiari ejus professione, quam faciunt Reipublicæ Consules.

» Hæc cùm ita sint, atque utrinque recognita, ad Religionis bonum, internæque tranquillitatis conservationem, ea quæ sequuntur inter ipsos conventa sunt :

» Art. 1. Religio Catholica, Apostolica, Romana, liberè in Galliâ exercebitur. Cultus publicus erit, habitâ tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publicâ tranquillitate necessarias existimabit.

» Art. 2. Ab Apostolicâ Sede, collatis cum Gallico Gubernio consiliis, novis finibus Galliarum diœceses circumscribentur.

» Art. 3. S. Pontifex titularibus Gallicanarum Ecclesiarum Episcopis significabit se ab iis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firmâ fiduciâ expectare, eo non excepto quòd ipsas suas episcopales sedes resignent.

» Hâc hortatione præmissâ, si huic sacrificio, quod Ecclesiæ bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id autem posse S. Pontifex suo non reputat animo), gubernationi Gallicanarum Ecclesiarum novæ circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

» Art. 4. Consul Primus Gallicanæ Reipublicæ, intra tres menses qui promulgationem Constitutionis Apostolicæ consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novæ circumscriptionis diœcesibus præficiendos nominabit; S. Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas, relativè ad Gallias, ante regiminis commutationem statutas.

» Art. 5. Item Consul Primus ad Episcopales Sedes quæ in posterùm vacaverint, novos Antistites nominabit, iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

» Art. 6. Episcopi antequam munus suum gerendum suscipiant, coram Primo Consule juramentum fidelitatis emittent quod erat in more, ante regiminis commu-

» tationem, sequentibus verbis expressum : *Ego juro, et*
» *promitto, ad sancta Dei Evangelia, obedientiam et fide-*
» *litatem Gubernio per constitutionem Gallicanæ Reipu-*
» *blicæ statuto. Item promitto me nullam communicationem*
» *habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque sus-*
» *pectam unionem neque intra neque extra conservaturum,*
» *quæ tranquillitati publicæ noceat; et si, tam in diœ-*
» *cesi meâ, quàm alibi, noverim aliquid in statûs damnum*
» *tractari, Gubernio manifestabo.*

» Art. 7. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum
» emittent coram auctoritatibus civilibus à Gallicano Guber-
» nio designatis.

» Art. 8. Post divina officia, in omnibus catholicis Galliæ
» templis, sic orabitur : *Domine, salvam fac Rempubli-*
» *cam. Domine, salvos fac Consules.*

» Art. 9. Episcopi in suâ quisque diœcesi, novas parœ-
» cias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sor-
» tietur effectum, nisi postquam Gubernii consensus
» accesserit.

» Art. 10. Iidem Episcopi ad parœcias nominabunt; nec
» personas seligent nisi Gubernio acceptas.

» Art. 11. Poterunt iidem Episcopi habere unum Capi-
» tulum in Cathedrali Ecclesiâ, atque unum seminarium
» in suâ quisque diœcesi, sinè dotationis obligatione ex
» parte Gubernii.

» Art. 12. Omnia templa Metropolitana, Cathedralia,
» Parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui
» necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.

» Art. 13. Sanctitas Sua, pro pacis bono, felicique reli-
» gionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiæ alie-
» nata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque
» à se, neque à Romanis Pontificibus successoribus suis,
» ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, reddi-
» tus et jura iis inhærentia, immutabilia penès ipsos
» erunt, atque ab ipsis causam habentes.

» Art. 14. Gubernium Gallicanæ Reipublicæ in se sus-
» cipit tum Episcorum tum parochorum, quorum diœceses

» atque parochias nova circumscriptio complectetur, sus-
» tentationem quæ cujusque statum deceat.

» Art. 15. Idem Gubernium curabit ut catholicis, in
» Galliâ, liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere
» novis fundationibus.

» Art. 16. Sanctitas Sua recognoscit in Primo Consule
» Gallicanæ Reipublicæ eadem jura ac privilegia quibus
» apud S. Sedem fruebatur antiquum Regimen.

» Art. 17. Utrinque conventum est, quòd, in casu
» quo aliquis ex successoribus hodierni Primi Consulis
» catholicam religionem non profiteretur, super juribus et
» privilegiis in superiori articulo commemoratis, nec non
» super nominatione ad Archiepiscopatus et Episcopatus,
» respectu ipsius, nova conventio fiet.

» Ratificationum traditio Parisiis fiet quadraginta die-
» rum spatio.

» Datum Parisiis, die 15 mensis julii 1801.

» Hercules Card. Consalvi, J. Bonaparte. Joseph Archiep.
» Corinthi, Bernier, F. Carolus Caselli, Cretet. »

228. Varias Bullas aut Brevia promulgavit S. Pontifex pro executione hujusce Concordati, videlicet Bullam *Ecclesia Christi*, 15 augusti 1801, pro illius confirmatione; Bullam *Qui Christi Domini* ad novarum diœcesium circumscriptionem ordinandam.

Pro felici executione præfati Concordati missus fuit etiam Card. Caprara tanquam *Legatus à latere* cum amplissimis facultatibus, qui, suo indulto 9 aprilis 1802, ad quatuor tantùm, festos dies præter Dominicas reduxit, etc., etc.

229. A veteribus Galliæ Episcopis, per suum Breve *Tam multa*, dimissionem sedium quas occupabant, petierat Papa: huic petitioni consenserunt ex ipsis quadraginta quinque; sed triginta et sex abnuerunt; quos nihilominus Pontifex, ob necessitatem Religionis restituendæ in Galliam, earum sedium titulo spoliavit. Nam, ut ipsemet Bossuetius ait (*Defens.*, lib. 11, c. 20): « *Papa nihil non potest,*
» *cùm necessitas postulat.* » Reclamârunt quidem Episcopi non dimissionnarii, 6 april. 1803; imò exhinc lugendum

exortum est schisma dictum Gallicè *Petite Église*, quod hodie tandem est omnino vel ferè omnino extinctum.

230. Quoad verò Episcopos constitutionales, duodecim ipsorum à S. Pontifice, Gubernio exigente, ad varias sedes instituti fuêre, post tamen sequentem retractationem : « Sincero corde profiteor me *Constitutionem*, ut aiunt, » *civilem Cleri Gallicani*, ultrò deserere; novæ conven- » tionis, inter Sanctitatem Vestram et Gubernium Galli- » cum initæ, me dispositiones et articulos admittere, » veramque Sanctitati Vestræ et successoribus ejus obe- » dientiam servaturum. »

231. Cardinalis Legatus, quasi vim ipsi inferente Gubernio, faciliorem his se exhibuit erga sacerdotes constitutionales à quibus tantùm exegit retractationem sequentem : « J'adhère au Concordat, et je suis dans la » communion de mon Evêque institué par le Pape. » Quo suscripto, monendi erant ab Ordinario ut unusquisque suæ conscientiæ provideret. Hæc verò indulgentia non omnibus placuit.

232. Simul cum Concordato, 8 aprilis 1802, Gubernium promulgavit quasi Codicem Ecclesiasticum sub nomine : *Articles organiques du culte catholique.* In iis proclamantur Libertates prætensæ Ecclesiæ Gallicanæ; necessitas *Placiti* imponitur pro omnibus expeditionibus Romanæ Curiæ etiam privatos tantùm respicientibus; appellationes *de abusu* admittuntur; jubetur edoceri in seminariis declarationem Cleri Gallicani 1682, etc.

Contra hos *articulos organicos* pluries reclamavit Sancta Sedes; sed à Gubernio non fuerunt revocati, nisi ex parte, et post plures annos. *V*. reclamat. S. Sedis in fine t. 4, p. 715.

233. Regnante adhuc Napoleone I, nova dissidia inter ipsum et Papam suborta sunt. His occasionem dedit invasio Statûs Ecclesiastici à Napoleone imperata, cui successit Pontificis longa captivitas : Pio VII recusante tunc institutionem Episcoporum ab Imperatore nominatorum, congregatum fuit Parisiis, anno 1811, Concilium ad solvendam quæstionem quomodo sinè Papa institui valerent Episcopi. Sed Concilium noluit admittere solutionem à

Gubernio propositam, nisi eâ conditione quòd ab ipsomet Summo Pontifice approbaretur. Approbationem hanc renuens Pius VII post multas vexationes adductus fuit ad suscribendum novo Concordato, 25 januarii 1813; quod tamen ab ipso mox fuit revocatum, nec executioni mandatum.

III.

DE IIS QUÆ SUB RESTAURATIONE ET DEINCEPS PERACTA SUNT.

234. Restitutus in pristinum thronum, Ludovicus XVIII novum iniit Concordatum cum S. Pontifice, 25 april. 1817, quo innovabatur antiquum Concordatum Leonem X inter et Franciscum I initum; per ipsum etiam abrogabantur articuli organici, et erigebantur diœceses ad numerum 90; sed subsidia recusante Cœtu legislativo, executionem non obtinuit hujusmodi conventio, reditumque fuit ad Concordatum 1801, excepto quòd diœceses ad numerum 80 excrevêre.

235. Quædam utilia Religioni statuta fuerunt à Gubernio Restaurationis: sanctificatio enim festorum et dierum dominicarum præscripta fuit per legem 18 nov. 1814; abolitum fuit, per legem 18 maii 1816, divortium à codice civili permissum; instituta ecclesiastica à Gubernio recognita facultatem obtinuêre acquirendi et possidendi bona immobilia (lex 2 jan. 1817); lex altera 24 maii 1825, viam aperuit faciliorem pro instituendis monialium domibus; seminaria minora permissa fuêre: pinguiora emolumenta ministris cultûs fuerunt assignata, etc.

236. Sub Gubernio 1830 verba *Chartæ Constitutionalis*. « La Religion catholique est la Religion de l'Etat, » in hæc mutata fuêre. « La Religion catholique est la Reli- » gion de la majorité des Français. »

De cætero, res Ecclesiasticæ, in eodem ferè statu permansêre ac sub Restauratione; quædam tamen à Gubernio statuta catholicos contristavêre. Sed ipsamet Gubernii hostilitas paulatim certum quemdam et sat notabilem versùs religionem et præsertim doctrinas Romanas reditum provocavit, ità ut, dejecto è throno Ludovico Philippo, et de novo erectâ, anno 1848, Republicâ, multa concilia provin-

cilia congregari valuerunt, in quibus Liturgia romana et plura alia disciplinæ romanæ restaurata sunt apud nos; majorque fuit concessa Ecclesiæ docendi et informandi juventutem facilitas, etc.

Faxit Deus, ut novum bellum contra Ecclesiam recenter exortum, quo, post eversam potestatem summi Pontificis temporalem, impii quidquid Ecclesiæ superest jurium et libertatis de medio tollere conantur, ut Christum a civili societate expellant; faxit, inquimus, ut nova hæc aggressio tam impia, novos adhuc triumphos procuret; ut tandem reges et populi benè intelligant quòd libertas Ecclesiæ est verissimum et solidissimum prosperitatis publicæ fundamentum!

CAPUT VI.

DE REGULIS JURIS CANONICI.

237. Antequàm exponantur hujusmodi Regulæ, dicendum est : 1° Quid sit interpretatio legum?

Resp. Interpretatio generatim intellecta, est *Congrua verbi vel sententiæ per aliud clarius explicatio.* Duplici modo fit : per modum declarationis, aut per modum suppletionis.

Priori modo fit quando verba per alia clariora explanantur; et hæc dicitur *litteralis interpretatio.* V. cap. *Exiit*, § *Itaque, de verborum signif.* : « Talis tamen (qualis » ea quæ supplet) inquit Reiffenst. (lib. 1, tit. 2, n° 352), » propriè non est interpretatio (litteralis), quia nihil novi » adducit, sed tantummodo id quod verbis legis jam inerat, » aliis verbis clariùs exponit; ac proinde potius censetur » *declaratio.* »

Posteriori modo fit, quando obscuritas legis removetur, non explicando nudam tantùm litteram, sed verba, simulque mentem legis declarando, nempe legem esse, vel non, extendendam ad certos casus. Et hæc est propriè interpretatio supplens quod verbis deerat, sed non menti; et desumitur ex cap. *In his* 15, *de verb. signif.*

238. Ex parte causæ quatuor distingui possunt species interpretationum : videlicet interpretationes *Principis*, *Consuetudinis*, *Judicis* et *Magistrorum*. Ex quibus aliæ *authenticæ* seu necessariæ, quibus est necessariò acquiescendum, si nempe fiat per *Legislatorem* vel per *Consuetudinem*, imò per *Judicem*; si quidem in causis dubiis judex potestatem habet legem interpretandi, ejusque sententiæ litigantes obtemperare tenentur, nisi ad judicem superiorem appellare velint. Alia non est *necessaria* nec *authentica*; sed tantum *doctrinalis* ac *probabilis* seu *magistralis*, quæ à Magistris et Doctoribus dari solet. Ita Reiffenst. (lib. 1, tit. 2, n°s 351-372).

239. « Regulæ in interpretandis legibus sunt videlicet :
» 1° Ut attendatur mens, sive finis intrinsecus legislatoris.
» Hinc si constet de mente legislatoris, huic magis standum est, quàm verbis legis. 2° Attendenda est ratio legis. 3° In dubio mentis legislatoris, verba legis accipienda sunt secundùm proprium sensum, semper ac non sequatur aliquod absurdum, sensus autem proprius potest esse naturalis, et hic accipiendus est in pœnalibus ; potest etiam esse civilis, et hic etiam accipi potest in favorabilibus. 4° Ut in dubio fiat interpretatio pro valore actûs. 5° Quod lex in favorabilibus amplietur, restringatur in odiosis. Quando verò leges sint favorabiles, quandò odiosæ, primarium motivum legis attendendum est.. » S. Liguor., lib. 1, n° 200. v. Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, n°s 383-447.

Utrum autem debeat aut possit lex extendi de casu ad casum, vide S. Liguor. (*ibid.*). De pluribus verò aliis leges spectantibus, ut de Epiikiâ, de dispensatione, etc., vide theologos in tractatu *De Legibus*.

240. 2° Quæritur utrum interpretatio legis à legislatore vel ipsius successoribus facta, sit promulganda ut vim legis habeat ?

Resp. Vel agitur de interpretatione propriè dictâ, seu quæ aliquid novi verbis legis adjicit, et talis interpretatio est promulganda ut vim legis habeat, quia est quasi nova lex ; vel agitur de interpretatione merè declaratoriâ, seu

merè litterali, et hæc promulgatione non indiget; saltem si fiat ab ipsiusmet legislatore et sensus clarè sit imbibitus in lege, quia tunc non est nova; secus autem si obscurè sit duntaxat imbibitus, juxta S. Liguor., lib. 1, n°ˢ 200 et 106. Vid. Reiffenst., lib. 1, tit. 2, n° 374, et dicta supra (97-100).

Exponendæ sunt nunc Regulæ juris, quales describuntur in ipso *Corpore juris.*

§ I.

Regulæ quæ referuntur in calce libri Decretalium Gregori IX.

241. « I. Omnis res, per quascumque causas nascitur » per easdem dissolvitur.

» II. Dubia in meliorem partem interpretari debent.

» III. Propter scandalum vitandum veritas non est omit» tenda.

» IV. Propter necessitatem, illicitum efficitur licitum. » — (Non agitur hic de illicito in se).

» V. Illicitè factum, obligationem non inducit.

» VI. Tormenta, indiciis non præcedentibus, inferenda » non sunt.

» VII. Sacrilegus est offendens rem vel personam eccle» siasticam.

» VIII. Qui facit aliter quam debet, facere non dicitur.

» IX. Committens unum peccatum, reus est omnium, » quoad vitam æternam.

» X. Ignorantia non excusat Prælatum in peccatis sub» ditorum.

» XI. Pro spiritualibus, homagium non præstatur. »

§ II.

Regulæ in calce Sexti relatæ.

242. « I. Beneficium ecclesiasticum non potest licitè » (nec validè) sine institutione canonicâ obtineri.

» II. Possessor malæ fidei, ullo tempore non præscribit.

» III. Sinè possessione præscriptio non procedit.
» IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.
» V. Peccati venia non datur nisi correcto.
» VI. Nemo potest ad impossibile obligari.
» VII. Privilegium personale personam sequitur, et extin-
» guitur cum personâ.
» VIII. Semel malus, semper præsumitur esse malus.
» IX. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine
» non est gestum.
» X. Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est
» dubium comparari. » (V. g. Si quis sinè meo mandato, negotium, nomine meo, coram judice prosecutus fuisset, nullius momenti foret contra me sententia. Si tamen ratum haberem quod sic actum est, hujusmodi ratihabitio vero mandato comparari deberet).
» XI. Cum sint partium jura obscura, reo favendum
» est, potius quàm actori.
» XII. In judiciis non est acceptio personarum habenda.
» XIII. Ignorantia facti, non juris excusat.
» XIV. Cum quis in jus succedit alterius, justam igno-
» rantiæ causam censetur habere.
» XV. Odia restringi et favores convenit ampliari.
» XVI. Decet concessum à Principe beneficium esse
» mansurum.
» XVII. Indultum à jure beneficium non est alicui aufe-
» rendum.
» XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab
» initio non subsistit.
» XIX. Non est sinè culpâ, qui rei, quæ ad eum non
» pertinet, se immiscet.
» XX. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.
» XXI. Quod semel placuit, amplius displicere non
» potest.
» XXII. Non debet aliquis alterius odio prægravari.
» XXIII. Sinè culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis
» puniendus.
» XXIV. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere
» non videtur, cùm habeat parere necesse.

» XXV. Mora sua cuilibet est nociva.

» XXVI. Ea quæ fiunt à judice, si ad ejus non spectant » officium, viribus non subsistunt.

» XXVII. Scienti et consentienti non fit injuria, neque » dolus.

» XXVIII. Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam » ad consequentiam sunt trahenda.

» XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus appro- » bari.

» XXX. In obscuris minimum est sequendum.

» XXXI. Eum qui certus est, certiorari ulterius non » oportet.

» XXXII. Non licet Actori, quod Reo licitum non existit.

» XXXIII. Mutare consilium quis non potest in alterius » detrimentum.

» XXXIV. Generi per speciem derogatur. » (V. g. « A principe emanavit aliqua lex per quam generaliter imponitur pœna omnibus contra facientibus, vel contra facientes puniuntur ad arbitrium judicis; aliquis facit contra aliquam legem antiquam quæ imponit specialem pœnam: utrum illa nova pœna, quæ imponitur per legem novam, extendatur ad legem antiquam, quæ habet specialem pœnam? Respondetur quòd non: quia quis duplici pœnâ puniretur. » Ita Glossa.)

« XXXV. Plus semper in se continet quod est minus.

» XXXVI. Pro possessore habetur, qui dolo desiit pos- » sidere.

» XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari.

» XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum consequi » quod nisus exstitit impugnare (V. Glossam).

» XXXIX. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia » quæ sequuntur ex illo.

» XL. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

» XLI. Imputari non debet ei, per quem non stat, si » non faciat quod per eum fuerat faciendum.

» XLII. Accessorium naturam sequi congruit princi- » palis.

» XLIII. Qui tacet consentire videtur.

» XLIV. Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare » videtur.

» XLV. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, » vel quod plerumque fieri consuevit.

» XLVI. Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille, » uti debebit.

» XLVII. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non pro» batur.

» XLVIII. Locupletari non debet aliquis cum alterius » injuriâ vel jacturâ.

» XLIX. In pœnis benignior est interpretatio facienda.

» L. Actus legitimi conditionem non respiciunt neque » diem (V. Glossam).

» LI. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulte» rius transferendum.

» LII. Non præstat impedimentum quod de jure non » sortitur effectum.

» LIII. Cui licet quod est plus, licet utique quod est » minus.

» LIV. Qui prior est tempore potior est jure.

» LV. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et è » contra.

» LVI. In re communi potior est conditio possidentis.

» LVII. Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, » est interpretatio facienda.

» LVIII. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

» LIX. Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eumdem.

» LX. Non est in morâ, qui potest exceptione legitimâ se tueri.

» LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

» LXIII. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

» LXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.

243. » LXIV. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro in-

» fectis haberi. » (In cap. *Ad apostolicam* 16, *de Regulis*, tamen dicitur: «Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerunt, » obtinent roboris firmitatem. » Unde Regula LXIV non haberi debet ut absoluta, et examinandum est an intentio Legislatoris fuerit actus irritare, nec ne, quod intelligi potest vel ex verbis legis, vel communi sensu Doctorum, vel ex subjectâ materiâ. In dubio pro valore actûs standum est. V. *Prælectiones S. Sulpitii.*)

» LXV. In pari delicto vel causâ, potior est conditio possidentis.

» LXVI. Cùm non stet per eum, ad quem pertinet, quo» minus conditio impleatur, haberi debet perindè ac si » impleta fuisset.

» LXVII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno » licebit.

» LXVIII. Potest quis per alium, quod potest facere per » seipsum.

» LXIX. In malis promissis fidem non expedit observari.

» LXX. In alternativis, debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

» LXXI. Qui ad agendum admittitur, est ad excipien» dum multò magis admittendus.

» LXXII. Qui facit per alium, est perindè ac si faciat » per seipsum.

» LXXIII. Factum legitimè retractari non debet; licet » casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

» LXXIV. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non » debet ab aliis ad exemplum.

» LXXV. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari » cui fidem à se præstitam servare recusat.

» LXXVI. Delictum personæ non debet in detrimen» tum Ecclesiæ redundare.

» LXXVII. Rationi congruit, ut succedat in onere qui » substituitur in honore.

» LXXVIII. In exemplum trahi nequeunt, quæ propter » necessitatem aliquando sunt concessa.

» LXXIX. Nemo potest plus juris transferre in alium, » quàm sibi competere dignoscatur.

» LXXX. In toto partem non est dubium contineri.
» LXXXI. In generali concessione non veniunt ea quæ
» quis non esset verisimiliter in specie concessurus.
» LXXXII. Qui contra jus mercatur, bonam fidem præ-
» sumitur non habere.
» XXXIII. Bona fides non patitur ut semel exactum
» iterum exigatur.
» LXXXIV. Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id
» aliâ, non debet admitti.
» LXXXV. Contractus ex conventione legem accipere
» dignoscuntur.
» LXXXVI. Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi
» debet non aliis imputare.
» LXXXVII. Infamibus portæ non pateant Dignitatum.
» LXXXVIII. Certum est, quòd is committit in legem,
» qui legis verba complectens, contra legis nititur volun-
» tatem. »

MANUALE
TOTIUS JURIS CANONICI.

Quæ dicturi sumus in præsenti juris canonici Manuali, in tres partes seu in tres libros dividemus : in primo libro agetur de Personis; in secundo, de Rebus; in tertio, de Judiciis ecclesiasticis.

LIBER PRIMUS.
DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

244. Ecclesia constituta fuit à Christo : *societas externa*, *visibilis*, *usque ad finem mundi duratura*, *completa et independens*, *distincta quoque ac pro fine habens omnibus hominibus procurandi media ad assequendam vitam æternam.*

1° Quidem instituta fuit *societas* : vocatur enim *regnum* (Matth., c. 4, v. 17) *civitas supra montem posita* (Matth., c. 5, v. 14) ; *ovile* et quidem *unum* (S. Joan., c. 10, v. 16); hæc verba societatem evidenter supponunt. Vid. adhuc Epist. ad Eph., c. 4, v. 6.

2° *Externa* et *visibilis ;* quod iisdem momentis probatur. Vid. insuper tract. *de Ecclesiâ* apud theologos.

3° Usque *ad finem mundi duratura :* « Ecce vobiscum » sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.» (Matth., c. 28, v. 20).

245. 4° *Completa* et *independens :* Societas seu communitas *perfecta* illa est, inquit Collet (*de Leg.*, cap. 1 , art. 1, p. 5), quæ sufficit sibi ad assequendum finem, ad quem est instituta. *Independens* quæ non debet subjici auctoritati cujuscumque alterius societatis : porrò hæc omnia reperiuntur in Ecclesiâ : 1° sufficit sibi ad assequendum finem suum, si quidem in eâ præest auctoritas cui omnia membra subjici debent, ut constat ex his verbis : « *Data est* » *mihi omnis potestas... Euntes ergo docete omnès gentes...*,

» *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* » (S. Matth., c. 28, v. 18 et 19). *Qui vos audit me audit,* » *qui vos spernit me spernit* (S. Luc, c. 10, v. 16). *Quæ-* » *cumque alligaveritis,* etc. (S. Matth., c. 18, v. 18). *Pasce* » *oves meas, pasce agnos meos* (S. Joann., c. 21, v. 15-18). » *In promptu habentes ulcisci omnem obedientiam* (2 ad Cor., » c. 10, v. 16). » 2° Auctoritati cujusque alterius societatis non debet subjici; quippe è contra ei omnes aliæ obtemperare debent in ordine ad salutem, juxta hæc verba : » Prædicate evangelium omni creaturæ... Qui... non credi- » derit comdemnabitur (S. Marc., c. 16, v. 15-16). Si... Ec- » clesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (S. Matth., c. 18, v. 17). » De hoc V. prop. 19 et 20 *Syllabi*

4° *Distincta ac pro fine*, etc. : finem enim specialem et distinctum habet Ecclesia : « Docete omnes gentes. » (S. Matth., c. 28, v. 18). « Ipse enim dedit quosdam Apos- » tolos, alios autem Pastores et Doctores ad consummatio- » nem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem » Corporis Christi, etc. (ad Ephes., c. 4, 12). » Sic præsertim distinguitur Ecclesia à societate civili, quæ pro fine immediato habet bonum temporale subditorum.

246. Ex his potest deduci quòd falsò Ecclesia diceretur esse *in statu civili*, et quòd, si societas sæcularis possit dici independens ab Ecclesiâ, quatenus ista non est instituta ad promovendum directè bonum temporale, est tamen dependens ab eâ, sub hoc altero respectu quòd bonum temporale sit referendum ad finem ultimum spiritualem; et hoc tanquam de fide fuit definitum à Bonifacio VIII, per Bullam *Unam Sanctam*. Nam reges christiani oves Christi sunt, et Christo ac Christi Vicariis in terris sese subjicere debent in ordine ad religionem et conscientiam.

247. Porrò in Ecclesiâ alia sunt membra, quæ pertinent ad hierarchiam, alia verò quæ non pertinent; et id de fide est contra Lutheranos (Concil. Trident. sess. 23, c. 6).

Hierarchia seu sacer principatus[1] definitur à Devoti (lib. 1, tit. 1, § 4, nat. 1). « Potestas à Christo suis Apostolis, » eorumque successoribus tributa, ut Ecclesiam regant, et

[1] *Hierarchia* derivatur à duabus vocibus ἱερα sacer, ἀρχὴ principatus.

» divina religionis mysteria in eâ celebrent ac distribuant.»

Considerari potest vel objectivè, vel subjectivè : objectivè quidem , et sic est ipsamet Ecclesiæ potestas quatenus est variè distributa. Subjectivè verò , et est collectio personarum aliquo gradu potestatis ecclesiasticæ pollentium.

248. Cùm autem potestas ecclesiastica tria complectatur, videlicet, potestatem docendi et fidem exigendi, potestatem jurisdictionis seu regiminis, et potestatem sacra conficiendi et conferendi, seu ordinis, triplex dicenda esset *hierarchia*, nempe *magisterii*, *jurisdictionis* et *ordinis*; usu tamen in duas tantùm species dividitur : *jurisdictionis* scilicet, in quâ etiam *magisterii* continetur, et *ordinis*; quem usum et nos sequemur [1]. Proinde primum hunc librum dividemus in tres sectiones : in primâ, agemus de Personis ad hierarchiam jurisdictionis pertinentibus; in secundâ, de Personis spectantibus ad hierarchiam ordinis; in tertiâ, de Personis vel ad neutram hierarchiam pertinentibus, vel si quidem pertineant, extra has hierarchias tamen consideratis.

SECTIO PRIMA.

DE PERSONIS AD HIERARCHIAM JURISDICTIONIS PERTINENTIBUS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA, OBJECTO, DIVISIONE ET SUBJECTO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

ART. I.

DE NATURA ET OBJECTO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

249. Ut benè intelligatur quid sit hierarchia jurisdictionis, dicendum : 1° esse essentiale discrimen inter potes-

[1] « Christus..., cùm Ecclesiam instituit, leges dedit societati hominum,

tatem jurisdictionis et potestatem ordinis; 2° quid præcisè complectatur potestas ordinis, quid verò potestas jurisdictionis; et sic tandem ad istius definitionem deveniemus.

§ I.

Differunt essentialiter et à se invicem separari possunt potestas jurisdictionis et potestas ordinis.

250. Negavit quidem Georgius Sicardus et cum eo suspectæ doctrinæ fautores alii multi: contendunt enim quòd Episcopi habeant plenitudinem jurisdictionis eò quòd possideant plenitudinem sacerdotii: quo supposito, everteretur suprema et universalis potestas S. Pontifici data à Christo pascendi omnes tàm fideles quàm Episcopos.

Contra illos probatur thesis: differunt essentialiter potestas jurisdictionis et potestas ordinis, ac separabiles sunt, modo 1° potestas ordinis nec auferri nec minui possit in Episcopis, dùm restringi valet in eis jurisdictionis potestas: modo 2° potestas ordinis episcopalis stare possit sine ullâ tali jurisdictione, et vicissim jurisdictio episcopalis sine episcopali ordine. Atqui res ita se habet: Ergo, etc.

251. Probat. minor: 1° Potestas ordinis nec auferri nec minui potest in Episcopis: sic habet Concil. Trident. (Sess. 23, c. 4): « Quoniam verò in sacramento Ordinis, sicut et » in Baptismo et Confirmatione caracter imprimitur qui » nec *deleri* nec *auferri potest*, meritò S. Synodus damnat » eorum sententiam qui asserunt novi testamenti sacerdo- » tes *temporariam* tantummodo potestatem habere et semel » ritè ordinatos, *iterum laicos effici posse*, si verbi minis- » terium non exerceant. » Ergo, etc.

S. Thomas, 2. 2, q. 39, art. 3, in corp. ait: « Sacramen- » talis potestas est quæ per aliquam consecrationem » confertur... et talis potestas secundùm suam essentiam » remanet in homine, qui per consecrationem eam est

» quos frui bonis spiritualibus et quos optimè regi voluit, ut deinceps » æternæ felicitatis participes esse possint. Ut homines fruerentur bonis » spiritualibus, creavit ordinis potestatem; ut optimè regerentur, » potestatem jurisdictionis instituit. » (*Devoti*, lib. I, tit. II, n° 1.)

» adeptus, quandiu vivit, sive in schisma, sive in hære-
» sim labatur. » Ergo potestas Ordinis nec auferri nec minui potest.

252. Contra verò restringi potest Episcoporum jurisdictio : et quidem I quoad loca, ut constat : 1° Ex Scripturâ, juxta quam patet Episcopos non habere jurisdictionem nisi limitatam : «Pascite qui *in vobis est* gregem Dei.» (1 Petr., c. 5, v. 2),— «Reliqui te *Cretæ* ut ea quæ desunt » corrigas et constituas per *civitates* presbyteros. » (Ad Tit., c. 1, v. 5.)

2° Ex SS. Patribus et Conciliis: sed quia innumera allegari possent ex eis testimonia, sufficiat citare ex SS. Patribus:

S. Cyprianum (Epist. 55., ad Corn. Papam) : « *Singulis*
» Pastoribus *portio* gregis adscripta est, quam regat unus-
» quisque atque gubernet. »

S. Augustinum (Epist. ad Eusebium 34) : Sanctus enim Doctor respondens quibusdam à se petentibus ut extra suam diœcesim se transferret ad coarguendos Donatistas :
» Hoc ridiculum est dicere, inquiebat, quasi ad me perti-
» neat cura propria, *nisi Hipponensis Ecclesiæ*... In aliis
» enim civitatibus *tantum* agimus quod ad Ecclesiam per-
» tinet, *quantum* vel *nobis permittunt*, vel *nobis imponunt*
» earumdem civitatum Episcopi... »

Ex conciliis autem, Canonem 2, Concilii generalis Constantinopolit. I : « *Secundùm regulas constitutas*,
» Alexandriæ quidem Episcopus ea quæ sunt in Ægypto
» *tantùm* gubernet; Orientis autem Episcopi *solius* Orien-
» tis curam gerant... Sed et Asianæ diœcesis Episcopi ea
» *quæ sunt in Asiâ*, et quæ ad Asianam *tantummodo* Eccle-
» siam pertinent, gubernent; Ponti autem Episcopi, Pon-
» ticæ *tantùm* diœcesis habeant curam; Thraciæ verò,
» ipsius *tantummodo Thraciæ*. »

Ergo jurisdictio Episcoporum restringi potest quoad *loca*.

253. II. Restringi potest quoad materias. — Est contra Pereira et plures alios qui temerè asserunt *Episcopos potestatem absolutam* et *illimitatam* in *suâ respectivâ diœcesi possidere* : Illud constat ex innumeris legibus sive à Con-

ciliis sive à SS. Pontificibus prolatis, quibus ligantur non tantùm fideles, sed etiam Episcopi, in regimine suarum unusquisque diœcesium. Sic habet Concil. Antiochenum, anno 341 : « Visum est reliquos Episcopos nihil magni » momenti aggredi sine ipso (Metropolitano [1]) ut vult qui » ab initio obtinuit Patrum canon. » (Can. 9, Labb., t. 2, col. 566.) Vid. etiam canon. 27 Apostolorum et can. 4, Concilii Nicæni.

254. III. Restringi potest quoad personas : sic etiam in primis Ecclesiæ sæculis, à jurisdictione episcopali exempta fuerant monasteria : sufficiat allegare Concil. Carthaginense anni 525 : « Erunt igitur omnia omnino monasteria » *sicut semper fuerunt*, à conditione clericorum modis » omnibus libera, sibi tantùm et Deo placentia. » (Labb. t. 4, col. 1649.)

Ergo 1° constat quòd variis modis restringi possit jurisdictio episcopalis, dum auferri nullatenus valet ordinis potestas.

255. 2° Potestas ordinis episcopalis stare potest sine ullâ jurisdictione, et vicissim jurisdictio episcopalis sinè episcopali ordine.

Prima pars constat ex variis statutis in Concilio Nicæno I sancitis et aliis quæ legi possunt ap. D. Bouix, *de Principiis*, pag. 510, etc.; sufficiat citare can. 10, Concilii Antioch. : « Ii qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur » Chorepiscopi, etiamsi Episcopi ordinationem manuumve » impositionem acceperint, visum est ut suum modum » sciant et sibi subjectas Ecclesias administrent... Nec » presbyterum, nec diaconum ordinare audeant absque » Urbis episcopo, cui subjicitur ipse et regio. » (Labb. t. 2, col. 566.)

Secunda pars probatur ex eò quòd electus in Episcopum statim ac præconisatus suas obtinuit bullas, possit, nondum consecratus, cum plenâ jurisdictione gubernare suam diœcesim. Juxta enim Concil. Trident. (Sess. 23, c. 2, *de ref.*) potest ad tres menses suam differre consecrationem.

[1] In desuetudinem tamen abiit hæc Metropolitanorum prærogativa.

Pariter Capitulum, sede vacante, potest per Vicarium diœcesim regere, proinde jurisdictionem Episcopi sinè caractere episcopali exercere. Ergo 2°, etc.

Ergo differunt essentialiter potestas jurisdictionis et potestas ordinis, et à se invicem sunt separabiles. « Qui » discrimen illud negant, ait D. Bouix (*ibid.*, ut supr. p. » 517), tanquam heterodoxiæ veneno imbuti planè reji- » ciendi sunt. »

256. Ut adhuc clariùs perspiciatur discrimen quod interest inter potestatem ordinis et jurisdictionis, observandum est quòd prior : 1° confertur per ordinationem ; 2° æqualis est in iis qui eumdem ordinem habent; 3° perpetua manet in quolibet ministro; 4° delegari *præcisè* non potest. Dum potestas jurisdictionis è contra : 1° Non confertur necessariò per ordinationem, imò ante ordinationem obtineri potest, sed confertur per missionem legitimam. 2° Inæqualis est in variis subjectis etiam ejusdem ordinis et dignitatis. 3° Non est perpetua sed variis modis retrahi vel tolli potest. 4° Propriè potest delegari.

Dixi quòd potestas ordinis delegari præcisè non valeat: Nam etiamsi per delegationem seu commissionem possit, v. g. sacerdos conferre sacramentum Confirmationis, non ideo ipsi *propriè* delegatur potestas hoc sacramentum conficiendi, sed ponitur conditio per quam sacerdos fit capax confirmandi : simplex enim caracter sacerdotalis indiget hâc commissione ut sit sufficiens ad conficiendum hujusmodi sacramentum.

§ II.

Quid præcisè complectatur potestas Ordinis, quid etiam potestas jurisdictionis?

257.— *Propositio.* — Ad potestatem Ordinis referenda est quælibet conficiendi vel conferendi sacramenta aut sacramentalia potestas quam Christus vel Ecclesia alicui ordinum gradui alligavit.

Illud enim meritò ad potestatem Ordinis referendum est quod ita alligatum fuit ipsius exercitio ut validè saltem, si

non licitè, ab iis qui ordinem habent, etiam hæreticis et schismaticis, peragi valeat: porrò ejus generis sunt 1° quæ Christus ordinibus annexuit, videlicet ordinationem et confirmationem ordini episcopali; consecrationem Eucharistiæ, Extremæ Unctionis administrationem ordini presbyterali, item habilitatem ad absolvendum, imò et ad confirmandum, accedente tamen sufficienti Ecclesiæ deputatione. Hæc annexa sunt a Christo ordini episcopali vel presbyterali, et exerceri valent, saltem validè, etiam ab hæreticis et schismaticis, ut supra diximus ex S. Thomâ (251).

2° Quæ Ecclesia etiam annexuit ordinibus, nempè varia officia minorum ordinum et plura etiam majorum : potestatem v. g. conficiendi et conferendi sacramentalia, ut consecrationes Ecclesiarum, altarium, vasorum et alias varias benedictiones, quarum quædam Episcopis sunt reservatæ, aliæ verò presbyteris aut aliis permissæ : hæc etiam validè semper exercentur ab iis qui ordinem habent. Attamen pendent ab Ecclesiâ, et variare possunt. Undè olim africanis presbyteris concedebatur potestas olea sacra et S. Chrisma conficiendi, ut videre est ex Epistolâ Joannis Diaconi ad Senatorium à Mabillonio relatâ (tom. 1, Musei Italici), quod hodie non permittitur nisi rarissimè[1].

258. Juxta D. Bouix, *de Principiis*, p. 522, ad potestatem jurisdictionis pertinet omnis potestas ecclesiastica quæ, vel pro objecto non habet sacramenta aut sacramentalia conficere et ministrare, vel non fuit à Christo vel ab Ecclesiâ alicui ex ordinibus alligata.

Hujusmodi assertio supponit quòd ambæ tantùm sint in Ecclesiâ potestates, jurisdictionis scilicet et ordinis (248), et quòd objectum unius esse non possit objectum alterius. Porrò cùm potestas de quâ agitur in modò dictâ assertione (258) non sit potestas ordinis, ut patet ex propositione supra stabilitâ (257), superest necessariò ut dicatur jurisdictionis.

Ita quidem rationatur D. Bouix, sed difficultatem habet

[1] Potestas autem privatim baptizandi in necessitate, et conferendi matrimonium (in sententiâ probabilissimâ quòd ministri sint contrahentes) non est potestas ordinis, cùm non fuerit ordini alligata.

hæc argumentatio quòd excludat a potestate jurisdictionis potestatem legitimam conficiendi et conferendi sacramenta vel sacramentalia, cùm tamen sit unus ex præcipuis actibus legitimæ jurisdictionis illa omnia conficere vel conferre.

259. Unde nullum video sufficiens motivum recedendi, prout vult præfatus auctor (*ib.*, p. 523), à definitione à multis traditâ qui dicunt : *Potestatem jurisdictionis ecclesiasticæ esse potestatem regendi et gubernandi subditos in ordine ad vitam æternam*. In quam definitionem recidit ipsamet difinitio D. Bouix, pauló ante (page 517) ab ipso allata, ubi dicit quòd « Jurisdictio generatim appellatur *potestas ea omnia gerendi atque gubernandi*, *quæ ad bonum Ecclesiæ conservandum et promovendum pertinent*. » Quibus verbis non solùm designatur potestas *præcipiendi, corrigendi*, *judicandi* et *puniendi*, sed etiam certè alia multa intelliguntur, nempe facultas docendi, varias benedictiones et sacramenta permittendi, bona Ecclesiarum administrandi; uno verbo, faciendi quidquid conducere valet ad bonum Ecclesiæ regimen.

260. Legitima quidem potestas seu exercitium ordinis continetur etiam in potestate jurisdictionis sic intellectæ, sed idem dici nequit de potestate ordinis illegitimâ quando nempe exercetur sine missione. Itaque illæ duæ potestates *ordinis* et *jurisdictionis* distinctæ quidem sunt et à se invicem sunt separabiles; sed non ideò necessariò se excludunt, quin potiùs objectum unius potest quoque esse objectum alterius, sicut contingit in legitimo exercitio ordinum.

Imò aliquando utraque potestas simul requiritur ad validitatem actûs, qui peragitur: v. g. ad validitatem absolutionis, simul requiritur potestas ordinis et potestas jurisdictionis, ut constat ex Concil. Trident. Sess. 24, c. 7[1].

261. Duo hìc imprimis ante oculos habenda sunt catho-

[1] His tamen non obstantibus, plures per jurisdictionem intelligunt tantùm *potestatem publicam judicandi*, *præcipiendi*, *prohibendi*, *puniendi*, *leges ferendi*, *in iisque dispensandi*. V Reiffenst, lib. 1, tit. 29, nº 6; Soglia, *Instit. juris privat.*, p. 7; et *Juris publici*, p. 159,

lica dogmata à Concilio Tridentino definita, sess. 23, can. 7 et 8 : alterum est: « Si quis dixerit, eos qui nec ab Eccle-
» siasticâ et canonicâ potestate ritè *ordinati*, nec *missi sunt*,
» sed aliundè veniunt, legitimos esse verbi, et sacramen-
» torum ministros, anathema sit. »

« Itaque, inquit Devoti (lib. 1, tit. 2, § 6), ut Episco-
» pus et ordinis habeat et jurisdictionis potestatem, utram-
» que habere debet, scilicet et ordinationem et legitimam
» missionem per quam ei assignentur subditi, in quos
» imperium exerceat. »

Alterum autem est: « Si quis dixerit, Episcopos qui auc-
» toritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legi-
» timos et veros Episcopos, sed figmentum humanum,
» anathema sit. » Undè idem Concilium (*ib.*, cap. 4) statuit:
« Eos qui tantummodò à populo aut sæculari potestate, ac
» magistratu vocati et instituti ad hæc ecclesiastica ministe-
» ria exercenda ascendunt, et qui ea propriâ temeritate
» sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et
» latrones per ostium non ingressos habendos esse. »

262. Quærit. 1° Utrum Ecclesiæ tribui possit jurisdictio propriè dicta? *V.* art. 24 *Syllabi*, in fine tomi.

Negârunt quidem et etiam nunc negant plures jurisperiti sæculares, eò quòd jurisdictio propriè dicta necessariò includat *jus coercitionis externæ*, juxta legem *Cui jurisdictio* ff. *de Juridict.* Porrò, inquiunt, Ecclesia hoc *jus coercitionis* non possidet. Sed affirmandum certè est; nam etsi Ecclesia non habeat *jus coercitionis* sic intellectum quòd habeat potestatem vi apprehendendi per seipsam corpora vel bona, non ideo tamen illi desunt media cogendi subditos ad obtemperandum : illos enim potest cogere per privationem bonorum spiritualium, denegando sacramenta aut sepulturam ecclesiasticam, spoliando beneficiis et officiis ecclesiasticis, variis censuris plectendo etc. Undè dicit

etc.; Lequeux, n° 53; iterum Bouix, *de Capitulis*, p. 236, et *de Parocho*, p. 326, ubi dicit potestatem conferendi beneficia in Episcopis non pertinere ad jurisdictionem. Ita etiam videtur sentire Devoti, lib 1, tit. 2, § 4. Et in hoc sensu de quibusdam officiis, v. g. de Theologali, dicitur quòd non habeat jurisdictionem.

Apostolus, 2ª Cor., cap. 10, v. 6 : « In promptu habentes » ulcisci omnem inobedientiam » ; et 2 ad Thess., cap. 3, v. 14 : « Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate » et ne commisceamini cum illo, ut confundatur. » Facultas Theologica Parisiensis damnavit ut *hæreticam* propositionem Ant. de Dominis quæ denegabat Ecclesiæ *veram jurisdictionem, hoc est vim coactivam* et subjectionem externam ; et Bulla *Auctorem fidei*, nº 4, hoc idem damnat ut *inducens in systema aliàs damnatum ut hæreticum*. V. prop. 24 Syllabi.

263. Quærit. 2° Quænam sint objecta jurisdictionis ecclesiasticæ ?

Resp. Duplicis esse conditionis objecta ecclesiasticæ jurisdictionis : alia enim *directè* pertinent ad auctoritatem ecclesiasticam, alia tantùm *indirectè*.

Directè pertinent actus et res essentialiter spirituales. Porrò non ex eò quòd sint visibiles, res temporales à spiritualibus secernuntur, inquit Phillipps (chap. 9, § 10, p. 395); sed distinguuntur per ipsarum destinationem; temporalia enim sunt quorum finis immediatus est objectum temporale; spiritualia verò quorum finis præcipuus est spiritualis (*Ibid.*, p. 397), ut sunt, v. g. quæ pertinent ad doctrinam, ministerium et cultum divinum, ad disciplinam ecclesiasticam; item quæ avertunt à fine supernaturali, qualia sunt peccata.

264. *Indirectè* verò pertinent res temporales, quatenus esse possunt materia supernaturalium actuum, aut virtutum aut etiam vitiorum. « Quia ferè tota materia temporalis, » inquit Suarez (*De Leg.*, lib. 4, c. 11, nº 9), ad spiritualem finem ordinari potest, et illi subest..., sub illo » respectu inducit quamdam rationem spiritualis materiæ, » *etità potest ad leges canonicas pertinere.* »

265. « Et hinc intelligitur, pergit idem (nº 11) quâ ratione contingat, ut lex canonica et civilis interdum versentur circa eamdem materiam, quia nimirum materia » per se temporalis est, et sub eâ ratione potest lex civilis » circa illam versari ; habet tamen aliquem respectum ad » spiritualia, et sub eâ ratione potest ad legem canonicam » pertinere ; atque hoc modo multa delicta dicuntur esse

» mixti fori, quia ad utramque potestatem pertinere pos-
» sunt et in eis datur locus præventioni. »

Igitur inter illa objecta, alia sunt quæ ad solum ecclesiasticum forum pertinent; alia quæ etiam ad forum sæculare possunt pertinere sive per concessionem Ecclesiæ, sive quia *de se* sunt *mixti fori :* Illa sic recenset Bened. XIV, *de Syn. diœces.*, lib. 9, cap. 9, nº 2 :

266.—1º « Inter primas, inquit, principem locum obti-
» nent causæ, quæ versantur circa res merè spirituales,
» puta circa fidem, sacramenta, religionem seu cultum
» divinum, quas in solo foro ecclesiastico esse pertrac-
» tandas, nullus catholicorum ambigit. »

267.—2º « Tria sunt causarum matrimonialium genera :
» Aliquæ versantur circa initi conjugalis fœderis firmita-
» tem, et hæ, nullo catholicorum contradicente, in solo
» Ecclesiæ foro sunt pertractandæ. — Aliæ sunt excitatæ
» super validitate sponsalium aut super jure instituendi
» divortium quoad torum et habitationem ; et istæ pariter,
» ob illum respectum quem habent ad Matrimonii sacra-
» mentum, ad solum Judicem ecclesiasticum deferuntur...
» Aliæ demum sunt causæ, quæ connexionem quidem ha-
» bent cum Matrimonio, sed res merè politicas et tempo-
» rales directè atque immediatè respiciunt; uti sunt lites...
» super dote, donatione propter nuptias, hæreditariâ suc-
» cessione, alimentis et similibus. Et istas ad judices
» sæculares pertinere ex communi doctorum sensu, rectè
» docent Bellarm. et Tanner. » (nº 3 et 4.)

268.—3º « Alexander III, in cap. 3, *de Judic.*, generatim
» edixit : *Causa Jurispatronatûs ita conjuncta est et con-*
» *nexa spiritualibus causis quòd nonnisi ecclesiastico judicio*
» *valeat definiri*. Et nihilominus in Galliâ receptum esse
» ut de jure patronatûs merè laicalis in judicio tam de
» possessorio quàm petitorio, non ecclesiasticus, sed
» sæcularis Judex sententiam ferat, narrant Franciscus de
» Roy... Van Espen... Alteserra. » (nº 6.)

269.—4º « Communis doctorum doctrina, jure communi
» subnixa, fert, ut lites motæ super possessione, seu quasi
» possessione juris annexi rei spirituali, atque ab hoc pro-

» fluentis, puta super possessione exigendi decimas ecclesiasticas, non minus quàm causæ proprietatis versentur » et dirimantur in tribunali ecclesiastico... Et tamen plerisque in locis..., sive expresso privilegio apostolico, sive » diuturnâ consuetudine ab Ecclesiâ toleratâ, inductum » est, ut causæ beneficiales, decimarum et similes, in » judicio petitorio remittantur quidem ad judicem ecclesiasticum, sed in judicio possessorio in foro sæculari » audiantur et definiantur. » (N° 7.)

270.—5° « Ob adjecti... jurisjurandi religionem... omnes » ferè quæstiones super civilibus contractibus ad judicem » ecclesiasticum olim devolvebantur. Constat ex cap. 23, » *de Judiciis*, cujus auctor est Innoc. III, et cap. 3, *de* » *Foro compet.*, in 6°. In Galliâ tamen..., non solùm interdictum fuit, ne deinceps juramentum apponeretur » contractibus, sed simul sancitum est ut vires non amplius » haberet causam pertrahendi ad forum ecclesiasticum. (N° 8.)

271. » Hæc de causis, ratione suî ecclesiastico foro » destinatis : aliæ sunt causæ eidem foro addictæ ratione » personarum quas tangunt...

» 1° Si jus commune inspiciamus, solus Episcopus est » judex competens in quibuslibet clericorum causis; sed » ejusdem tribunal adire permittuntur etiam laici, in » controversiis cujuscumque generis sint inter eosdem » exortis : idque non tantùm de communi litigantium » consensu... sed etiam altero eorum refragante, quemadmodum expressè decernitur in Extrav. 1, *de Episcopi* » *Judicio* ex concessione Theodosii, confirmatâ à Carolo » Magno. » (N° 9.)

272.—» 2° Potiori jure ad tribunalia ecclesiastica provocare permittuntur, viduæ, orphani, pupilli aliæque miserabiles personæ. » Quod Bened. XIV, *ib.*, n° 10, probat variis juris textibus.

« Hæc in Episcoporum oculis subjicimus, inquit Bened. » XIV (n° 11), ut priora tempora cum hodiernis conferentes, » videant et doleant gravia vulnera suæ antiquæ jurisdictioni » inflicta. Si quidem... ait Guillelmus Durandus junior...

» *pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus*
» *directè vel indirectè per eos sæculares ecclesiastica juris-*
» *dictio non turbetur in diversis mundi partibus...*

» Hisce judicum sæcularium ausibus ab initio obstite-
» runt Pontifices...; sed cùm illos à proposito dimovere
» nequiverint, ad evitanda majora mala, inolescentes in
» dies contra ecclesiasticam jurisdictionem consuetudines
» dissimulârunt et tolerârunt, et quandoque... consultius
» duxêre idipsum privilegio principibus concedere, quod
» propriâ auctoritate jam pridem sibi usurpârunt.

273. » Jam verò cùm desperandum jam sit ut Potestas
» sæcularis intra constitutos sibi ab antiquo limites con-
» tineri patiatur, imprudenter ageret Episcopus, si in suâ
» Synodo aliquid decerneret, quo jurisdictionem sibi olim
» jure communi attributam recuperare tentaret; rem
» si quidem impossibilem aggrederetur, et sine ullâ Eccle-
» siæ utilitate graviter apud Principem offenderet. » (N° 12).

274. Tria tamen commendat doctus Pontifex (*ib.*) :
« 1° Ne princeps sæcularis sibi unquam arroget jus sacro-
» rum : hoc est, ne... se immisceat in causis... merè
» spiritualibus... 2° Ne judex laicus eam quoque partem
» ecclesiasticæ jurisdictionis invadat quæ hactenus perse-
» verat intacta. Tamen... in hoc negotio, summâ prudentiâ,
» circumpectione et dexteritate opus est... 3° Ubi, aut pri-
» vilegio aut legitimâ consuetudine, fori ecclesiastici
» limites ultra juris communis sanctiones ampliati sunt...
» curabit Episcopus ne, suâ incuriâ aut conniventiâ,
» contrahantur. » (N° 13.)

Initio ejusdem capitis, illustris Pontifex valde laudat varias synodos, in quibus strenuè tuebantur immunitates ecclesiasticæ (n° 1). De his omnibus, vid. D. Bouix, *de Episcopo,* t. 2, pag. 109-115.

275. « Sive divino, sive humano jure, inquit Card. So-
» glia (*Inst. juris publ.*, § 58), a foro laicali exempti fuerint
» (clerici). Apud omnes certum est, eam immunitatem
» nec tolli posse, nec abrogari...; licet (S. Pontifex) optimè
» possit eam exemptionem quoad quosdam clericos et
» quoad quasdam causas revocare. » Vid. etiam Reiffenst.,

lib. 1, tit. 29, n° 93; S. Liguor. *de Privilegiis*, n° XVIII, ubi addit quòd clerici « teneantur in conscientiâ illis legi» bus civilibus, quæ non repugnant eorum statui, non vi » *coercitivâ*, ut dicitur, sed *directivâ*, ut uniformentur » communitati. Est commune cum Salmant. » Vide etiam *Prælectiones S. Sulpitii*, n° 326.

276. Notandum est « nullâ theologicâ notâ carpi debere « opinionem quorumdam catholicorum Doctorum, qui » docent ex merâ duntaxat principum concessione, suum » clericis obvenisse fori privilegium in causis temporalibus; » modò tamen simul sustineatur, non posse Ecclesiam » hoc jure semel accepto unquam legitimè spoliari (posse » enim principes hoc privilegium repetere communiter a » DD. catholicis tanquam omninò falsum reprobatur); et » modò prædicta opinio Romanum Pontificem non com» prehendat. *Inter catholicos*, ait Suarez, *Palatius asse» rere ausus est Papam non esse exemptum a potestate » civili jure divino vel canonico, sed tantùm civili, seu » ex privilegio Imperatorum... Verumtamen hæc sen» tentia, quatenus totum hoc privilegium revocat in » solam donationem Imperatorum, etiam de aliis cle» ricis S. P. inferioribus perniciosa est et minimè pro» banda... De S. autem P. omninò reprobanda et minime » toleranda est* (*Defens. fidei*, lib. 4, *de Imm.*, c 4, » n° 2)... » Ita Bouix, *de Jud.*, t. 1, p. 89 et 90, ubi insuper addit in tractatu de jure Ecclesiæ relativè ad potestates civiles: « 2° Probamus dictam opinionem, quæ » clericale fori privilegium à solâ Imperatorum concessione » repetit, etsi nequeat censurâ theologicâ percelli (eò » quòd... nondum expressè ab Ecclesiâ damnata fuerit), » esse tamen *omnino falsam*, *perniciosam et deserendam.* » De quo *V.* prop. 25 et 30 *Syllabi.*

ART. II.

DE DIVISIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

277. Dividitur Jurisdictio ecclesiastica : 1° In jurisdictionem *fori interni* et *fori externi;* per *forum* autem intel-

» ligitur *locus exercendarum litium* (cap. *Forus, de verb. signif.*), et etiam ipsummet justitiæ exercitium.

Jurisdictio *fori interni* est illa quæ *primariò et directè refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem* : exercetur autem per sacramenta aut sacramentalia ; talis est jurisdictio parochorum.—Subdividitur in jurisdictionem *fori pœnitentialis*, quæ intra tribunal pœnitentiæ tantùm usurpatur, et in jurisdictionem fori interni *extra pœnitentialis* quæ extra illud tribunal exerceri potest, quando, v. g., superior dispensat in voto, irregularitate, etc...

278. Jurisdictio *fori externi* est illa quæ *primariò et directè publicam corporis fidelium utilitatem respicit* : ut, leges ferre, decidere controversias circa doctrinam vel disciplinam, et similia.

Ex his intelligi valet quid sit aliquem ligare aut absolvere in conscientiâ, dispensare in foro interno vel utroque foro. Aliquis absolvitur vel dispensatur tantùm in foro interno, quando ipsius absolutio vel dispensatio vim non habet nisi pro conscientiâ : tunc si casus deferatur ad forum externum, superior minimè tenetur acceptare hanc absolutionem vel dispensationem : secus quando pro utroque foro gratia impertitur.

Ex his etiam videtur quomodo intelligendum sit vulgare adagium : *Ecclesia de internis non judicat* : illud nempe intelligendum est de foro externo, non interno.

279. « Magnâ opus est prudentiâ, inquit Berardi à D.
» Bouix citatus (*de Principiis*, p. 525), in definiendo quæ-
» nam ad fori externi jurisdictionem pertineant... Exem-
» plum præbeo: facultas prædicandi..., absolvendi à peccatis
» (et) à censuris..., est fòri interni... At facultas concedendi
» potestates prædicandi, absolvendi à peccatis sive à cen-
» suris, ad forum externum pertinet; quia hæc in bonum
» communitatis directè refertur. »

280. Dividitur 2° in *Universalem* quæ nullo arctatur limite nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias : talis fuit jurisdictio Apostolorum, et nunc talis est jurisdictio Summi Pontificis.—In *Particularem* quæ

restringitur aliquo ex illis tribus modis, nempe vel quoad personas, vel quoad loca, vel quoad materias.

281. Dividitur 3° in *voluntariam* et *contentiosam* seu in *extrajudicialem* et *judicialem*. *Voluntaria,* quæ etiam vocatur *extrajudicialis,* illa est quam superior exercere potest, etiam erga invitos, absque formis pro judiciis à jure præceptis : in eâ includitur potestas censuras ferendi extrajudicialiter. — *Contentiosa* verò seu *judicialis* illa est, quæ juxta formas pro judiciis à jure præscriptas exercetur.

Contentiosa jurisdictio extra territorium prælati eam exercentis non potest licitè nec validè exerceri, quia tale exercitium *sinè strepitu* fieri nequit. Ita cap. *Ut animarum, de Const.,* in 6°, in quo dicitur: *Extra territorium jus dicenti, impunè non paretur.* — Voluntaria verò potest etiam extra territorium exerceri, nisi ministerium ordinis Episcopalis exigat ut intra diœcesim exerceatur quemadmodum contingeret si Pontificalia exercerentur, si, v. g., sacramenta Ordinis et Confirmationis diœcesano suo conferret Episcopus.

282. Dividitur 4° in *ordinariam* et *delegatam*. *Ordinaria* dicitur ea quæ alicui, jure proprio, ratione officii aut dignitatis suæ, ex lege, consuetudine, aut privilegio vim legis habente, competit : talis est jurisdictio Parochi, Pœnitentiarii, Episcopi, Capituli, Abbatis, S. Pontificis in totâ Ecclesiâ, Legati, etc. (Reiffenst., lib. 1, tit. 31). Qui possident jurisdictionem ordinariam in foro externo sunt Ordinarii ; quo nomine vocantur non solùm Episcopi, sed eorum Vicarii generales et Prælati, qui in certis locis jurisdictionem quasi-episcopalem exercent. Sed dicto nomine non designantur Parochi, quia non habent jurisdictionem in foro *externo*. V. Conc. Trident., Sess. 24, c. 1, ubi *Parochus* distinguitur ab Ordinario propriè dicto.

283. Jurisdictio *delegata* est ea quam quis non habet jure proprio, id est, non ratione sui officii aut dignitatis, à lege, consuetudine, aut privilegio vim legis habente, sed solùm per commissionem alterius ; quæ dari tamen potest non tantùm ab homine, sed etiam à jure, prout potestas absolvendi in articulo mortis, quæ, ex consuetudine, data reputatur omnibus sacerdotibus.

284. Duplicis generis est jurisdictio *delegata*, alia *particularis*, alia ad *universitatem causarum*. *Particularis* est, quando una causa vel altera committitur. Est verò *ad universitatem causarum*, quando causæ omnes, vel saltem certum genus causarum sub uno collectivo nomine committuntur, quamvis delegatio restringatur sive quoad tempus, sive quoad loca. Sed vide infra (309.)

Delegatus ad *universitatem causarum* dicitur *quasi Ordinarius*[1], et potest subdelegare, non quidem totam suam jurisdictionem, sed unam vel alteram causam. Secus est de delegato ad causam particularem, qui non potest subdelegare, nisi sit delegatus à Supremo Principe (c. *Causam* 62, *de Appell.*).

Delegatus tenetur suam missionem probare (cap. *Cùm in jure*, 31, *de Officio Delegati*).

285. Delegari potest quis vel ab homine vel à jure: delegatur ab *homine* qui suam delegationem immediatè accipit ab Ordinario, vel ab alio facultatem delegandi habente. Delegatur *à jure*, qui delegatam jurisdictionem habet ex commissione juris communis, vel etiam ex consuetudine : exemplum habetur in cap. *Ad abolendum*, § fin., *de Hæreticis*, ubi facultas contra exemptos procedendi in causâ hæreseos, datur Episcopis tanquam à Sede Apostolicâ delegatis; plura alia sunt exempla in Concilio Trident., v. g. sess. 5, cap. 1; sess. 6, cap. 2, *de ref.*, etc. Non tamen hujusce generis reputari debet deputatio facta sine expressione *tanquam delegati à S. Sede;* qualis est, v. g. ea de quâ agitur in cap. *Liceat*, sess. 24, de quâ v. S. Liguor., lib. 6, n° 566 et 1125; Carrière, *de Matrimonio*, n° 1075.

Ne dicas jurisdictionem à jure datam esse *ordinariam :* nam licet a jure deferatur modò dicta jurisdictio, vocanda est *delegata*, quia defertur per modum *commissionis*, ut demonstrant ipsamet verba : *tanquam delegatus Sedis Apos-*

[1] « Delegatus ad *universitatem causarum* dicitur quando ei genus » causarum committitur sub uno *nomine co lectivo*, quamvis non sit » generalissimum sed subalternum, licet sit restrictum quoad tempus... » vel quoad quantitatem, ut causæ decem librarum et infra, vel quoad » locum. » Ita Sanchez, *de Matrim.*, disput. 31, n° 4. Vid. infr. (311).

tolicæ : idipsum à sensu contrario colligi potest ex cap. *Licet in corrigendis*, 12, *de Officio Ordin.* : « *Ab Episcopo non » tanquam delegato, sed tanquam Ordinario faciendis.* »

286. Effectus autem clausulæ *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, est quòd in hoc casu non possit appellari ab Episcopo ad Archiepiscopum, sed solummodo ad S. Pontificem, tanquam a delegato ad delegantem; propterea in Galliis, huic clausulæ repugnabant jurisperiti; dicebant enim sic causas subduci judicibus earum naturalibus.

287. Aliquando additur verbum ETIAM *tanquam delegatus*, etc.; et tunc Episcopus habet duplicem potestatem, unam scilicet *ordinariam*, et alteram *delegatam* : et potest unâ vel alterâ uti, prout maluerit. In dubio censetur voluisse uti delegatâ, quia potestas Papæ magis est honorifica (cap. *Sane quia nos*, 11, *de Off. et potestat. Jud. deleg...*) In hoc tamen casu licitum est ad Archiepiscopum appellare juxta Fagnan. (Bouix, *de Parocho*, p. 281-283), etiamsi Episcopus processerit tanquam delegatus Sanctæ Sedis; sic decisum fuit à S. C. C., 18 aug. 1860 (vid. *Corresp. de Rome*, n° 120, p. 143). Distinguit verò D. Stremler, *Tr. des peines eccl.*, p. 445. Vid. *ibid.*

Jurisdictio ordinaria est *favorabilis*, delegata verò *odiosa*, quia derogat ordinariæ, ideòque est strictè interpretanda (Reiffenst., lib. 1, t. 2, n° 52).

288. Dividitur 5° In *immediatam* et *mediatam; immediata* jurisdictio illa est quæ potest exerceri generaliter et independenter à casu necessitatis. S. Pontifex in totâ Ecclesiâ, Episcopus in suâ diœcesi, Parochus in suâ parochiâ jurisdictionem immediatam possident. *Mediata* verò est quæ exerceri non valet nisi in certis casibus determinatis à jure; talis est potestas Archiepiscoporum in suffraganeorum subditos.

Dixi *in subditos* : nam secus est dicendum de ipsis Episcopis suffraganeis, in quos Metropolitanus ordinariam habet jurisdictionem (Reiffenst., lib. 1, tit. 31, n° 35).

ART. III.

DE SUBJECTO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

289. Subjectum jurisdictionis duplici modo intelligi potest : *passivè* vel *activè*. Subjectum *passivum* est ille qui subjacet jurisdictioni; *activum* autem ille in quo residet potestas jurisdictionis.

Porrò 1° : Omnes et soli baptizati subjacent jurisdictioni ecclesiasticæ : *omnes* quidem, ac proindè etiam hæretici, schismatici, excommunicati, etc. ; si quidem, ex regulâ juris ff. *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*. *Soli* verò quia ex Concil. Trident. (sess. 24, c. 2): « Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs in » ipsam per Baptismi januam ingressus fuerit. » — « Quid » mihi, inquit Apostolus (1 Cor., c. 5, v. 12) de iis qui » foris sunt judicare? Eos qui foris sunt Deus judicabit. »

290. 2° Jurisdictio ecclesiastica, in iis solis residet qui illam per vias canonicas receperunt, sive accipiendo *officium*, et talis jurisdictio est *ordinaria;* sive per delegationem ab habente officium datam, et talis jurisdictio dicitur *delegata*.

Qui sinè missione canonicâ, ex propriâ audaciâ, vel ex mandato Principis sæcularis, invadunt potestatem ecclesiasticam, dicuntur *intrusi*. Illis applicanda sunt verba Christi (Joann., c. 10, v. 1) : « Qui non intrat per ostium » in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est et » latro » Illorum actus sunt pleno jure irriti. V. Brev. Pii VI, 13 apr. 1791. Exponendæ sunt igitur viæ legitimæ ad adipiscendam jurisdictionem; sit ergo :

CAPUT II.

DE ACQUISITIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

291. Datis quibusdam notionibus circa titulum et ipsius necessitatem, dicemus : 1° de adeptione jurisdictionis de-

legatæ; 2° de adeptione jurisdictionis ordinariæ : unde tres erunt articuli :

ART. I.

DE TITULO ET IPSIUS NECESSITATE.

292. Titulus in genere est actus quo confertur potestas peragendi munia ecclesiastica :

Titulus est *verus* aut *falsus : verus* est qui nullo laborat vitio : porrò ut verus sit, tria requiruntur : 1° concedentis libera potestas, 2° recipientis habilitas, 3° debita forma in actu concessionis.

Falsus est ille qui laborat vitio circa unum ex tribus modò indicatis. Dicitur etiam *putativus* relativè ad eos qui ignorantes vitium legitimum reputant.

293. Titulus falsus potest esse vel *fictus*, vel *coloratus*, ve *simpliciter nullus*.

Fictus est ille qui non fuit concessus à superiore, vel non pro casu, aut loco, aut tempore, vel denique pro personâ de quibus agitur.

Coloratus est ille qui fuit concessus à legitimo superiore et *de se* esset aptus ad jurisdictionem conferendam, si non irritaretur propter defectum occultum; porrò ille defectus occultus potest contingere: 1° in *concedente*, v. g. si ignoraretur mors Episcopi, ipsius Vicarius Generalis haberet titulum coloratum tantùm; 2° in *recipiente*, sive aliquod vitium præcesserit, v. g. irregularitas occulta, vel excommunicatio, sive titulo suo sit spoliatus et id ignoretur; 3° in *actu*, ut si intercesserit simonia occulta, ratione cujus actus sit irritus.

Simpliciter nullus est, vel qui fuit concessus à superiore ad quem non pertinet concedere, v. g. ab Archiepiscopo extra casus in quibus ipsi tribuitur facultas supplendi negligentiam suffraganeorum; vel si fuerit concessus ab eo ad quem pertinet concedere, et laborat vitio manifesto. Non tamen requiritur ut omnes incolæ noverint vitium, sed sufficit si multi cognoscant.

294. Quærit. 1° Utrum aliquando sufficiens sit titulus falsus?

Respond. Ubi deest titulus verus, sufficit *falsus* seu *putativus*, ad exercendam validè jurisdictionem tam delegatam quàm ordinariam in utroque foro externo et interno; modo 1° existat error *communis* et *probabilis* circa vitium tituli; 2° ejus sit naturæ vitium cui Ecclesia mederi possit; 3° titulus sit saltem *coloratus*.

Probatur responsio ex l. *Barbarius, ff. de Offic. Prætor.*: « Qui textus, etsi civilis, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 572), » tamen cùm non sit reprobatus à jure canonico vim habet » etiam in illo, ut habetur in cap. 1, *de Nov. op. nunt...*
» Probatur etiam ex cap. *Infamis*, 3, q. 7, ubi dicitur: « Si *Servus* (qui est incapax jurisdictionis) *dum putaretur* » *liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis posteà in* » *servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ* » *firmitatem tenet.* Ratio, quia ex benignâ interpretatione » præsumitur eo casu pia mater Ecclesia ad bonum ani- » marum supplere jurisdictionem. »

Dicitur 1°: *Ad exercendam validè*, quia non semper est sufficiens ad exercendam licitè, præsertim in eo qui non ignorat sui tituli vitium, nisi in casu necessitatis.

295. Dicitur 2°: Jurisdictionem *tàm delegatam quàm ordinariam*. Quidam DD. putârunt titulum putativum sufficere cum errore communi ad exercendam jurisdictionem *ordinariam*, non verò *delegatam*; quia bonum commune non exigit, inquiunt, quòd suppleatur jurisdictio in casu delegationis, quæ non respicit nisi unum vel alterum casum; sed, inquit Sanchez (*de Matr.*, disp. 22, n° 16): « Sententia multò pro- » babilior, docet valere gesta, sive judex sit ordinarius sive » delegatus. Probatur ex cap. *Infamis* (modò relato)....Ubi » apertè sermo est de judice delegato. »

Ad argumentum adversariorum respondetur, cum eodem (*ib.*, n° 20), quòd in casu jurisdictionis delegatæ, « agitur » de utilitate publicâ, licet intersit unius tantùm, quia » interest Reipublicæ cuilibet justitiam ministrari. »

296. Dicitur 3°: *In utroque foro externo* et *interno*: Quidam dubitaverunt de foro interno, ut videre est ap. eumdem

Sanchez (*ib.*, n. 12 et 55); sed meritò ipsemet Sanchez, cum innumeris aliis, propositionem tuetur tàm pro *interno* quàm pro *externo:* « Quia, inquit, eadem et majora incon- » venientia, et scandala sequuntur, si gesta in foro *interno* » nulla éssent, ac si gesta in foro externo, » et quod valet pro foro externo, valet et pro interno, nisi sit ratio secus decidendi.

297. Dicitur 4° : *Modò existat error communis,* et *probabilis circa vitium tituli.* Illud constat ex leg. *Barbarius* et can. *Infamis* supra citatis. Non sufficeret ergo error unius vel alterius, quia ex tali errore non sequuntur inconvenientia et scandala, quibus voluit occurrere jus, quando error esset communis; unde sufficiens non esset error solius concedentis titulum existimantis illum cui concedit esse habilem. Referemus tamen infra decisionem S. Congr. Conc., quæ videtur contrarium supponere (4366).

298. « Non sufficit error communis si crassus vel supi- » nus sit (sed oportet esse probabilem), quia ille error » scientiæ æquiparatur, à c. 2, *de Constit.*, in 6° : ut si in eo » oppido publicè aliquis damnatus esset, vel denuntiatus » de aliquo impedimento, ob quod esset incapax officii » illius. » (Sanchez, *ib.*, n° 8.)

299. In casu modò à Sanchez allato, videtur agi de errore juris quo ignoratur an quis, propter defectum aliquem, inhabilis fiat ; porrò plures exigunt quòd error communis legitimans titulum putativum, sit error probabilis *facti* juxta regulam juris, 13, in 6° : « *ignorantia facti, non* » *juris excusat.* » V. Lequeux, n° 69, v° *Plures ; Prælect. S. Sulpitii*, n°ˢ 256-258. Secus opinatur D. Bouix, *de Judiciis* (p. 133, t. 1), ubi asserit Ecclesiam supplere jurisdictionem in casu erroris communis juris.

300. Sufficit quòd error sit communis in loco ubi actus gestus fuit, quamvis in alio notorius esset, modò ita sit distans hic locus, ut verisimiliter notitia non potuerit venire ad locum ubi actus peractus fuit (Sanch., *ib.*, n° 9).—Imò etiamsi notorius fuisset olim in loco ubi peractus fuit, si tantum temporis spatium intercessisset ut jam ab homi-

num memoriâ lapsus esset, talis error communis sufficiens esset (Sanch., *ib.*, n° 10).

301. Juxta sententiam probabiliorem, contra Fagnanum et alios, sufficit error communis, etiam respectu scientium vitium tituli, quia leges non considerant quæ in particulari casu contingunt, sed communiter accidentia (Sanch., *ib.*, n° 42). Attamen, inquit idem auctor (n° 45), sic gesta retractanda sunt in odium illius scientis, quando ipse deliquit adeundo talem judicem. Imò si ageretur de tribunali pœnitentiæ, confessio esset nulla defectu dispositionis requisitæ (n° 46); secus si non esset in culpâ pœnitens sic se confitendo non ignorans confessarium carere legitimo titulo; ad talem enim confessarium recurrere aliquando ei licet, quando nempè est suus parochus, et non habet alium cui possit confiteri, absolvique indiget. Ita Sanch. (*ib.*, n° 46); vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 260, II.

302. Dicitur 3° : *ejus naturæ sit vitium cui Ecclesia mederi possit.* Quidquid senserint nonnulli à Sanchez citati (*ib.* n° 21), error communis non præbet jurisdictionem nisi ejus naturæ sit vitium tituli, cui Ecclesia mederi possit; porrò non potest mederi vitio juris naturalis aut divini. Undè rationis usu carens, quantumvis sanæ mentis existimetur, ejus acta erunt irrita; si audiens confessiones non sit sacerdos, absolutio erit semper nulla; et « contraria » opinio, ait Sanchez (*ib.*, n° 27), est prorsus à veritate » aliena [1]. »

303. Dicitur 5° *titulus sit saltem coloratus.* « Benè advertit Sanchez, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 572), quòd.... » non sufficit titulus fictus, sed requiritur titulus, qui licet » sit tantùm putativus (quia fortè est ex aliquâ causâ invalidus), tamen sit reverà collatus à legitimo superiore,

[1] « Jason infert, de l. *Barbarius*, n° 64, valere gesta per feminam » errore communi ad summum Pontificatum provectam; et refert » Baldum.., sed Baldus non ita generaliter loquitur : ait enim valere gesta » temporaliter, non autem spiritualiter per Pontificem ineligibilem. » Sanch. (*ib.* n° 21), qui addit (n° 28) : « Non esse verum quod asseruit » Jason... cùm femina jure divino sit incapax Pontificatûs. »

» etsi huic vetitum sit aliundè illum conferre. » Porrò talis titulus, ubi error est communis, est titulus *coloratus.*

Hinc 1° : Si mors Episcopi adhuc ignoretur, perseverant facultates Vicarii Generalis, quia cognoscitur titulus indefinitè perseverans, ignoratur verò ipsius extinctio. Ita judicavit Rota Romana (Lequeux, 149).

2° Valeret, v. g. Matrimonium si licentia sacerdoti data consensum recipiendi, occultè fuisset revocata, stante communi revocationis ignorantiâ (Sanch., *ib.*, n° 61).

304. — 3° Si error sit de personâ delegantis quia errore communi existimatur verus Prælatus, cùm tamen sit absque superioris auctoritate intrusus, gesta per delegatum sunt irrita, juxta Sanchez (*ib.*, n° 51); sed vide infra dicenda (305).

4° Si peccetur in electionis formâ, eò quòd solemnitas jure præscripta, omittatur in electione vel collatione, gesta per electum non valent : quia titulus deficit. Sanch. (*ib.*, 53). Vid. infra dicenda (305).

5° Si quis approbatus pro uno anno, eo elapso, putetur errore communi adhuc approbatus, dicit Sanchez (*ib.*, n° 58), valere absolutiones ab eo datas : sed meritò observat D. Carrière (*de Matrim.*, n° 135), in eo casu, non videri adesse *titulum coloratum*. Idem putant Collat. Andeg., 6ᵉ *confér. sur le sacrement de Pénit.*, p. 217 · et Pontas, v°. *Approbation*, c. 7. Vid. num. seq.

305. Controvertitur utrum hujusmodi *titulus coloratus* sit omninò necessarius. Plures dicunt sufficere errorem communem sinè titulo ; et hanc sententiam ut probabilem habet S. Liguor. (*ib.*), quia etiam in hoc casu præsumi potest Ecclesia, pro bono animarum, supplere jurisdictionem; contraria tamen sententia est *communior* juxta eumdem, et reverà l. *Barbarius* et cap. *Infamis* titulum coloratum supponunt.

306. Existimat S. Liguor., quòd, in casu gravis necessitatis vel magnæ utilitatis, confessarius possit uti hujusmodi probabili jurisdictione errore communi collatâ sine titulo; quia Ecclesia in tali casu necessitatis vel utilitatis censetur supplere jurisdictionem, ob praxim universalem confessariorum absolventium in hujusmodi circumstantiis

(*ib.* 573) ; a fortiori in eisdem circumstantiis licet uti titulo colorato (V. Lequeux, n° 150).

Refert Bened. XIV (*Inst.*, 84, n° 32) decisionem S. C., 11 decemb. 1683, pro casu particulari qui evenerat in diœcesi Patavinâ, ubi sine jurisdictione quidam sacerdotes exceperant confessiones : declaravit Congregatio *non esse inquietandos illos qui bonâ fide confessi fuerant : Attamen, si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.* Non adfuisse titulum coloratum in casu supponitur (V. Carrière, *de Matrim.*, 1327).

ART. II.

DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS DELEGATÆ.

Jam diximus jurisdictionem delegatam oriri posse tum ab homine tum à jure (283).

307. Quærit. 1° Quis possit delegare?

Resp. 1° Generatim quicumque habet ordinariam potestatem valet delegare. Illud constat ex l. *More*, ff. *de Jurisd.*, et ex regulâ juris 68, in 6°, ubi dicitur : « Potest quis per » alium quod potest facere per seipsum. »

308. — 2° Quoad delegatos : vel à Papâ delegati sunt vel ab aliis : si à Papâ vel à Sacris Congregationibus quis sit delegatus [1], subdelegare potest ex cap. *Pastoralis*, 28, *de Offic. Deleg.* « Delegato a Principe, jurisdictio seu » potestas dandi judicem sit a lege concessa. » Excipe 1° nisi præsumptio sit electam fuisse à principe seu à Papâ *industriam ipsius delegati* (cap. ultimum § *Is autem, de Offic. Jud. deleg.*). Quandonam autem censeatur *electam fuisse industriam personæ*, sic explicat Monacelli apud *Analecta Jur. pontif.* (27° livr., col. 863) : « 1° Quando ratione » confidentiæ committitur; 2° Quando conscientia onera- » tur; 3° Quando præstatio consilii requiritur in certo » actu ad tempus; 4° Quando mandatur negotium non » determinatum; 5° Quando delegatus esset datus ad partis » instantiam...; 6° Quando agitur de re et controversiâ, quæ

[1] Sic decisum fuit à S. Cong. Conc. juxta Ferrar., v° *Delegatus*, n° 88.

» ingenium et hominis peritiam respicit. » Dicit autem D. Bouix, censeri electam industriam si in rescripto dicatur : *per seipsum*, vel *personaliter*. Excipe 2°, nisi facultas delegata sit *nudum ministerium*, seu simplex executio, ut quando datur Officiali potestas dispensandi in matrimoniis vel aliis. Attamen etiam in hoc casu, potest Officialis subdelegare informationem et testium receptionem supra quæstionem *an preces veritate nitantur;* c. *Quoniam*, 43, *de Off. Jud. deleg.* (Carrière, *de Matrim.*, n° 1165 et *Prælect. S. Sulpitii*, n° 269, II.

309. Quoad delegatos ab aliis quam a Papâ et Sacris Congregationibus, si sint delegati *ad universitatem causarum*, ipsi possunt subdelegare juxta communissimam sententiam quæ nititur leg. 1, § *Ab eo*, ff. *Quis et a quo*, Vid. Sanch. (*de Matrim.*, lib. 3, disp. 31, n° 2). Hîc tamen notanda est restrictio apposita à S. Liguorio in additione ad Elenchum quæst. retractatarum, ubi dicit : « Quær. IV an
» delegatus Principis, vel Delegatus *ad universitatem cau-*
» *sarum* possit subdelegare? Affirmatur lib. 1, n° 193; sed
» hoc est limitandum juxta id quod dicitur lib. 6, n° 559;
» nempe hoc intelligi cùm delegatio facta est tanquam per
» officium, aut cùm delegatur alicui jurisdictio, uti privi-
» legium, perpetuò suo officio sive dignitati annexum. »

310. Si verò delegati sint *particulares* seu ad certas causas tantùm, non possunt subdelegare, nisi eis a delegante fuerit concessum, quod ultra tunc extendi non debet ex cap. *Cùm causam*, 62, *de Appell.*, ubi dicitur : « Nonnisi » delegatus à Principe causam alii valet delegare. » V. *Prælect. S. Sulpitii* n° 267.

311. Ex notione superius datâ (281) Delegati *ad universitatem causarum*, ut tales habendi videntur Decani rurales et presbyteri in pluribus diœcesibus vocati *Archiprêtres cantonaux*, quibus, modo collectivo, certum causarum genus committitur, v. g., dispensandi in toto aliquo districtu super unius aut duorum bannorum promulgatione, aut quædam alia peragendi. Proindè isti videntur posse subdelegare unam vel alteram causam, non verò omnes causas, quæ accidere poterunt. Aliter tamen sentit

D. Lequeux, nº 71 et 392, sed nescimus quo solido fundamento nitatur.

D. verò Bouix (*de Judiciis*, t. 1, p. 146.) non habet ut certum quòd delegatus *ad universitatem causarum* possit subdelegare. Unde juxta ipsum « tutò non videtur agere » delegatus ab Ordinario non Principe, etiamsi universale » aliquod genus causarum commissionem acceperit, si » alteri subdeleget : *nisi certò constet de legitimâ quoad re-* » *gionem consuetudine;* » sed juxta S. Liguor., lib., 6 nº 573, licet uti, cum causâ rationabili, jurisdictione verè probabili. Sacra autem Cong. Concilii, 22 jun. 1839, decrevisse videtur contra opinionem D. Bouix. Vid. *Analecta* janv. 1856, col. 1879.

312. Nec superior ordinarius, nec delegati *ad universitatem causarum* qui habentur ut *Quasi Ordinarii*, possunt, inconsulto Principe, totam suam jurisdictionem alteri committere. Ita communiter ; quia, inquit Reiffenstuel (lib. 1, tit. 29, nº 56), loquendo de Judice ordinario : « Judex inferior principe non potest, propriâ auctoritate » loco sui, alium Judicem ordinarium constituere. »

« Quamvis delegatus ad causam particularem inferior » principe non possit subdelegare articulum aliquem » jurisdictionalem, potest nihilominus is subdelegare arti- » culum non jurisdictionalem : ex. causâ, informationem » aliquam committere. » Desumitur ex c. *Super quæstionem*, § *Nos autem de Offic. Jud. deleg.* V. Reiffenstuel, *ib.*, nº 63.

313. Quærit. 2º Quibusnam jurisdictio deleganda sit?

Resp. Iis solis qui immunes sunt à vitiis quæ excludunt à jurisdictione et habent dotes ad eam possidendam requisitas, deleganda est jurisdictio.

314. Porrò 1º : Vitia quæ excludunt, vel sunt à *naturâ*, ut defectus rationis ; vel a *lege*, ut excommunicatio non tolerata (S. Lig., lib. 7, nº 185). Si sit tolerata, inhabilem quidem reddit ad officia secundùm *veriorem* sententiam (*ibid.*, 185); sed non privat valido usu jurisdictionis in favorem eorum qui ad tales excommunicatos toleratos recurrunt (*ib.* 185). Controvertitur autem an irregularitas, etiam denuntiata, reddat inhabilem ad officia ecclesiastica (S. Li-

guor., lib. 7, nº 343); vid. infr. (1754, etc.). Vel à *moribus seu* consuetudine, ut feminæ et laici, cap. *Decernimus*, 2, *de Judiciis* : « Decernimus ut laici ecclesiastica tractare » negotia non præsumant. »

315. Quoad *dotes*, aliæ requiruntur in omni delegatione, aliæ in quibusdam tantùm... Præter solertiam, discretionem, etc., jam diximus ex laudato cap. *Decernimus* quòd omnis delegandus à Judice ecclesiastico debeat esse *clericus* : « Episcopi aliique Prælati Papâ inferiores non pos» sunt laico delegare causam aliquam spiritualem vel crimi» nalem clericorum... Est communis. » (Reiffenst., lib. 1, tit. 29, nº 88.)

316. An autem laico possit Episcopus causam temporalem alicujus clerici judicialiter cognoscendam delegare, controvertitur : Glossa in cap. *Decernimus* affirmat : contrarium verò putat probabiliùs Reiffenstuel cum quibusdam aliis (*ib.*, 89); et hoc conformiùs videtur cap. 1, *Significasti* 18, *de Foro compet.*, in quo Gregor. IX dicit : « Cle« rici in judicem non suum (nisi fortè sit persona eccle» siastica, et Episcopi diœcesani voluntas accedat) con» sentire non possunt. » Sed cap. *Decernimus* favere videtur sententiæ Glossæ dicendo : « Episcopi... de nego» tiis ecclesiasticis (*maximè* de illis quæ *spiritualia* esse » noscuntur) laicorum judicio non disponant. »

317. Non solùm causas temporales clericorum potest S. Pontifex delegare laicis, sed etiam quasdam spirituales, propter plenitudinem potestatis in eo residentis (vide cap. *Hadrianus*, et can. *In synodo*, dist., 63, ac can. *Illud*, q. 3). « Quâ ratione defenduntur à nonnullis privilegia Regis » Francorum pro conferendis beneficiis regni sui, et pri» vilegium Reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus » casibus contra clericos... si tamen hæc privilegia exis» tant. » Ita Reiffenst., *ib.*, nº 92.

Rescripta quæ privilegia hujusmodi continent, pro nullis sunt habendi, nisi contineant clausulam *ex certâ scientiâ*, vel aliam juri consueto derogantem. Bouix, *de Judiciis*, t. 1, p. 149; vid. dicta supra (57).

318. Ut quis tanquam Judex valeat delegari a Sede Apostolicâ requiritur ut sit constitutus in Dignitate ecclesiasticâ aut in Personatu, v. g. sit vel Vicarius Generalis, vel Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, vel Prior Conventualis. Constat ex cap. *Statutum* 2, *de Rescriptis,* in 6°, ubi dicitur : « Sancimus, ut nullis nisi dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ de cætero committantur. » (Quid per Dignitatem aut Personatum sit intelligendum, vide infra (2184).

Item constat ex Clem. *Etsi Principalis* 2, *de Rescriptis :* « Etsi Principalis Officialis Episcopi, aut religiosus Conven- » tualem obtinens Prioratum, à Sede Apostolicâ valeat » dari legatus, in Officiali tamen Foraneo, aut *Priori Claus-* » *trali,* nequaquam hoc volumus observari. » Priores Conventuales sunt qui canonicè electi et confirmati præsunt monasterio, et sunt inamovibiles; dum Priores Claustrales sunt ii quibus Abbates committunt partem administrationis et ab ipsis possunt revocari.

319. Nomine *Prioris Conventualis* veniunt etiam Præpositi, Rectores, Guardiani aliique omnes, quocumque nomine nuncupentur, Superiores Conventuales regularium (Bouix, *de Judiciis*, t. 1, p. 48).

320. Quærit. 3° Qualis debeat esse actus delegationis *ab homine ?*

Resp. 1° Vel facultas delegata necessaria est ad valorem actûs, prout v. g, jurisdictio et approbatio pro impertiendâ absolutione, aut licentia a parocho vel Ordinario concedenda sacerdoti in cujus præsentiâ celebrandum est matrimonium; vel illa facultas delegata requiritur tantùm pro actûs liceitate; sicut v. g. in administratione baptismi vel aliorum sacramentorum præter pœnitentiam et matrimonium.

321. In primo casu, actus delegationis debet esse *positivus*, id est expressus, vel saltem ita præsumptus ut quibusdam signis indicetur consensus de *præsenti :* quare, inquit S. Liguor., consensus merè internus non sufficit ex communi, lib. 6, 570, pro Pœnitentiâ et n° 1088, pro

Matrimonio [1] : Ratio est quia aliter actus esset invalidus utpote carens conditione necessariò requisitâ ad ipsius existentiam : futurus enim consensus non dat jurisdictionem pro præsenti tempore. Actus autem *positivus* delegationis pro Matrimonio potest includi in generali delegatione (Reiffenst., lib. 4, tit. 3, n° 84 et 85). Sed quandonam adsit generalis delegatio, judicandum ex circumstantiis : v. g. si parochus discedens committat alicui administrationem sacramentorum, censetur comprehendere Matrimonium : secus si præsens permittat alicui dare sacramenta in parochiâ ; ordinariè tunc censebitur loqui tantùm de Pœnitentiâ et Extremâ Unctione. Lequeux, n° 172, in fine ; Carrière, *de Matrim.*, n° 1333.

322. In secundo casu, sufficit licentia rationabiliter præsumpta vel ratihabitio rationabiliter sperata : ita S. Liguor. tenet ut probabilius, pro Baptismo, lib. 6, n° 11 ; pro confirmatione, n° 173 ; et pro Eucharistiâ ministrandâ, n° 235 ; *probabiliter* pro Extremâ Unctione, n° 722 ; Verius tamen ratihabitio sperata non sufficit pro conferendis ordinibus, quia Concil. Trident. exigit licentiam expressam (Sess. 14, cap. 2) ; sed probabile est quòd sufficiat ratihabitio vel licentia præsumpta de præsenti, n° 789. Vide Lequeux, n° 671.

323. Resp. 2° Actus delegationis pluribus aliis dotibus pollere debet : 1° A Delegante intimari debet delegato : non enim aliter delegans consentire videtur. 2° Acceptari debet saltem implicitè, sicut donatio : *implicitè* acceptatur si delegandus miserit nuntium vel litteras ad delegantem, tunc enim, etiam nondum accepto responso, acceptatur implicitè delegatio : videtur tamen parum prudens agere ante receptionem facultatum, nisi urgeant circumstantiæ.

In dubio autem utrum delegatio præcesserit actum pro quo postulata fuit licentia, præsumi potest delegationem præcessisse, si eodem die, utraque peracta sunt ; quia in

[1] Sufficit verò merè externus (S. Liguor. 545, 1088). Vitium enim tituli in hoc casu latet et communiter ignorari debet, proinde jurisdictionem supplet Ecclesia (Sanch., *ibid.*, disp. 22, n° 64).

dubio, pro valore actûs præsumendum est (Sanch., *de Matr.*, lib. 3, disp. 35, n° 19).

324. 3° Debet esse *liber*: unde si non adesset advertentia, vel si actus esset patenter contra omnem voluntatem, nulla esset delegatio; sed si metu, etiam gravi et injusto, obtineretur, non ideò invalida esset, « quia *verius* » *est* jurisdictionem metu extortam validè transferri; » inquit Sanch. (*ib.*, disp. 39, n° 13). Imò valida esset delegatio, etiamsi dolo obtineretur; si dolus non esset causa finalis, sed solùm impulsiva concessionis prout semper evenit in matrimonio juxta Sanch. *ib.*, n° 14 : quia concedens non vult eam esse irritam ex petitione falsum continente, ne contingat matrimonium esse irritum. S. Liguor., lib. 6, n° 1088.

325. — 4° Minimè requiritur ut actus delegationis scriptis consignetur, nisi in casibus à jure expressis.

De delegationibus à jure concessis agetur in decursu, prout occasio se dederit: v. g. loquendo de facultate omnibus sacerdotibus concessâ absolvendi à quibusvis peccatis et censuris in articulo mortis.

326. *Nota* quoad usum jurisdictionis delegatæ necessarium esse ut delegatus indicet actum à se peragi auctoritate delegantis; quia si secus fiat, de legitimitate aut etiam sæpe validitate dubitari poterit cum perturbatione animarum. Hanc expressionem prescribunt sæpe SS. Pontifices, præsertim in indultis facultatum pro dispensationibus matrimonialibus. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 271.

ART. III.

DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ.

§ I.

De constitutione officiorum quibus annexa est jurisdictio Ecclesiastica.

327. Quærit. 1°. Quo jure annectatur jurisdictio officiis ecclesiasticis?

Resp. Certum esse jurisdictionem super universalem

Ecclesiam obvenire immediatè à Christo ei, qui eligitur in Summum Pontificem; statim enim ac canonicè est electus à Cardinalibus, sinè aliquâ aliâ institutione, confirmatione aut collatione, non à Cardinalibus, qui talem non habent jurisdictionem, sed à Christo, Papa universalem jurisdictionem obtinet. In hoc consentiunt catholici omnes.

328. Quoad Episcopos, non ita concordes sunt, ità ut diù et acriter agitata quæstio in Concilio Tridentino, utrum immediate à Deo, vel mediate tantùm jurisdictionem haberent in suis diœcesibus, tandem indecisa remansit. Vide infrà (868-872).

« Particularis autem jurisdictio in aliquam diœcesim, » an Episcopo derivetur immediatè à Christo, inquit Bouix » (*de Parocho*, p. 104), an verò à Romano Pontifice, est » quæstio disputata. » — Attamen « adhuc hoc sensu divinæ » institutionis dici posset.... quòd Christus ipse statuerit, » ut ad gubernandas singulas diœceses Romanus Pontifex » deberet regulariter Episcopos deputare. » Vide infra (872).

329. Quidquid sit de controversiâ circa modum quo jurisdictio ad Episcopos pervenit, ipsimet patroni sententiæ tenentis illam immediatè à Christo ipsis derivari, exigunt: « Tanquam essentialis conditio, ut *debito modo* » aliquis in primum pastorem designetur, ut *determine-* » *tur* grex ab eo pascendus; ut *designetur* materia circa » quam *exerceri* debet ejus auctoritas; ut *conferatur* titu- » lus..... Hâc conditione positâ, inquiunt, Electus desi- » gnatus, à Christo potestatem rectoriam accipit, exer- » cendam tamen, ex ipsâ Christi institutione, cum reverentiâ » et obedientiâ erga S. Sedem. » Ita Lequeux, n° 75.

330. Quoad parochos, fuit doctrina Scholæ Parisiensis, parochos esse successores 72 discipulorum; et ab ipso Christo immediatè obtinere potestatem functiones hierarchicas exercendi: huic doctrinæ, anno 1408, Fr. Gorel, et anno 1429, F. Sarrazin subscribere compulsi sunt à Sorbonnâ; non eo sensu tamen quòd curati sint instituti à Christo eo ritu quem nunc servat Ecclesia, sed, inquit Bossuetius (*Def.* lib. 8, c. 14): « Ut ille ordo sit in Eccle- » siâ necessarius, et secundo loco sub Episcopis, jurisdic-

» tionem exerceat, quam.... non ab alio quàm à Christo, » secundùm canones et præscripta Episcoporum, exercen- » dam accipiat. »

Hæc autem opinio, ut dicemus infra (1295-1299) non solido nititur fundamento. 72 enim discipuli non erant parochi, imò nec sacerdotes; et, nedum Ecclesia habuerit parochos tanquam ordinem in ipsâ necessarium, per plura sæcula ipsi è contra omninò incogniti fuêre; in quarto tantùm sæculo existere cœperunt in ecclesiis ruralibus; in urbibus verò, ubi Episcopi sedebant, nulli instituti fuêre ante annum 1000. Sed in eis, prout opus erat, ipsimet Episcopi, per se aut per delegatos ab ipsis revocabiles, functiones parochiales exercebant. « Dandi quidem baptis- » mi, inquit Tertullianus (*de Baptism.*, c. 17), jus habet » Summus Sacerdos, qui est Episcopus; dein Presbyteri, » et Diaconi, *non tamen sinè Episcopi auctoritate.* » V. Bouix, *de Parochis*, pars 1, sect. 1, cap. 3, 4, 5 et 6, et infrà dicenda (1295, etc.).

331. Alia officia sunt certò institutionis ecclesiasticæ: nulli enim sunt, si Papam excipias, qui jure divino sint aliis Co-Episcopis superiores. Undè quòd sint Patriarchæ, Exarchæ, Primates, Archiepiscopi, etc., hoc tantùm ab autoritate Ecclesiæ procedit.

332. Quærit. 2°. Quinam in Ecclesiâ possint instituere officia Ecclesiastica?

Resp. Primordiis Ecclesiæ non solùm Petrus, sed cæteri etiam Apostoli sedes episcopales instituebant, ut colligi potest ex verbis S. Pauli ad Titum, cap. 1, v. 5. Universalis autem potestas singulis Apostolis à Christo tributa, transmissa non fuit ad eorum in Episcopatu successores; sed sola potestas Petri, utpote ordinaria, ad ipsius successores seu Summos Pontifices, debuit transire. Undè defunctis Apostolis, nullibi institui potuerunt Sedes Episcopales, Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, etc., sine consensu Papæ vel expresso, vel saltem generaliter dato per legem aut consuetudinem ab ipso sufficienter approbatam. Exhinc, nemine reclamante, in suâ Epistolâ ad Decent. Eugubin., S. Innocentius I scribebat: « Præser

» tim, cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, » Hispanias, Africam atque Siciliam, Insulasque adja» centes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos vene» rabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt sacer» dotes. » V. Devoti, lib. 1, tit. 5, sect. 1, § 5. Sic omnes Sedes Patriarchales à Sanctâ Sede constitutæ fuêre : « Nihil » Alexandriæ Sedi, inquiebat S. Leo (*Epist.* 104 *ad Anatol.*, c. 5), ejus quam per S. Marcum Evangelistam » B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis.... Antio» chena quoque Ecclesia, in quâ primùm, prædicante » Beato Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, » in paternæ constitutionis *ordine* perseveret, et in *tertio* » *gradu* collocata, nunquam se fiat inferior. » (*Trad. des Evêques*, t. 1, p. 5, etc.) Quoad Ecclesiam Constantinopolitanam: ut patriarchalis haberetur, necessarium duxerunt Patres Concilii Chalcedonensis scribere ad S. Pontificem S. Leonem, qui tamen noluit ut talem agnoscere, et reverà talis non fuit recognita, nisi tempore Concilii Lateran. IV ab Innocentio III (*ibid.*, p. 20-34). Vide etiam D. Bouix, *de Episcopo*, t. 1, p. 426. Non indè tamen inferendum est quòd, etiam primis Ecclesiæ sæculis, Sedes Episcopales fuerint semper immediatè institutæ à Romano Pontifice; nam, inquit Card. Soglia, ex Natali Alexandro: « Ab incunabulis Ecclesiæ ad sæculum VI novi erigeban» tur episcopatus à synodis provincialibus, consentiente » Metropolitano, postulante Episcopo vel annuente, ad » cujus diœcesim pertinebat Ecclesia in quâ Sedes » episcopalis collocabatur. Id ex canone Concilii 15 Afri» cani compertum est, et ex facto S. Augustini, qui, » Fussalensi Castello, millibus 40 ab Hippone sejuncto, » Episcopum ordinari curavit à Primate Numidiæ, Romano » Pontifice inconsulto, ut constat ex ipsius Augustini epis» tolâ 261. » (*Inst. Jur. publ.*, p. 223): Et reverà P. Thomassinus sentit cum Natali Alexandro: « *Maximè antè* » *sæculum sextum non semper accessisse Romani Pontificis* » *expressum* consensum in novorum Episcopatuum erec» tione. *De nov. et vet. discipl.*, pars 1, l. 1, c. 54. »

333. Poterant ergo novi Episcopatus creari à Conciliis

Provinciæ modò servarentur leges ecclesiasticæ à S. Pontifice sancitæ vel approbatæ : cùm verò in iis servandis minus religiosi fuissent Antistites Africani, Episcopos etiam in exiguis pagis creando, illos de hoc redarguit S. Leo, epistolâ 87, jussitque minutulos hujusmodi Episcopatus, cùm deinceps vacarent, omninò supprimi.

In Ecclesiâ Orientali erigendorum Episcopatuum tota cura ac sollicitudo concredita fuit Patriarchis (Card. Soglia, *ibid.*).

334. A sexto verò sæculo, in Ecclesiâ Latinâ, Episcopatus non fuerunt erecti sinè Sedis Apostolicæ expressâ auctoritate (*ibid*).

Sic, octavo sæculo, S. Gregorius II ad S. Bonifacium scribebat : « Præcipimus, ut secundùm canonum statuta, » ubi multitudo excrevit fidelium, *ex vigore Apostolicæ* » *Sedis*, debeatis ordinare Episcopos. »

« Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias, » inquit S. Bernardus (Epist. 131), singulari prærogativâ » Apostolicæ Sedi donata est... Potest, si utile judicaverit, » novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerint. » Potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, » prout ratio sibi dictaverit; ita ut de Episcopis creare Ar- » chiepiscopos liceat, et è converso, si necesse visum » fuerit. » V. ap. Soglia, *Inst. jur. publ.*, p. 228.

Ad Summum ergo Pontificem duntaxat hodie pertinet, in Ecclesiâ saltem Latinâ, creare novos Episcopatus. A fortiori ad Summum Pontificem pertinet omnia etiam alia officia instituere.

335. « Tenent quidam canonistæ posse Episcopum, » semel erecto à Papâ Capitulo, novos canonicatus et Dig- » nitates usitatas tantùm, erigere : at erectionem ipsam » Capituli ab Episcopo fieri posse negant omnes, » inquit Bouix, *de Capitulis*, p. 212, ubi pluribus id probat.

336. Quoad parochias certum est illas posse ab Episcopis institui, positis tamen quibusdam conditionibus. Quænam verò sint illæ conditiones, illud pendet à modo erectionis, quæ tripliciter præsertim fieri potest; *Creationis* nempe, *Dismembrationis* et *Unionis*.

337. Eriguntur parœciæ: 1° per viam *Creationis* quando non ex portione, vel portionibus parochiarum jam existentium efformantur, sed ex populo vel territorio nondum ulli parochiæ adscripto, sicut contingit in *partibus infidelium* aut sicut evenit in Galliâ, statim post Concordatum anni 1801, suppressis per Bullam *Qui Christi*, aut per alios Card. Legati actus subsequentes omnibus veteribus parœciis;

2° Per viam *Dismembrationis* quando ex unâ vel pluribus parochiis jam existentibus, aliquæ partes distrahuntur ut efformentur novæ parochiæ;

3° Per viam tandem *Unionis* quando plures parochiæ, vel plura beneficia ad unam parochiam aliquatenus novam reducuntur. De singulis hujusmodi parochiarum erectionibus est hîc seorsim disserendum.

I

DE ERECTIONE PAROCHIARUM PER VIAM CREATIONIS.

338. Nihil speciale dicendum est de hoc modo parochias erigendi, nisi quòd, jure communi, debeat Episcopus providere, in quantùm fieri potest, de sufficienti parochi sustentatione: duo tamen sunt hic expendenda.

339. Quærit. 1° Quomodo in Galliâ parochiæ sint erigendæ?

Resp. Ex articulo 9 Concordati 1801, suam partem Gubernium habere debet in erectione novarum parochiarum; hic est enim tenor hujusce articuli 9: « Episcopi in suâ » quisque diœcesi, novas parœcias circumscribent: quæ » circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi post» quam Gubernii consensus accesserit. »

In Galliâ parochiæ distinguuntur in *curatas* (cures) seu propriè dictas, quarum titulares inamovibiles sunt; et *succursales* quæ à propriè dictis in hoc tantùm quoad potestatem spiritualem differunt, quòd ipsarum titulares possint revocari; sunt insuper *cappellæ* quarum multæ vocantur *vicariales*, licet illarum titulares in multis saltem diœcesibus habeantur ut veri parochi, et omnes saltem essen-

tiales verorum parochorum habeant facultates; ab aliis qui desserviunt succursalibus non differunt nisi quantùm ad emolumenta à Gubernio præstita et quædam alia jura merè temporalia. Imò in pluribus locis, ut veri parochi etiam habentur qui Ecclesiis vulgò dictis *annexes* desserviunt quamvis nullum subsidium recipiant à Gubernio.

Sic autem Dieulin in suo opere *Guide des curés* (p. 808, 3e édit.) exponit formalitates observandas, ut à Gubernio obtineatur erectio parochiarum tam propriè dictarum quam succursalium :

« 1° Pour obtenir l'érection d'une succursale (et idem » est dicendum pro obtinendâ erectione parochiæ propriè » dictæ) il faut observer les formalités suivantes :

» Le Conseil municipal, s'il n'y a qu'une commune : » les conseils municipaux, s'il y en a plusieurs : ou les » principaux habitants, s'il n'y a qu'une section de » commune, conformément au décret du 31 mai 1804 et » à la circulaire ministérielle du 11 mars 1809, expriment » à l'Évêque et au Préfet le vœu de voir ériger leur Eglise » en succursale (*vel*, en cure).

» 2° Les pièces à fournir... au gouvernement à l'appui » de cette demande, sont : — Un procès-verbal de *com-* » *modo* et *incommodo* dressé par des commissaires nommés » par l'Évêque ; — Un certificat du Sous-Préfet faisant » connaître le nombre des habitants de la paroisse actuelle » et de la paroisse projetée ; —Un certificat de l'Ingénieur » ordinaire des ponts et chaussées qui établit la distance » de cette dernière à l'église de l'autre, et la difficulté des » communications ; — Un certificat du maire ou une déli» bération du Conseil municipal qui constate que la com» mune ou la section de commune qui veut être érigée en » succursale, possède un presbytère et un cimetière en » bon état ; que l'église est assez grande pour contenir la » population ; qu'elle est propre, pourvue des orne» ments, vases sacrés et autres objets nécessaires au culte, » ou qu'elle a des ressources pour y pourvoir de suite ; » —Les observations du conseil municipal et de la fabrique » de la paroisse dont il s'agit de détacher le territoire qui

» doit former la circonscription de la nouvelle succursale.

» 3° L'Évêque et le Préfet donnent leur avis, et le gou- » vernement prononce. » Attamen « C'est l'Évêque qui con- » fère le titre, parce que l'érection est un acte de juridic- » tion essentiellement spirituelle. »

Quoad formalitates pro erectione Cappellarum et Annexarum, cùm rariùs hujusmodi erectiones à Gubernio postulentur, remittimus ad eumdem Dieulin (*ibid.*, p. 810-814). Vide etiam DD. Affre : *Traité de l'administration temporelle*, p. 42, etc., 4ᵉ édit. — Evidens est quòd Ecclesia velut essentiales non habeat præfatas formalitates. Sufficit quòd Gubernium suum præbeat assensum quomodocumque illum præstet [1]. Pro formalitatibus ab Ecclesiâ requisitis, vide infra (348, etc.).

340. Quærit. 2° Utrum parochia cujus Rector est amovibilis possit ex solâ auctoritate Episcopi, sinè alterius interventu, mutari in parochiam cujus Rector inamovibilis sit, et vice versâ.

Resp. 1° In Galliâ certè requiritur ad hoc etiam consensus Gubernii. Si verò quæstio expendatur ex solo jure canonico : « est regula, inquit Bouix (*De Parocho*, p. 420), » apud Jurisperitos recepta, non posse beneficiorum natu- » ram, eorumque leges fundamentales ab Episcopo immu- » tari ; sed ad hoc Pontificiam requiri auctoritatem. Unde » beneficium quod semel tanquam *manuale* erectum est, » jam nequit ex Ordinarii decreto perpetuum fieri, nec » vice versâ. » Ita etiam auctor Analectorum juris pontificii (sept. 1855, col. 1645), ubi dicit Episcopos hanc immutationem non posse facere, nec per statutum generale, nec

[1] Circa formalitates à lege civili in Galliâ præscriptas pro erectione parochiarum sic habet idem DD. Affre, *ib.*, p. 38. « Un arrêt du Conseil d'État du 8 mars 1827 a décidé que l'omission des quelques-unes, ou même de toutes les formalités que nous venons d'indiquer, ne pouvaient invalider l'érection d'une succursale faite par Ordonnance du roi ; on ne peut, par conséquent, l'attaquer devant le Conseil d'État par la voie contentieuse, attendu que c'est un acte de juridiction gracieuse. » Secus de formalitatibus à jure canonico præscriptis, quarum omissio posset probabiliùs annullare erectionem aut dismembrationem. Vid. Bouix, *de Parocho*, p. 265, et S. Lig., lib. 4, n° 187, not. v

per particulare mandatum; et in probationem affert verba Gregorii XVI ad Episcopum Leodiensem, anno 1845 : ubi S. Pontifex prohibet *ne ulla immutatio fiat* (quoad parochias succursales), *donec aliter à Sede Apostolicâ statutum fuerit*. V. etiam Ferraris, v° *Beneficium*, art. 2, n° 17. Nihilominus, inquit D. Bouix, modo citatus (*ibid.*, p. 239) : « In Galliâ obtinuit usus, ut Episcopi, absque Sedis » Apostolicæ interventu, et cum solo Gubernii assensu... » succursales seu *manuales* parochias, in perpetuas trans- » mutent. Quæ praxis inde videtur inducta, quòd existi- » matum sit includi hanc potestatem in facultate, vi » Concordati anni 1801 ipsis tributâ, novas parochias, » assentiente Gubernio, erigendi et circumscribendi. » Vide supra (227).

II.

DE ERECTIONE PAROCHIARUM PER VIAM DISMEMBRATIONIS.

341. Quamvis ex cap. *Majoribus* 8, de *Præbendis*, prohibitum sit divisionem præbendarum facere, attamen, in quibusdam circumstantiis, Episcopi possunt, invitis etiam parochis, dismembrare parœcias ut novæ efformentur. Illud constat ex cap. *Ad audientiam*, *de ecclesiis ædificandis*, ubi Alexander III ait : « Ad audientiam nostram noveris per- » venisse quòd villa quæ dicitur H., tantùm perhibetur » ab ecclesiâ parochiali distare, ut tempore hyemali, cùm » pluviæ inundant, non possint parochiani, sine magnâ » difficultate, ipsam adire : unde non valent congruo » tempore ecclesiasticis officiis adesse. Quia igitur dicta » ecclesia dicitur redditibus abundare, quòd, præter illius » villæ proventus, minister illius convenienter valeat sus- » tentationem habere, mandamus quatenus, si res ita se » habet, ecclesiam ibi ædifices, et in eâ sacerdotem, » sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem Rec- » toris ecclesiæ majoris, cum canonico fundatoris assensu, » instituas, ad sustentationem suam ejusdem villæ obven- » tiones ecclesiasticas percepturum : providens tamen ut » competens in eâ honor, pro facultate loci, matrici

» ecclesiæ servetur... Si verò persona matricis ecclesiæ » virum idoneum præsentare distulerit, vel opus illud » voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad » perfectionem deduci, et virum bonum, appellationis » cessante diffugio, instituere non omittas. »

342. Innovata fuit præfata Constitutio Alexandri III a Concilio Trid., sess. 21, cap. 4, ubi legitur : « Episcopi, » *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati* (288), in omni- » bus ecclesiis parochialibus vel baptismalibusin quib » populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit » sufficere ecclesiasticis sacramentis administrandis, et » cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad » quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus ad- » jungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et » cultum divinum celebrandum. In iis verò in quibus ob » locorum *distantiam* sive *difficultatem*, parochiani sine » *magno incommodo* ad percipienda sacramenta et divina » officia audienda accedere non possunt, *novas parochias*, » *etiam invitis rectoribus*, juxta formam Constitutionis » Alexandri III, quæ incipit *Ad audientiam*, constituere » possint. Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt » ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assigne- » tur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam » matricem quomodocumque pertinentibus; et si necesse » fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quæ » sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam. »

343. Ut ergo novæ parochiæ per dismembrationem erigantur, plura sunt necessaria : et quidem, ante omnia, requiritur justa causa; nam ex cap. *Majoribus, de Præbendis,* divisio beneficiorum regulariter à jure prohibetur; et adhuc constat ex cap. *Ut nostrum,* cujus titulus ita exprimitur (187) : « Ut ecclesiastica beneficia sinè diminutione con- » ferantur. » Unde Fagnan., in cap. *Ad audientiam* n° 13, ait . « Regula est ut parochialis ecclesia in alterius paro- » chiâ ædificari non debeat (ut cap. *Ecclesiæ*, et cap. » *Quæcumque* 16, q. 1). » Exceptionem quidem habere potest illa regula; sed adesse debent causæ expressæ in cap. *Ad audientiam.*

344. Illæ causæ sunt distantia vel locorum difficultates, ex quibus evenit ut parochiani nequeant, sine magno incommodo, ad percipienda sacramenta vel divina officia audienda accedere. Ingens populi multitudo non est *per se* causa sufficiens (nisi fortè esset exorbitans, ut Parisiis recenter sub administratione RR. DD. Sibour, casus acciderat. V. D. Bouix, *De Parocho*, p. 255) : quippe propter populi multitudinem, ex Concilio Trident. supra relato, rectores solummodo sunt cogendi ad sibi adjungendos tot vicarios quot requirit parochiale ministerium.

345. « Regulariter loquendo, inquit D. Bouix, *De Pa-*
» *rocho*, p. 263, duo millia passuum habentur pro dis-
» tantiâ sufficienti... Sic annotatur in Thesauro resolutio-
» num (tom. anni 1800, p. 178) : quæ distantia..., ex
» communi canonistarum sententiâ, idonea æstimatur, si
» duplicis sit milliaris, ut docet.. Rota.. » « La Sacrée Con-
» grégation (du Concile) a jugé plus d'une fois que la
» distance de deux mille pas, et même de 1400 pas, était
» suffisante : » Ita *Analecta Jur. Pontif.* (1er livr., col. 441).

346. Ad Ordinarium quidem pertinet judicare de magno incommodo quod requirit Concil. Trident.; sed de ejus sententiâ potest appellare rector parochiæ dismembratæ, quamvis ipsius appellatio effectum non habeat suspensivum sed tantùm devolutivum.

Reverà dicitur in cap. *Ad audientiam : sublato appellationis obstaculo :* sed ex cap. *Pastoralis*, tit. 28, lib. 2 Decretalium, hoc non impedit quominus gravamen injustè incussum, per *superiorem possit emendari*. Ita communiter, ap. Fagnan. V. D. Bouix, *De Parocho*, p. 281 et infra (657).

347. Controverti potest utrum Episcopus ad dismembrationem parochiæ procedere valeat quando magnum quidem adest incommodum, sed illi occurri potest aliter quam per dismembrationem : v. g. construendo cappellam cui deputatus sacerdos inserviat : satis recepta sententia partem negantem propugnat (V. Ferraris, v° *Dismembratio*, n° 15). Validis tamen momentis eam impugnari posse asserit D. Bouix (*ibid.*, p. 261); imò Ferraris (*ibid.*, n° 37-

40), in gratiam partis affirmantis plures citat declarat. S. Congr. Concilii, quibus constat in hoc puncto S. Congr. à suâ veteri sententiâ recessisse.

348. Non tantùm justa causa requiritur ad parochiæ dismembrationem, sed multa alia observanda sunt :

1° Debet fieri processus ad verificandum utrum justa adsit causa novam erigendi parochiam. Sufficit accessus Ordinarii ad locum, illiusque inspectio (Bouix, *ibid.*, p. 265.)

2° Ut sufficiens sit numerus parochianorum novæ parochiæ adscribendorum.— Communior opinio requirit saltem decem familias (Bouix, *ibid.*, p. 266 ; Ferraris, v° *Parochia*, n° 13).

349. — 3° Citandus est dismembrandæ parochiæ rector, parochiani et alii quorum interest, ut dicant si quid opponendum habeant. Cap. 1, *de rebus non alien.*, in 6°, can. *Multis conciliis*, et can. *Felix*, etc., c. 16, q. 1 ; v. Ferraris, v° *Dismembratio*, n° 12. Nova tamen parochia potest erigi, invito rectore, ut dicitur in Concil. Trident. supra relato. Si autem ageretur de dismembratione parœciæ in quâ est parochus habitualis, iste et non vicarius citandus foret. V. D. Bouix, *ib.*, p. 268.

4° Extensio novæ parochiæ, saltem quoad assignationem familiarum, determinanda est ab Episcopo.

350.— 5° Requiritur Capituli consensus, saltem quando Episcopus procedit tanquam Ordinarius ; nam si procedat tanquam Delegatus S. Sedis, non indiget quidem consensu Capituli, si agatur de dismembratione parochiæ exemptæ; sed si agatur de parochiis non exemptis, etiam requiritur consensus Capituli, juxta communem sententiam, ex D. Bouix (*De Parocho*, p. 270); sed Analecta videntur generaliter negare hunc consensum requiri : « Le Pape n'étant pas » tenu de le faire (scilicet Capitulum consulere), ne semble- » t-il pas que son délégué n'y est pas astreint? » (1er livr. 1853, col. 411 et 412), vide infra dicenda (2401). Eadem Analecta (*ibid.*) citant Reiffenst. (lib. 3, tit. 12), qui ait: « Hoc tamen intellige cum Garciâ (part. 12, cap. 3, n° 11 » et 12) de dismembratione beneficiorum, quoad Eccle- » sias inferiores, quando Episcopus est auctor ipsius dis-

» membrationis : nam quando non Episcopus, sed rector » inferioris Ecclesiæ non habentis collegium, est auctor » dismembrationis, seu alienationis alterius rei Ecclesiæ, » tunc sufficit quòd rector alienet cum auctoritate solius » Episcopi. » Ideo enim requiritur consensus Capituli ad parochiæ dismembrationem, quia consideratur ut alienatio rei immobilis; porrò ad hujusmodi alienationem requiritur consensus Capituli vel Collegii, si Episcopus sit auctor alienationis, ut videri potest in cap. *Ut super* 8, § fin., *de reb. Eccles. non alienandis;* et can. *Placuit ut presbyteri* 12, q. 2.

351. Prædicta procedunt de jure communi : nam si alicubi exstaret consuetudo legitimè præscripta non consulendi capitulum, illa consuetudo posset observari. Ita communiter, inquit Reiffenst. (lib. 3, tit. 10, nº 26); et deducitur ex cap. *Non est* 3, *de Consuetudine*, in 6º, ubi dicitur : « Non est (dum tamen aliàs sit præscripta canonicè) » consuetudo quam allegat Episcopus reprobanda, quòd » in inquirendis.... subditorum excessibus consilium sui » Capituli requirere minimè teneatur. »

352.—6º Novæ parochiæ assignanda est dos competens ex quâ parochus convenienter sustentari valeat; et hoc quidem sive ex redditibus matricis ecclesiæ sive aliunde. Curandum etiam est ut rectori antiquæ seu matricis ecclesiæ remaneat conveniens sustentatio.

353. — 7º Quando ex redditibus matricis ecclesiæ dotatur nova parochia, reservari debet rectori antiquæ ecclesiæ jus patronatûs in noviter erectam ; insuper competens honor, pro facultate loci, matrici Ecclesiæ servandus est. Cap. *Ad audientiam*, ut supra (341).

In quibus consistere debeat ille honor : non exprimit cap. *Ad audientiam* : sat communiter olim erat pensio aliqua annuatim solvenda ab Ecclesiâ filiali Ecclesiæ matrici ; sed hoc hodiè communiter obsolevit. Vid. *Instit. jur. canon.*, R. de M., t. 2, p. 173.

354. — 8º Cùm, ex Concilio Tridentino (342), Episcopus possit procedere tanquam delegatus S. Sedis, utile erit (præsertim in dismembratione Ecclesiæ exemptæ), exprimere in decreto erectionis quòd ipse procedat utràque

potestate, ordinariâ scilicet et delegatâ; quanquam, si nihil exprimat, censeatur usus fuisse eâ quæ facit actum valere. Non posset autem Episcopus validè dismembrare parochiam exemptam potestate suâ ordinariâ, sed valet potestate delegatâ. Ita Fagnan., ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 279.

355. In Galliâ, vi Concordati, ut supradiximus (339), pro circumscriptione, ac proinde pro dismembratione parochiarum, requiritur gubernii assensus. Diximus *ibidem* quænam formalitates à lege civili sint tunc observandæ.

356. Quærit. 1° An Episcopo liceat partem parochiæ dismembrare ut alteri jam existenti adjungat?

Resp. Hic non agi de dismembratione fructuum parochiæ, quæ licet sit regulariter prohibita in cap. *Cùm causam, de Præbendis*, ubi dicitur: « Respondemus... quòd » nostræ intentionis non exstitit ut, pro integratione præ- » bendæ supradicti Canonici, præbenda de novo aliqua » scinderêtur, » attamen in certis casibus licitè etiam ab Episcopis fieri potest, ut patet ex Concil. Trident. (sess. 24, cap. 13): de tali dismembratione fusior sermo erit infra (3337-3360, 3393); sed quæstio est hic de dismembratione parochiæ quoad ipsius territorium, de quâ egimus n° 337 et à 341 usque huc; et respondetur quòd S. Carolus visus sit opinari quòd Episcopi, justis de causis, possint dictam dismembrationem operari: siquidem in secundâ parte constitutionum sui I Concilii Provincialis (*Acta Mediol.*, t. 1, p. 7), statuit ut quando « parochiales ecclesiæ partem habent sui » populi extra mœnia urbium vel oppidorum vel alibi, » quò fiat ut parochus, præsertim nocturno tempore, illis » hominibus sacramenta commodè administrare non possit, » in illis Episcopi, aut *eam partem commodiori parochiæ* » uniant, aut etiam... novas constituant parochias. » Eamdem sententiam amplectitur auctor *Prælect. S. Sulpitii* (566-568), ubi dictam dismembrationem Episcopis permittit ob malè dispositos fines parochiæ: in probationem adducit Concil. Trident. (sess. 24, cap. 13); sed nihil est in dicto capite quòd debeat intelligi de dismembratione parochiarum in sensu de quo nunc agimus, ut attentè

legenti patebit. Immeritò etiam ab ipso citatur Reiffenstuel qui etiam de solâ dismembratione fructuum loquitur in gratiam parochiæ ita pauperis ut sibi providere non valeat (Vid. lib. 3, tit. 12, n^is 24 et 28). Contra sententiam S. Caroli adest S. Congr. Concilii, quæ « die 12 aug. » 1628, teste Aldano, in *Compendio canonicar. resolut.*, » lib. 3, t. 8, nº 20, decrevit quòd dismembrare non liceat » à parochiâ sitâ extra muros civitatis partem parochia- » norum habitantium in civitate, sub prætextu quòd illis » non detur aditus de nocte, sed est constituenda cappella... » intra civitatem...; quo casu rector persolvere debet » mercedem vicario ob... impedimentum deputato. »

Iterum consulta eadem Congregatio : « An... quibus in » casibus ex decreto Concilii (sess. 21, cap. 4), potest Epis- » copus novas parochias erigere, possit etiam, loco erec- » tionis faciendæ, certam partem populi separare ab » antiquâ parochiâ, et alteri commodiori applicare, si vel » exiguus numerus populi, vel inopia, vel alia causa » impediat erigi novam parochiam? Responsum est non » posse ex decreto Concilii. » Ita Fagnan., in cap. *Ad audientiam*, et ita reperies communiter a DD. traditum, inquit D. Bouix, *de Parocho*, p. 264. Et ratio est quia dismembratio Ecclesiæ non est licita Episcopo nisi eâ condiditione ut nova parochia erigatur (341 et 343). Cf. App. VII.

Objici potest quòd ideo dismembratio sit vetita Episcopis quia est alienatio rei immobilis Ecclesiæ, quæ non potest fieri absque Sedis Apostolicæ beneplacito; sed in pluribus regionibus, velut in Galliâ, imò in Germaniâ, ut asserit Reiffenst. (lib. 3, tit. 13, nº 32), invaluit consuetudo, ut alienationes rerum etiam immobilium Ecclesiæ, fiant absque S. Pontificis consensu; ergo, et absque tali consensu, fieri possunt dismembrationes parochiarum, prout reverà fit in Galliâ, ubi Episcopi, inconsultâ S. Sede, mutant sat frequenter parochiarum limites.

Resp. 1º Quòd dismembratio parochiarum non solùm sit vetita quia est rei Ecclesiæ immobilis alienatio, sed etiam in se à sacris canonibus prohibetur, ut videre est ex dictis supra (343).

2° Etiamsi vigeat, apud nos et etiam apud alias gentes, consuetudo alienandi bona Ecclesiæ immobilia absque Sedis Apostolicæ beneplacito, non tamen constat talem consuetudinem esse verè legitimam, ut patebit ex dicendis infra (2922-2924).

357. Valde ergo dubium est quòd possit legitimè observari consuetudo quâ Episcopi nostri limites parochiarum, sine consensu Papæ, immutent. Videretur proinde tutiùs tales commutationes non fieri sinè indulto Pontificio : sic enim paci animarum et validitati quorumdam sacramentorum provideretur : nam licet in casu tanquam coloratus possit haberi titulus, non obstante quod error populi sit juris et non facti, quippe a legitimo superiori revera est præstitus; attamen, in casu præsenti, iste superior hujusmodi titulum ex dictis conferre haud..... potuit; ideoque est revera nullus. Porro sæpe contingere posset quod nullitatis hujus notitia ad parochos, imo ad communitatem fidelium perveniret; quo in casu certitudo quorumdam sacramentorum, præsertim matrimonii (si ab ignorantibus nullitatem contraheretur) in dubium posset revocari. Et ne dicas valida esse certò matrimonia quando contrahuntur coram deputatis ab Episcopo : nam in casu supposito, novus parochus parti dismembratæ parochiæ substitutus, nullam in eâ habet potestatem : non quidem *ordinariam*, cùm non sit ejus parochus, nec ab Episcopo ut talis in casu potuerit constitui absque consensu Sanctæ Sedis : nec *delegatam*, cùm mens Episcopi dismembrantis, non fuerit illum delegare ; imò, non potuerit illum sic in perpetuum delegare, alioquin dici posset quòd Episcopus valeat in perpetuum auferre à parocho, sinè ejus delicto, suam legitimam jurisdictionem in portionem sui gregis ut illam in delegatos pro semper transferat; porrò nemo dicet Episcopum gaudere tali potestate. Ergo, etc.

358. Quæri hic obiter potest an præscribi valeant limites parochiarum et diœcesium?

Respondet negativè Luc. Ferraris (v° *Usucapio*, § 1, n° 12): « Dummodo constet, inquit, tales fines fuisse legitimâ

» auctoritate præfixos et constitutos. *Communis*, textu
» expresso in cap. *Super eo* 4, *de Parochis;* cap. *Quicum-*
» *que* 4, causa 16, q. 3, ubi hujus ratio redditur: *Ne*
» *provinciarum termini confundantur:* et concordant cap.
» *Licet* 5, cap. *Inter memoratos* 6, cap. *Dilectio tua* 7,
» ead. causa 16, q. 3. Si autem non constet tales fines
» fuisse legitimâ auctoritate præfixos et constitutos, tunc
» procedit et valet præscriptio. Abbas... Engel... Reiffenst.,
» *de Judiciis*, lib. 2, *Decret.*, tit. 26, § 2, nº 10, et alii
» passim. » Vide etiam Reiffenstuel, *ibid.*, n^is 40 42.
Attamen S. C. Conc., cum approbatione Clement. XI, declaravit, *die* 14 *jan.* 1721, posse acquiri à Prælatis *nullius* territorium *separatum* cum jurisdictione in eo per clarum et undequaque subsistens apostolicum privilegium, aut per consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis ritè probatam. V. Bouix, *De Episcopo,* t. 1, p. 540. Multa inveniuntur circa hanc materiam in Decreto Gratiani, causa 16, q. 3. Vide etiam titul., *de Præscript.* in Decret. Gregorii IX.

III

DE UNIONE PAROCHIARUM ET ALIORUM BENEFICIORUM.

359. « Unio..., inquit Ferraris (vº *Unio benef.*, nº 1),
» fit potissimùm tribus modis: 1º.... Cùm ex duobus bene-
» ficiis fit tantùm unum; ita ut neutrum eorum uniatur
» alteri, sed ambo simul uniantur.... et tunc.... ex duobus
» resultans retinet consuetudines et privilegia favorabilia
» utriusque Ecclesiæ sic in unam redactæ.... Hæc unio
» dicitur *extinctiva.* 2º .... Cùm duæ Ecclesiæ ita uniuntur
» ut non coalescant... in unum corpus; sed una sit superior,
» et alia inferior ac accessoria.... talis unio nuncupatur
» *accessoria* seu subjectiva; sicque Ecclesia accessoriè
» unita assumit naturam, consuetudines et privilegia
» principalis. 3º .... Cùm neutra Ecclesia alteri subjici-
» tur.... nec ipsæ coalescunt in unum corpus.... sed ambæ
» Ecclesiæ ita æquè principaliter invicem uniuntur ut
» ambæ adhuc suum titulum atque honoris gradum reti-
» neant; et solùm ab uno eodemque rectore regantur,

» sicque adhuc remaneant duo beneficia omnino distincta...
» et talis unio appellatur *unio æquè principaliter facta.* »

360. Quærit. 1° Quisnam potestatem habeat beneficia et Ecclesias uniendi?

Resp. 1° « Unire Episcopatus ad solum pertinet Papam :
» Papa non solùm Episcopatus, sed etiam quæcumque alia
» beneficia unire potest.

» 2° Episcopus potest, ex legitimis causis, unire bene-
» ficia et Ecclesias suæ diœcesis.... Archiepiscopus nequit
» unire beneficia diœcesium suorum suffraganeorum.

» 3° Capitulum, sede vacante (ac proinde Vicarius
» Capitularis), potest unire ea beneficia quæ potest Epis-
» copus, dummodo per eam unionem jurisdictioni epis-
» copali nihil detrahatur, » et non ea sibi uniat. Ita Card. Soglia (*Instit. jur. priv.*, § 86).

« 4° Vicarius Generalis Episcopi non potest beneficia
» unire, nisi specialiter ab Episcopo committatur. » Ferraris ut supra (n° 7, etc.), apud quem vide insuper quid valeant, quoad unionem beneficiorum et Ecclesiarum Legati à latere et Abbates.

« Sacra Congr. Concilii (censuit) inferiores Episcopo
» non posse unire nisi hanc facultatem legitimè præscrip-
» serint, aut ex privilegio, in Ecclesiâ sibi pleno jure sub-
» jectâ, jurisdictionem quasi episcopalem habeant in
» omnibus, et per omnia. » Ferraris (*ibid.*, n° 14). Ita etiam Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 86.

361. Quærit. 2° Quænam conditiones requirantur ut *uniones* legitimè ab Episcopo fiant?

Resp. Tres præsertim requiruntur conditiones: 1° justa causa, id est Ecclesiæ necessitas vel utilitas; 2° citatio omnium interesse habentium qui, si consensum recusent, cogi possunt ad præstandum necessaria Ecclesiæ quæ unione indiget; 3° consensus Capituli: « Unio (tamen) fieri potest,
» inquit Ferraris (*ibid.*, n° 17, etc.), sine requisito tali con-
» sensu. si adsit alicubi consuetudo legitimè præscripta
» ipsam faciendi sine requisitione dicti consensûs[1].

[1] Juxta D. Bouix duo sunt casus in quibus Episcopus potest uniones facere absque Capituli consensu : 1° Si talis adsit consuetudo, sed

» Si unio facienda esset Seminario... intervenire deberet
» consilium quatuor deputatorum.

» Inter eos qui citandi sunt... non comprehenditur rector
» beneficii uniendi : nam cùm unio suum effectum non
» habitura sit nisi post ejus mortem (nisi velit beneficio
» renuntiare), nullum ei damnum.... infertur.

» Item non requiritur consensus plebis. » (Bouix, *De Parocho*, p. 286). Ex Concil. Trident. (sess. 21, cap. 5): unio fieri debet sine *præjudicio obtinentium*. In Gallià requiritur consensus Gubernii : juxta enim Concordatum 1801 circumscriptiones parochiarum à Gubernio approbandæ sunt.

362. Quærit. 3° Quid ex Concilio Trident. possint Episcopi circa uniones?

Resp. Sic habet Concilium Trident. (sess. 21, cap. 5):
« Possint Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis dele-
» gati, juxta formam juris, sinè tamen præjudicio obti-
» nentium, facere uniones perpetuas quarumcumque
» Ecclesiarum parochialium et baptismalium, et aliorum
» beneficiorum curatorum vel non curatorum, cum cura-
» tis, propter earum paupertatem, et in cæteris casibus à
» jure permissis, etiamsi dictæ Ecclesiæ vel beneficia essent
» generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque
» affecta. »

In sessione verò 24, cap. 13, sic statuit : « Ecclesiæ pa-
» rochiales monasteriis quibuscumque aut Abbatiis, seu
» Dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ Cathedralis vel
» Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospita-
» libus militiisve non uniantur [1]. »

363. Inde Ferraris (*ibid.*, n° 54) concludit quòd « non
» potest Episcopus unire Ecclesiam parochialem Capitulo
» Cathedralis ob tenuitatem canonicatuum et ob difficulta-

dicit plures canonistas exigere ad hoc consuetudinem immemorabilem vel quadragenariam cum titulo. 2° Si capitulum recusaret consentire absque rationabili causâ (*De Capitulo*, p. 397).

[1] De unionibus beneficiorum parochialium monasteriis factis, videndus est D. Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 18-39. Manifestum est quòd hujusmodi uniones fieri valeant auctoritate S. Sedis.

» tem, sive impossibilitatem etiam uniendi beneficia sim-
» plicia, et ob id quod non deceat eorum numerum
» minui, juxta mentem Concil., cap. 15, sess. 24, *de*
» *Reform.* Sic referunt decisum in unâ Alexandrinâ, 30
» Martii 1594. Aldon.... et Ventriglia. » Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 565.

364. Imò, juxta Clement. V decretum in Concil. Viennensi latum, nulla ecclesia uniri potest *Mensæ episcopali aut ipsi Capitulo.* « Quòd si Episcopus, sui etiam
» Capituli accedente consensu, *Mensæ suæ vel ipsi Capi-*
» *tulo* aliquam duxerit ecclesiam uniendam, hoc irritum
» esse decernimus.... contrariâ quâvis consuetudine non
» obstante. » (Clem., lib. 3, tit. 4, c. 2.)

365. Nescio igitur quo fundamento D. André (*Cours de droit canon*, v° *Union*) potuerit dicere : « Rien n'empêche qu'on
» unisse une cure à un canonicat de Cathédrale, si la cure
» et la prébende sont dans la même ville et surtout dans
» la même église... Aussi la plupart des cures des Cathé-
» drales sont unies aux Chapitres. » Manifestè enim Concil. Trident, in loco supra (362) memorato, prohibet ne Ecclesiæ parochiales uniantur *Dignitatibus sive præbendis ecclesiæ Cathedralis;* reverà quidem non *Dignitatibus* aut præbendis ordinariè uniuntur præfatæ ecclesiæ, præsertim in Galliâ, sed solùm Capitulis : at et hoc etiam est prohibitum tum a Concilio Viennensi modò relato, tum ab ipsomet Concilio Tridentino, permittente duntaxat (sess. 21, cap. 1) *facere uniones perpetuas quarumcumque ecclesiarum parochialium... et aliorum beneficiorum... cum curatis*, non verò cum *monasteriis,* ut dicit (sess. 24, cap. 13), *Abbatiis*, *Dignitatibus sive præbendis*, etc. Porrò unio Parochiæ Cathedralis cum Capitulo, non *est unio cum curatis;* sed potiùs unio cum corporatione seu cum aliquo Monasterio simili. Unde Ferraris et plures apud ipsum concludunt illud fieri non posse ab Episcopo, ut modò diximus. Benedictus XIV quidem in suo opere *de Syn. Diœces.*, (lib. 13, cap. 1, n° 9), videtur supponere licitas esse hujusmodi uniones, dicendo : « Satis est si (Episcopus) sui Capi-
» tuli consensum exposcat, etsi illud sequi non teneatur,

» nisi... *decernatur de ecclesiâ parochiali, collegio aut monas-*
» *terio perpetuò unienda*, ad quam jura majoris partis capi-
» tularium exigunt consensum : » sed meritò supponi potest quòd Bened. XIV loquatur tantùm de casu unionis factæ cum indulto Pontificio; et sic etiam D. Bouix explicat in tractatu *De Capitulis*, p. 396, verba quæ protulerat in tractatu *De Episcopo* (t. 2, p. 388), et quæ sunt ipsamet verba Benedicti XIV.

366. Etiam in Galliâ vigebat olim prohibitio uniendi Capitulis ecclesias parochiales : sic enim habet Rousseaud Lacombe (*Recueil de Jurisprudence canonique*, V° *Union*, sect. 5) : « Nous trouvons bien (dans le droit) que deux
» églises paroissiales... peuvent être unies, *mais non pas une*
» *église paroissiale à un Chapitre* ou à un autre bénéfice...
» Les Évêques du Concile de Trente trouvèrent l'union
» des cures si peu canonique que dans la sess. 24, chap. 13
» *de reform*.... ils défendirent d'unir aux églises canoniales
» des bénéfices-cures; disposition si sainte que les États
» de Blois l'ont embrassée dans les art. 22, 23; » et reipsa art. 23, Edict. Blesensis permittit tantùm *unire beneficia simplicia* Capitulis et collegiis.

367. His non obstantibus : « Cùm bonum publicum præ-
» valere debeat, inquit Lequeux, n° 1194, constat etiam
» in novissimis sæculis factas fuisse plurimas uniones bene-
» ficiorum monasteriis, seminariis [1], Capitulis, etc. In
» sæculo nunc decurrente, quoad multas diœceses Galliæ,
» parœcia illa quæ in Ecclesiâ Cathedrali est constituta,
» unita fuit Capitulo, ut secundùm hanc rationem faciliùs
» vitaretur conflictus. »

« Par une circulaire du 20 mai 1807, inquit Dieulin
» (*Guide des Curés*, p. 464), le Ministre des cultes invite les
» Évêques à réunir aux Chapitres les cures des Églises
» métropolitaines et épiscopales afin de faire cesser les
» inconvénients et les discussions qu'entraîne l'existence
» d'une cure indépendante du corps du Chapitre. Aussi la

[1] Ex Concilio Trid., sess. 23, c. 18, *de Ref.*, licet unire seminariis aliquot beneficia *simplicia* tantùm.

» plupart des Evêques se sont-ils empressés d'opérer » cette union qui existe aujourd'hui dans presque tous les » diocèses. » Supponi potest quòd Episcopi, hujusmodi uniones perficiendo, vi indulti Sedis Apostolicæ processerint; et reverà mentio fit de hoc indulto, in unione ab Episcopo Carnutensi peractâ, de quâ agitur ap. D. André (V° *Union*).

368. Quidquid sit, præfatæ uniones, licet a jure communi prohibitæ, non videntur apud nos difficultatem pati: sic enim legitur apud DD. Affre (*Administr. tempor. des paroisses*, p. 40, 4° édit.) : « Cette décision est fondée sur » un grand nombre d'arrêts; elle est incontestable. V. *Ju-* » *rispr. canon. de Lacombe*, V° *Erection* (Nihil tamen de » hoc inveni loco citato). Une ordonnance du roi, rendue » le 14 juillet 1824 en Conseil d'État (integra legi potest » apud André, V° *Union*) a décidé les points suivants con- » testés entre l'Évêque de Chartres et le curé de la Cathé- » drale de la même ville :

» 1° Un Évêque peut, sans abus, opérer la réunion » d'une cure au Chapitre de son diocèse;

» 2° Cette union peut avoir lieu du vivant du titulaire de » la cure et sans son consentement, et l'Évêque peut » ordonner que les fonctions seront exercées par un vicaire » amovible (Hæc omnia tamen apertè contradicunt juri » communi Ecclesiæ);

» 3° Cette union étant opérée, l'Évêque a pu interdire, » *de plano* et sans jugement, au curé qui desservait la cure » réunie au Chapitre la prédication et l'administration des » sacrements. »

Optandum autem esset ut hæc disciplina quæ adeò adversatur sacris canonibus, non solâ auctoritate civili fulciretur. Solâ enim auctoritate ecclesiasticâ hæc possunt legitimari.

CASUS SPECIALIS.

369. Sunt in Galliâ quædam parochiæ adeò pauperes et miserabiles ut parochos habere nequeant, quia in eis deest domus presbyteralis, nec valent incolæ indemnitatem in hoc casu præscriptam solvere. Porrò sæpè contingit quòd

hujusmodi parochiæ conferantur titularibus non residentibus, imò nec residere valentibus, prout, v. g., professoribus seu lectoribus seminariorum quæ hoc modo exonerantur obligatione iisdem lectoribus solvendi debita pro docendâ juventute emolumenta; quæritur autem utrum illud sit Episcopis licitum?

Resp. Vel hujusmodi parochiæ considerantur tanquam unitæ seminariis, vel non; si prius, hujusmodi unio vetita est sub duplici respectu 1° quia non licet unire seminariis Ecclesias parochiales, sed tantùm aliquot beneficia simplicia (Concil. Trident., sess. 23, c. 18); 2° quia non est perpetua, et ex eodem Concilio (sess. 21, cap. 1.), Episcopis licet tantùm facere uniones perpetuas.

Si posteriùs, professores ad has parochias nominati, sunt veri titulares; proinde ad residentiam tenentur nisi legitimè excusentur; quæstio hìc est an à residentiâ excusentur: porrò ab illâ excusari possunt vel quia sunt professores, vel quia non adest in parochiâ domus presbyteralis: porrò 1° dubium est quòd excusentur quatenus professores: ex unâ parte enim Ferraris, V° *Parochus* (art. 2, n° 26) ait: « Parochus non potest abesse a suâ parochiâ, etiam relicto » in eâ idoneo vicario approbato cum congruâ mercede, » ut doceat in civitate grammaticam, etiamsi non inveni» retur alius idoneus ad legendum et ipse singulis diebus » ad suam Ecclesiam accedere vellet (S. Congr. Conc. » testibus Gonzalez, Barbosa... etc.). Parochus autem » habens in civitate suam ecclesiam potest inibi in publicâ » universitate Sacram Scripturam legere, ita tamen, ut » cura animarum per ipsum exercenda, nihil detrimenti » patiatur.» Ex quibus verbis professor non dispensatur super residentiâ etiam ad docendam Sacram Scripturam. Attamen S. Liguor. (lib. 4, n° 132), tanquam probabile admittit quòd docentes Sacram Scripturam, theologiam, jus canonicum, eximi possint à residentiâ: non verò docentes grammaticam; vide infra (1468).

2° An a residentiâ excusentur professores in casu eò quòd in parochiâ desit domus presbyteralis, nec valeant incolæ indemnitatem præscriptam solvere, dubitari adhuc

posse videtur eò quòd non semper constet quòd titulares in hujusmodi locis non possint, sive ex stipendio à Gubernio præstito sive ex aliis proventibus aliquam domum locare; sed quia ex hoc oriri possent difficultates pro generali diœcesis regimine propter quas non expediat, pro certo tempore ut Episcopus permittat parochis residere in parochiis non habentibus domus presbyterales et non dantibus indemnitatem in hoc casu præscriptam, nihil videtur sapientius, in tali dubio, quàm totum negotium relinquere prudentiæ Ordinarii qui tamen debet sufficienter providere ut bene fiat servitium hujusmodi parochiarum et ut pro earum incolis applicetur, diebus dominicis et festis, missæ sacrificium. Vide tamen dicenda infra (1476).

§ II.

De institutione canonicâ promovendorum ad officia ecclesiastica.

I.

DE INSTITUTIONE CANONICA IN GENERE.

370. Quærit. 1° Quid intelligatur per Institutionem?

Resp. Verbum *institutio* duplici sensu accipitur: *strictè* et *latè* : *stricto* sensu sumitur pro concessione beneficii factâ per legitimum superiorem, ad præsentationem patroni. *Lato* sensu est concessio cujuscumque officii per legitimum superiorem, quocumque legitimo modo facta (Devoti, *de Personis*, tit. 5, sect. 4, § 47; Reiffenst., lib. 3, tit. 7, n° 2, etc.). Hoc posteriori sensu verbum *Institutio* hic accipimus.

371. Quærit. 2° An omninò sit necessaria institutio canonica ei qui obire vult aliquod officium ecclesiasticum?

Resp. Affirmativè et probatur 1° ex verbis Christi (Joann., cap. 10, v. 1): « Qui non intrat per ostium in ovile » ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » Intrare per ostium est certè intrare per legitimam missionem superioris, seu per institutionem canonicam. Ergo, etc.

Item ex verbis S. Pauli (ad Hebr., c. 5, v. 4): « Nec

» quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo » tanquam Aaron. » Sed qui invadit officia ecclesiastica sinè institutione, sumit sibi honorem, nec vocatur à Deo. Ergo, etc.

Probat. 2° Ex Concil.Trident.(sess. 23ª can. 7.): « Si quis » dixerit eos qui nec ab ecclesiasticâ et *canonicâ potestate* » *ordinati*, nec *missi sunt*, sed aliunde veniunt, legitimos » esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit. » Porrò missio procedens ab ecclesiasticâ potestate est ipsamet institutio canonica de quâ loquimur. Ergo, etc.

Probat. 3° Ex cap. 1, de regulis juris in 6°: « Beneficium » ecclesiasticum non potest *sinè canonicâ institutione* pos- » sideri. » Porrò hoc dictum est de beneficiis, præsertim quia iisdem annectitur officium ecclesiasticum. Ergo, etc.

Corollaria. — Ex præcedenti responsione concludi potest quid sit sentiendum:

372. 1° de *Investituris.* Investituræ nomine intelligebatur abusus mediâ ætate invectus, quo principes sæculares electis ad beneficia majora, nempe ad Episcopatus et Abbatias, tradebant baculum pastorale et annulum. Damnatæ sunt autem Investituræ à S. Gregorio VII et Calixto II in primo Concilio Lateranensi œcumenico (V. André, Vº *Investitures*): licet enim multi contenderent illis signis designari tantùm jurisdictionem sæcularem tunc temporis beneficiis ecclesiasticis annexam, timendum erat ne, eâ ratione, ipsi principes viderentur conferre etiam potestatem ecclesiasticam his beneficiis inhærentem (Lequeux, nº 78).

373. — 2° De Jure *Regaliæ*: hoc jus, tempore Ludovici XIV, reponebatur potissimùm in eo quòd, vacante sede Episcopali, Rex administraret ejusdem sedis bona temporalia, omniaque beneficia ad Episcopi collationem pertinentia conferret, quorum etiam plura, Archidiaconatus nempe, Decanatus, Pœnitentiaria, etc., annexam habebant jurisdictionem et curam animarum ordinariam.

Ludovico XIV hoc jus extendere volente ad omnes regni sui diœceses etiam antea exemptas a dicto jure, reclamantibusque ex iis pluribus, convocata fuerunt, anno 1681, comitia: congregatique Prælati ita negotium componere

tentârunt ut jam Rex nulla posset conferre beneficia jurisdictionem sibi annexam habentia, cætera verò pleno jure conferret in cunctis regni ecclesiis : sed Innocentius XI, cujus approbationi res delata fuit, ægrè tulit hanc comitiorum conniventiam, præsertim quia *non solùm per hoc evertebatur disciplina, sed etiam fidei integritas in discrimen vocabatur; si quidem intelligebatur ex ipsis regiorum decretorum verbis quòd jus conferendi beneficia Regi vindicabatur non tanquam profluens ex aliquâ Ecclesiæ concessione, sed tanquam ingenitum et coævum regiæ coronæ*. Vid. opera Bossuetii, t. 7, p. 195.

374. 3° De *Collatione laicâ*, seu concessione facta à laico absque concursu auctoritatis ecclesiasticæ. « In » Galliis, ait Lequeux (n° 78), talia jura veteri consuetudine » exercebat non tantùm Rex, sed et plures alii Domini tem- » porales; circa quæ hæc observant Memoralia Cleri : *Quoi- » que nous vivions dans cette discipline depuis plusieurs siè- » cles, il n'y paraît pas moins de difficultés à la concilier » avec les maximes canoniques, étant certain que suivant » l'ordre établi de J. C., il appartient aux supérieurs ecclé- » siastiques de donner la mission et institution requises pour » exercer ces titres ecclésiastiques.* »

375. 4° Ex responsione superius datâ (371) potest pariter concludi tanquam intrusum habendum esse illum, qui, repulsus, etsi injustè, a legitimis superioribus, ad sæcularem potestatem, sub abusûs prætextu, recurrit, ut ipsius auxilio officia ecclesiastica invadat.

376. Quærit. 3° Utrum electus, præsentatus, aut nominatus ad Prælaturam possit, sub aliquo titulo, sese ingerere ipsius administrationi ante obtentam à S. Sede canonicam institutionem?

Respond. negativè : *Nullo titulo, sive œconomatûs, vel procurationis, aut alio de novo quæsito colore, per se aut alium, licet electo, præsentato, aut nominato sese immiscere pro parte vel in totum administrationi spirituali aut temporali Prælaturæ ad quam electus, præsentatus vel nominatus fuit*, secus jure per electionem quæsito excidit, omniaque ab eo gesta nullius roboris sunt, et indignus evadit qui in

posterum eligatur. Card Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 36.

Illud constat ex capite *Avaritiæ* 5, *De elect.* in 6°, ubi ait Pontifex : « Sancimus ut nullus de cætero administrationem Dignitatis ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub æconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se aut per alium, pro parte vel in totum, gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. » Et decernitur pœna amissionis juris quæsiti.

377. Contrariam consuetudinem meritò reprobat Reiffenstuel (lib. 1, *de Elect.*, n. 37) ex cap. *Cùm venerabilis*, 7, *De consuet.* Quidquid ergo dicant nonnulli ap. Lequeux, n° 82, viribus carebat prætensa consuetudo qua nominati administrabant sedes episcopales ut vicarii capitulares, sive tempore Ludovici XIV, quum institutio canonica denegabatur adhærentibus declarationi a. 1682; sive tempore Napoleonis I, quoad episcopos nominatos dum captivus erat Pius VII. V. Bouix, *de episc.*, t. I, p. 249; et *Revue des sciences eccl.* n°s 12, 14, 17, 18.

Quæ omnia nunc certa sunt post Const. *Romanus Pontifex*, Pii IX, a. 1873, qua prohibetur ne capitulum ecclesiæ cathedralis concedere et transferre præsumat in nominatum et præsentatum ad eamdem ecclesiam, illius curam, regimen et administrationem, sub nomine provisoris, vicarii generalis aliove nomine gerendam. Hujusmodi electio et deputatio omnino irrita declaratur; imò et sequentes adduntur pœnæ : In dignitates et canonicos ecclesiarum cathedralium vacantium, sic transferentes jurisdictionem in præsentatos et nominatos, ante exhibitionem litterarum Apostolicarum, excommunicatio major, necnon privatio fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque, quæ pœnæ R. P. reservantur ; In præsentatos vero seu nominatos sic accipere præsumentes regi-

men ecclesiarum, pœnæ eædem, pariter reservatæ, et privatio ipso facto juris eis quæsiti per nominationem et præsentationem ; In eos qui in præmissis paruerint, vel auxilium aut favorem præstiterint, cujuscumque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint, pœnæ eædem. Demum, si qui ex prædictis episcopali charactere sint insigniti, suspensio ipso facto ab exercitio pontificalium, et interdictum ab ingressu ecclesiæ pariter S. Sedi reservata ; insuper quæcumque a sic intrusis fiant, mandentur, cum omnibus inde quovis modo secutis aut secuturis, omnino nulla sunt et irrita.

378. « Porrò hactenus dicta, procedunt, inquit Reiffenstuel, etiam in eo qui ante electionem exstiterat procurator, vel œconomus ecclesiæ : nam si contingat œconomum ecclesiæ eligi in Prælatum (ejusdem), statim a tempore electionis tenetur ipse abstinere ab administratione œconomiæ » (*ibid.*, 43).

Secus sentit non solùm Lequeux (n° 82), sed etiam auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 133 in fine. Ratio ejus est quòd cap. *Avaritiæ*, supra relatum (376), loquatur duntaxat de eis qui se ingerere præsumunt, quales non sunt qui jam electi Vicarii Capitulares postea ad eamdem sedem à Principe nominantur Episcopi. In eodem sensu, anno 1832, respondisse Gregor. XVI ad D. Biancard de Bailleul, Vicarium Generalem diœcesis Versaliensis, asserit idem auctor post BR. DD. Bouvier in tractatu de Ordine, c. 7, art. 2.

379. Quædam aliæ exceptiones sunt admittendæ : 1° Si dicta administratio fieret de consensu *Superioris* : ratio patet. Unde potest electus administrare ante confirmationem, si hoc habeat ex privilegio ut habent Cistercienses, teste Abbate, cap. *Cùm venerabilis*, *de consuetud.*

380. 2° Plures excipiunt valde remotos à Curiâ Romanâ ut puta constitutos ultra *Italiam*, *modo electi fuerint in concordiâ*, id est qui electi fuerint nemine prorsus discrepante, vel saltem, juxta alios, nemine electioni se opponente. Illud probant ex cap. *Nihil est* 44, § fin., *de Electione*,

Vid. Reiffenst., *ibid.*, n° 5; *Revue des sciences ecclés.*, n° 12, p. 510-516.

Porrò taliter electi administrare possunt, « non quidem » jure proprio, sed dispensatione Pontificis; quod constat » ex verbis ipsius capitis, ubi Pontifex, *dispensativè, ait,* » *propter necessitates Ecclesiarum et utilitates, in spiritualibus et temporalibus administrent, et sic tamen ut de* » *rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent.* Quamquam » autem de speciali illius capitis indulgentiâ per canones » et constitutiones posteriores, nihil admodum derogatum » esset, illud tamen certum est quòd locum habeat in solis » electionibus *concorditer* celebratis. »

« Passerinus, in tractatu *de Elect.*, c. 33... plerique DD. » affirmant Episcopum electum administrare posse, si » electus sit in concordiâ et si in eâ ecclesiâ vel regione » vigeret antiqua consuetudo administrandi. » Ita Card. Soglia (*Inst. Jur. priv.*, § 36, p. 60), qui addit quòd idem caput *Nihil,* ac proinde præfata exceptio non pertineat ad nominatos à S. Pontifice aut à Regibus. Vide in eodem sensu Lequeux, n° 81, in *notâ.* Unde præfatum caput certè non spectat ad Galliam, nec inibi potest invocari præfata exceptio: nec item in Galliâ allegari potest consuetudo sive propter rationem supra (377) expositam, sive quia talis consuetudo nunquam reverà exstitit apud nos. V. *Revue des sciences ecclésiast.*, n^{is} 16, 17, 18, 19.

381. Juxta verò D. Bouix (*De Capitul.*, p. 615), qui Leurenium citat, cavendum est a paucis quibusdam auctoribus qui Episcopo confirmato jurisdictionem attribuunt ante ostensas Capitulo litteras apostolicas: Decretalis enim *Injunctæ* Bonifacii VIII, clarè hoc prohibet; si quidem loquitur non tantùm de electis, sed de omnibus qui apud Sedem Apostolicam promoventur, proinde etiam de nominatis à Gubernio (*De Capitul.*, p. 655; et *De Episcopo*, t. 1, p. 264-268); et reverà pro Galliâ sic esse tenendum pronuntiat ipse Pius VII, non tantùm in Brevi supra memorato ad Archidiaconum Florent: sed etiam in altero ad D. d'Astròs, occasione Card. Maury, directo (Vid. *Revue des sciences ecclés.*, n° 12, p. 519-530); sic autem habet

Pontifex in dicto Brevi: « Apostolicâ auctoritate declaramus...
» administrationem ipsam a dicto Cardinali ex Capituli
» deputatione assumptam fuisse et esse contra sanctissi-
» mas Ecclesiæ leges ejusque vigentem disciplinam : ac
» proinde *nullam* ei facultatem in quibuscumque spiri-
» tualibus Ecclesiæ Parisiensis competere, aut per hujus-
» modi deputationem seu electionem tributam fuisse. »
Unde juxta Pontificem hujusmodi acta prorsus erant nulla; sinè enim damno et magno Ecclesiæ periculo res aliter à sacris canonibus ordinatæ fuissent : « Etenim, inquit
» D. Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 269), quoties S. Pon-
» tifex nominatos à rege tanquam indignos rejecerit,
» posset rex eosdem, invitâ Sede Apostolicâ, diœceseos
» regimini præficere... Posset Capitulum illos... à Papâ
» rejectos, in Vicarios Capitulares deputare. » Porrò nemo non videt quanta mala exinde essent oritura [1].

382. Quærit. 4° Utrum institutio canonica scripto authentico consignari debeat.

Resp. Vel de iis agitur qui instituendi sunt à S. Pontifice, vel de iis qui ab Episcopis instituuntur: in primo casu, institutio consignari debet in scripto seu instrumento authentico et debitâ formâ confecto : hoc probatur *Extrav. Communi, Injunctæ* 1, *De Electione*, mox referendâ; hujusmodi litteræ vocantur *Provisiones*.

383. In secundo casu, Devoti (lib. 1, tit. 5, sect. 4, §§ 45 et 46), affirmat provisiones debere esse scriptas et à Cancellario episcopali obsignatas, et hoc saltem est convenientissimum; Cardinalis verò Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 95), dicit hoc esse necessarium, si non certâ lege, saltem consuetudine. Attamen juxta D. Bouix (*De Parocho*, p. 306): « Ad valorem *Institutionis* non requiritur scriptura; » et D. Lequeux (n° 83), asserit *Provisiones* in formâ requiri tantùm ad effectus civiles, nempe ut pensio solvatur, etc.,

[1] Constit. *Romanus Pontifex* 1873 prorsus abolet, etiam in regionibus longinquis, usum quo Capitulum Cathedralis ecclesiæ vacantis, obsequens invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremæ civilis potestatis, transfert in nominatum ad ecclesiam, quocumque modo electus fuerit, ejusdem administrationem sub vicarii aut alio nomine, ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum.

Nota autem quòd in Galliâ jus ad stipendium à Gubernio solvendum, inchoetur tantùm à die sumptæ possessionis.

Quænam sint exprimenda in Provisionibus vide explicatum apud Card. Soglia, *Instit. Jur. priv.*, § 95, p. 182.

384. Quærit. 5° Utrum instituti ad officium ecclesiasticum qui provisiones scriptas debent habere, possint sua munera exercere antequam *provisiones* ostenderint, saltem in casu necessitatis?

Resp. Negativè, ex Extrav. Comm., *Injunctæ* 1, *De Electione,* quæ sic se habet: «Præsenti itaque Constitutione » sancimus ut Episcopi et alii Prælati superiores, nec non » Abbates, Priores... qui apud dictam Sedem promoventur » aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis » munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias et monas» teria, absque dictæ Sedis litteris ejusmodi eorum » promotionem, confirmationem, consecrationem seu be» nedictionem continentibus, accedere, vel bonorum » ecclesiasticorum administrationem accipere non præsu» mant; *nullique eos absque dictarum litterarum osten» sione recipiant*, aut eis pareant, vel intendant. Quòd si » forsan contra præsumptum fuerit, quod per Episcopos, » Prælatos, Abbates... medio tempore actum fuerit, irri» tum habeatur. »

Et hæc quidem locum habent etiam in casu *necessitatis vel longæ distantiæ,* etiamsi certum esset litteras casu periisse; sic decisum fuit à S. Cong. Concilii, anno 1644, pro quodam Episcopo urbis Assumptionis in Americâ, qui in similibus circumstantiis consecrationem susceperat (Lequeux, n° 84).

385. *Possessionis assumptio*, quidquid nonnulli dicant, non videtur necessaria, cùm præfata Extrav. *Injunctæ* requirat solummodo *litterarum ostensionem.*

Per procuratorem autem fieri possunt litterarum *ostensio* et *possessionis assumptio;* et hoc etiam antequam institutus consecrationem episcopalem acceperit; ostensis verò litteris, statim potest iste jurisdictionem suæ Dignitati annexam exercere. Ita omnes (Lequeux, n° 87.).

In Galliâ juxta Concordatum 1801, « Episcopi, antequam

» munus suum gerendum suscipiant, coram Primo Con-
» sule (hodie coram Præs. Reip.) juramentum fidelitatis
» emittent. »

Idem præscribitur quoad ecclesiasticos secundi ordinis, sed hoc in desuetudinem abiit.

386. Quod diximus supra (323) acceptationem saltem implicitam esse necessariam pro exercendâ jurisdictione delegatâ, illud est applicandum ei qui promovetur ad officium cui annectitur jurisdictio ordinaria, vel etiam ad quodcumque aliud officium. Constat ex cap. *Si tibi, de Præbendis*, in 6°.

II.

DE VARIIS MODIS QUIBUS OBTINERI POSSUNT OFFICIA ECCLESIASTICA IN GENERE.

387. Illi modi sunt: *Electio*, *Postulatio*, *Præsentatio et Collatio*:

DE ELECTIONE.

388. *Electio* dupliciter accipitur: 1° *latissimè*: et hoc respectu comprehendit varios modos adipiscendi ecclesiastica officia, videlicet: *Electionem* propriè dictam, *Postulationem*, etc.; 2° *Strictè*, et sic est modus distinctus obtinendi hujusmodi officia (Reiffenst., lib. 1, tit. 6, n^is 1-3).

Electio in hoc secundo sensu accepta, definitur: *Personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, per eos quibus jus eligendi competit, canonica vocatio, auctoritate superioris confirmanda* (Reiffenst., *ib.*, n° 4). Locum non habet hodie electio nisi pro Pontificibus Supremis, pro Prælatis Regularibus, pro Vicariis Capitularibus, et pro Episcopis in quibusdam tantùm Germaniæ locis.

389. Tribus autem modis duntaxat fieri potest electio: per *scrutinium, compromissum*, et per *quasi inspirationem*. Ita cap. *Quia propter* 42, *de Electione*, quod sanciverat Concilium Lateran. IV, anno 1214: « Quia propter diver-
» sas formas electionum, multa impedimenta proveniunt,
» et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus
» ut cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus

» qui *debent* et *volunt* et *possunt* commodè interesse, assu-
» mantur tres de collegio fide digni, qui *secretò* et *sigilla-*
» *tim* vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis
» redacta, mox publicent in communi, nullo prorsùs
» appellationis obstaculo interjecto, ut is, collatione
» habitâ, eligatur, in quem omnes, vel *major* et *sanior*
» *pars* Capituli consentit (en *scrutinium*), vel eligendi potes-
» tas aliquibus viris idoneis committatur qui vice omnium
» Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore (en *compromis-*
» *sum*); aliter electio non valet, nisi fortè communiter
» esset ab omnibus *quasi per inspirationem*, absque vitio
» celebrata. »

390. « Electio *per quasi inspirationem* tunc censetur fieri,
» quando, nullo præcedente tractatu, omnes electores
» communiter et quasi uno corde ac ore, in unum eum-
» demque consentiunt. » (Reiffenst., *ib.*, tit. 6, n° 65.)
» Sed, inquit D. Bouix (*De Capit.*, p. 205), electio non
» potest hoc modo fieri in iis Capitulis in quibus per sta-
» tutum speciale requiruntur tacita suffragia, cum clau-
» sulâ irritante electionem aliter factam. »

391. « Electio per *compromissum* tunc fit quando Capi-
» tulares præsentes, nemine discrepante, facultatem eli-
» gendi in unum vel plures idoneos viros conferunt, qui
» vice omnium eligant. » Reiffenst., *ib.*, n° 68. Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 393.

392. « Electio per *formam scrutinii* illa est quæ, præ-
» sentibus omnibus qui *debent*, *volunt* et *possunt* interesse,
» fit per collectionem suffragiorum circa eum in quem
» major et sanior pars Capituli consentit. » Reiffenst., *ibid.*, n° 108.

393. Ex verbis præfati Capitis *Quia propter*, patet quòd hæc triplex electionis forma sit obligatoria duntaxat quando agitur de eligendis Prælatis *pro Ecclesiis viduatis*, videlicet Episcopis vel Abbatibus; adhiberi tamen potest in cæteris electionibus, prout eis poterit accommodari (Reiffenst., *ib.*, n^is 6 et 110).

394. Quærit. 1° Quinam ad electionem debeant vocari?
Resp. Vocandos esse omnes jus eligendi habentes; nempe

omnes qui *debent*, *volunt* et *possunt commodè interesse* (cap. *Quia propter*, jam citat.). Si unus contemneretur, id est, non vocaretur, iste posset irritationem electionis reclamare, quamvis valida possit esse, si taceat. Si quidem electioni plus contemptus unius quàm contradictio multorum obsistit, ut dicitur in cap. *Venerabilem* et cap. *Bonæ memoriæ* 36, *de Electione*. Qui autem neglectus fuit habet sex menses ad reclamandum; quibus elapsis, censetur confirmare actum Capitularem. Decisum à Rotâ, testante Ceccoperio, ap. Bouix, *De Capit.*, p. 182.

395. Dicit. 1° *Qui debent:* ad excludendum eos qui de jure non debent suffragari electioni, ut impuberes vel pleno usu rationis carentes, item excommunicati majori excommunicatione denuntiati, ab officio suspensi quique ne eligant personaliter sunt interdicti, infames infamiâ juris si sint denuntiati, scienter eligentes indignum. Insuper excipientes laicos ad suffragium ferendum, operam electioni intra tempus à jure requisitum non dantes, aut canonicam formam non observantes, jure eligendi pro primâ vice privantur et jus ipsum reliquis electoribus accrescit (Card. Sogl., *Inst. Jur. priv.*, § 34).

Electores esse nequeunt, quoad Prælaturas et Dignitates ecclesiasticas, qui non sunt clerici vel religiosi cap. *Nullus* et cap. *Sacrosancta* 51, *de Elect.*); et in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, qui necdum in ordine sacro sunt constituti, non obstante contrariâ consuetudine (Conc. Trid., sess. 22, cap. 4, *de Ref.*). Vide alia ap. Reiffenst., lib. 1, tit. 6, n° 165, etc.; Bouix, *de Capit.*, p. 197.

Ipso jure autem prohibentur eligere qui per abusum potestatis sæcularis faciunt electionem; et insuper suspendi possunt per triennium ab officiis et beneficiis. Ap. eumdem Reiffenst. (*ibid.*).

396. Dicit. 2° *Qui volunt:* quia ratio non est habenda eorum qui nolunt interesse. Unde si is ad quem spectat convocatio omnes de jure vocandos vocaverit, præsentes ad actum Capitularem legitimè procedere possunt, quantumvis parvus sit eorum numerus; nec ex hoc titulo, rescissioni obnoxius est actus Capitularis. Similiter, si cœpto

electionis tractatu, aliqui vocales egrediantur et redire nolint, possunt alii sine ipsis procedere; dummodo non major pars Capitularium fuerit egressa. Ita clarè ex cap. *Cùm nobis, de Electione*. Vid. Reiffenst., *ib.*, n° 200; et Bouix, *de Capit.*, p. 183, plures alios citans.

397. Dicit. 3° qui *possunt commodè interesse*: quia nimiùm remoti, non sunt necessariò vocandi. De rigore juris communis vocandi sunt tantùm qui in provinciâ existunt; cap. *Coram* 35, *De Elect.* Dicit tamen Bouix (*De Capit.*, p. 196), vocandos esse etiam longè absentes quando eligendus est Prælatus, vel recipiendus est quis in canonicum, aut indicenda cessatio à divinis, vel quando agitur de notabiliter arduis. Et pro Galliâ dicitur in cap. *Genesi* 55, *De Electione*, quòd ad Electiones faciendas *de toto regno Franciæ* vocantur absentes consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ; « Si tamen, ut addit cap. *Quod sicut* 38, *De Elect.*, sine periculo potuerint convocari » : quia si, ob moram, immineret periculum schismatis, seditionis, intrusionis, vel abusûs laicæ potestatis aut alterius gravis mali, longè absentes tunc non essent expectandi (Bouix, *de Capit.*, p. 196; Reiffenst., n° 119).

398. Capite *Quia propter* (389) prohibetur ne quis in electionis negotio, procuratorem constituat, nisi sit absens[1] justoque impedimento detentus venire non possit:

« Procurator electus à concanonico ad eligendum... non » poterit in electionibus quæ fiunt per vota secreta suam » dare vocem uni, et aliam procuratorio nomine alteri; si » quidem electio fit nomine (procuratoris)... et tenetur eli» gere meliorem.» Ita Ceccoperius, ap. D. Bouix, *de Capit.*, p. 201.

Si eligatur procurator qui non sit de collegio, potest quidem ipse admitti, si nullus de Capitulo vellet esse procurator, sed recusari etiam posset; et ut extraneus possit

[1] Juxta Monacelli ap. Bouix (*de Capit.*, p. 602), absentia hîc est intelligenda et restringenda ad absentes *intra provinciam* et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento. Ita S. Congr. Conc., 10 april. 1699. Et si adesset consuetudo non vocandi quoquo modo absentes à civitate, servanda esset hæc consuetudo ut dixit Rota.

ferre votum decisivum requiritur consensus omnium vocalium. Ap. Bouix, *de Cap.*, p. 202; vide infra dicenda (2380-2381).

399. Infirmorum vota sunt exquirenda, et si dare velint suffragium per semetipsos, non possunt quidem illud facere scripto, sed, si in Urbe existant, ad eos accedere debent scrutatores et eorum suffragia recipere. V. Reiffenst. *ib.*, n[is] 191-193. Ita communiter contra Ceccoperium qui putat infirmos posse votum suum præstare scripto; sed contrarium decrevit tribunal Rotæ prout asseritur ap. D. Bouix, *de Capit.*, p. 201 et 202.

400. *Nota* quòd si quis schedulam vacuam miserit in urnam, nulla illius erit ratio habenda (ex cap. *Cùm nobis*, 12, *de Elect.*; Reiffenst., *ib.*, n° 203).

401. Quærit. 2° Quot numero præsentes esse debeant electores, et à quânam parte eorum fieri debeat electio ut valida sit habenda?

Resp. 1° Electionem fieri non debere nisi sint præsentes duæ partes vocalium : hoc deducitur ex leg. civ. *Nulli et planè* ff. *Quod cujusque univers. nom.* In hoc verò duarum partium numero sunt duntaxat computandi ii qui *debent*, *volunt* et *possunt commodè interesse*. Unde citatis et non comparentibus in solito vel designato loco omnibus qui jus habent eligendi, tres etiam explere possunt actum, quin imò, duo, vel unus, rem perficiendo coram scribâ et testibus. Non quòd unus sit Capitulum, sed quia jura Capituli devolutivè resident in illo uno. Idipsum procedit omnibus voce privatis, vel interdictis, sive excommunicatis, vel mortuis præter unum; si quidem non dissolvitur Capitulum nisi per mortem omnium Capitularium, vel auctoritate Papæ; sed ab initio Capitulum per unum non potest constitui. Ita Ceccoperius, ap. Bouix, *De Capit.*, p. 183, etc.

402. Resp. 2° Regulariter non requiritur ut omnes præsentes consentiant, sed sufficit votum majoris partis respectu præsentium, modò omnes, qui de jure adesse debent, vocati fuerint. Probatur ex cap. *Quia propter* supra relato (389), et hoc sapienter institutum fuit : nam, ut ait Ceccoperius (ap. Bouix, *De Capit.*, p. 187) : « In omnibus

» Capitulis ordinariè reperitur aliquis spiritus contradic-
» tionis discrepans à voluntate et judicio cæterorum. »

« Unde, ait Leurenius (ap. D. Bouix, p. 187), etiam non
» valet statutum vel consuetudo, etiam juramento firmata,
» vi cujus omnes de Capitulo, vel etiam duæ partes debeant
» consentire ad hoc ut actus capitularis valeat, quia... per
» hoc facultas statuendi quæ justa et utilia sunt, impediretur.»

Electio à minore parte præsentium peracta, non tantùm invalida est, sed per subsequentem consensum aliorum validari nequit, ex cap. *Audistis* 29, *de Elect.*; Reiffenst., *ib.*, n° 141. Vide tamen infra (407, 408).

403. Diximus *regulariter* : dantur enim casus in quibus major pars non sufficit : « nempe 1° dum Capitulum gra-
» tiam alicui facit; 2° dum negotium de quo agitur prin-
» cipaliter et directè et non tantùm in consequentiam,
» *singulos* separatim concernit; in his duobus casibus
» requiritur consensus *omnium capitularium*; 3° si major
» pars decerneret aliquid cedens in damnum Ecclesiæ,
» vel in præjudicium minoris partis (V. exceptiones ap.
» D. Bouix, *ib.*, p. 189) : in quo casu, pars minor contra-
» dicere et rescissionem actuum persequi potest; 4° si
» major pars statueret in præjudicium unici capitularis;
» tunc ille unicus jus habet... sese opponendi; 5° in elec-
» tione Papæ.... necesse est consentire duas tertias par-
» tes præsentium Cardinalium.» Bouix, *De Capit.*, p. 188.

404. In cap. *Quia propter*, non tantùm requiritur *major* pars sed et *sanior*. At minor pars, etiamsi esset sanior, probare deberet majorem partem irrationabiliter egisse, nec quidquam decernere valebit, quamdiù remanebit numero minor. Ita communiter. Hoc ipso, quòd una pars sit major censetur etiam *sanior*, juxta Leurenium, nisi contrarium probetur. V. Bouix, *De Capit.*, p. 187; et Reiffenst., *ib.*, n° 142, etc.

405. « Quando vota porriguntur secretò, nulla habetur
» ratio sanioris partis, sed attenditur solummodo major
» suffragiorum numerus. » Bouix, *De Capitulis*, p. 204.

406. Quærit. 3° Quænam adhuc præscribantur circa electionem?

Resp. Plura adhuc requiri, nempe : 1° Ut electio fiat infra tres menses à die vacationis; cap. 41, *de Elect.*

2° Ut electio sit *libera* ac proinde absit vis aut fraus : « Quisquis electioni de se factæ *per sæcularis potestatis* » *abusum*, consentire præsumpserit contra canonicam » libertatem, et electionis commodo careat et ineligibilis » fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi » dignitatem : qui verò electionem hujusmodi, quam ipso » jure irritam censemus, præsumpserint celebrare, ab » officiis et beneficiis, penitus suspendantur, et per trien- » nium eligendi sint potestate privati. » Ita cap. *Quisquis* 43, *de Elect.*, ex Concil. Later. IV. Pro *fraude et dolo*, v. Cap. *Cùm dictus* 23, *de Electione ;*

3° Ut absit omnis simonia. Vide infra dicenda (6189-6193).

4° Ut non accedant voti incapaces. Quinam sint incapaces dictum fuit supra (395).

5° Ut vota ferantur *absolutè* et *determinatè :* vota enim conditionata, alternativa et incerta habenda sunt ut nulla; ex cap. 2, *de Elect.* in 6°. Vide infra dicenda (2383).

407. — 6° Ut *publicato scrutinio*, non varient electores; cap. *Publicato* 58, *de Elect.* Attamen, quando, publicato scrutinio, apparet non validè peractam fuisse electionem (secus si esset per judicem irritanda), vel si electus non acceptaret, vel si esset ineligibilis, tunc liceret ad novam electionem procedere, et a priori voto recedere (Reiffenst., *ib.*, n^is^ 295-299). Speciale aliquid est in monialium electionibus, scilicet quòd, casu quo à majore quidem parte, sed non a duabus ex tribus partibus capituli electæ fuerint, possint aliæ moniales partis minoris ad votum majoris partis accedere, sicque variare post publicatum scrutinium. Cap. *Indemnitatibus* 43, *de Elect.* in 6° (V. Reiffenst., *ibid.*, n° 300).

In electione S. Pontificis, ut mox dicturi sumus (426), locus est *accessui*, si in unum non conveniant duæ partes Cardinalium præsentium.

408. Imò si ageretur de casu in quo rigorosè non esset servanda forma per cap. *Quia propter* præscripta; v. g. si

eligendus esset Vicarius Capitularis, et primùm non adessent vota sufficientia, valeret tunc accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, etiam publicato scrutinio (Reiffenst., *ib.* n° 303, etc.).

409.—7° Quamvis id non sit de præcepto, optandum tamen est quòd electio fiat per suffragia secreta. Nisi verò statuta Capituli præcipiant suffragia secreta sub *clausulâ irritante*, validum est quod canonici vivâ voce concludunt (Bouix, *De Capitul.*, p. 206).

In electione tamen superiorum regularium vel superiorissarum monialium, imò in electione quorumcumque officialium religiosorum utriusque sexûs, sub pœnâ nullitatis præscribitur à Concil. Trid., sess. 25, cap. 6, quòd vota sint secreta. Id factum est ut præscinderentur inimicitiæ inter confratres qui perpetuò simul vivere tenentur : hæc constitutio tam strictè obligat, ut electio sit nulla si vel unus electorum votum suum, permittente Capitulo, publicaret : secus tamen si id contingeret, inscio aut non consentiente Capitulo, et id quidem in ipsâ electione; postea tamen perdurat obligatio secretum servandi quamvis per ejus violationem deinceps commissam electio non annulletur. V. Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 414 et 415 ; Reiffenst., *ib.*, n° 345, etc.; et infra dicenda (2996).

410. — 8° Electio fieri nequit per sortem, ex cap. 3, *De Sortileg.;* Bouix tamen (*De Capitul.*, p. 207), citans Ceccoperium, excipit casum in quo post binum vel ternum scrutinium, staret paritas votorum inter duos candidatos; sortem tunc solùm permittit S. Liguor. (lib. 3, n° 11), quando fit ex auctoritate judicis pro decidendis litibus circa officia aut beneficia ecclesiastica. Vide dicenda (2384).

411. Quærit. 4° Quid agendum sit, peractâ electione?

Resp. « Absolutâ et patefactâ electione, conficitur de-
» cretum quod subscribunt eligentes, quibus tunc omnis
» variandi potestas adimitur. Cap. 20, 21 et 58, *de Electione;* » Devoti, lib. 1, tit. 5, sect. 1, § 19.

Mox electo, id est intra octo dies, notificari debet electio (Card. Soglia, *Instr. Jur. priv.*, § 36).

Electi consensus petendus est, et ipse infra mensem,

ne suo jure cadat, debet illum emittere (cap.6, *de Elect*, in 6°).

Præterea, intra alios tres menses, a Superiore petenda est confirmatio electionis ex cod. cap. (Devoti, *ib.*, § 22), alioquin electio viribus eo ipso vacuatur (Reiffenst., *ib.*, n° 319; et Ferraris, V° *Episcopus*, art. 2, n^is^ 10 et 11).

412. Obtentâ verò confirmatione, intra tres menses, a die habitæ notitiæ confirmationis numerandos (Ferraris, *ib.*, n° 22), consecrandus est Episcopus; alioquin ad *fructuum perceptorum restitutionem tenetur, et si intra totidem menses postea id facere neglexerit, Ecclesiâ suâ, ipso jure, est privatus.* Ita Concil. Trid. (sess. 23, cap. 2, *de ref.*). V. Bouix, *de Episcopo*, t. 1, p. 241.

Si consecratio extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesiâ ad quam promotus fuerit, aut in Provinciâ, si commodè fieri possit, celebranda est (Bouix, *ibid.*). « Praxis est ut » S. Pontifex, facultatem faciat peragendæ consecrationis » illi Episcopo quem consecrandus maluerit; » nisi Romæ sit celebranda; pro quo casu vide quid sit agendum apud D. Bouix, *De Episcop.*, t. 1, p. 245 et 457 et infra (419, 471).

413. Nullus religiosus potest consentire suæ electioni ad Prælaturam extra suum monasterium, absque petitâ et obtentâ licentiâ sui Superioris. Secus electio ipso facto viribus vacuatur (cap. *Si religiosus* 27, *de Elect.* in 6°).

Diximus supra (384, etc.,) quòd ante ostensas Capitulo litteras promotionis haud possit Prælatus à Sede Apostolicâ institutus sese ingerere administrationi Ecclesiæ ad quam est promotus : Capitula quæ Episcopum sine litteris apostolicis reciperent, à beneficiis ecclesiasticis suspensi essent (Card. Soglia, *Inst. Jur. priv.*, § 29 in fine).

Ostensis autem litteris promotionis, possessionem suæ Ecclesiæ capere possunt promoti, etiam per procuratorem laicum, inquit Lequeux, n° 87; quamvis admodum conveniens sit ut sumant per clericum.

DE POSTULATIONE.

414. « Si fortè contigerit, inquit Card. Soglia (*Inst.*

» *jur. priv.*, § 37), ut qui Ecclesiæ utilissimus fore videtur, » ob... canonicum impedimentum eligi nequeat, tunc elec» toribus extraordinarium præsidium datur, modò nu» merus postulantium duplò excedat numerum eligentium » (cap. 40 *de Elect.*), nimirum postulatio... Duplex est... » *simplex* et *solemnis*.

» *Simplex* est petitio apud superiorem ut consentiat in » electionem ejus qui suæ potestati subest, velut si mona» chum eligere velis, opus est veniâ sui Abbatis : quæ qui» dem non vera et propria est postulatio, dum persona » hoc modo postulanda nullo canonico impedimento tenea» tur quominus eligi possit.

415. » *Solemnis* et vera postulatio est, dum à Romano » Pontifice petitur, ut ex indulgentiâ et dispensatione in » Episcopum assumat qui per canones eligi nequit... Satis » intelligitur impedimentum ejus generis esse oportere, » super quo Pontifex dispensare possit et soleat, qualis » est defectus natalium, ætatis, ordinis, libertatis ob » vinculum spirituale cum aliâ ecclesiâ et hujusmodi.»

« Non solùm, inquit Reiffenstuel (lib. 1, tit. 5, n° 37-» 39), Archiepiscopus et Episcopus consecratus, sed etiam » confirmatus tantum... ad alium Episcopatum nequit » eligi, sed solùm postulari. Ita communis... Electus verò » duntaxat in Episcopum..... ante factam ejus confirma» tionem, sicut potest suæ electioni... liberè renuntiare.... » ita ad alium Episcopatum eligi potest... » (sine postulatione).

« Episcopus qui renuntiavit Episcopatui, potest ad aliam » Ecclesiam eligi, nec debet postulari, nisi aliud quid » canonicum obstiterit... quia talis non ampliùs est alli» gatus cuipiam Ecclesiæ... »

- Cardinales non Episcopi et Abbates non indigent postulatione *solemni* ut ad sedes episcopales promoveri valeant; indigent tamen *simplici*, scilicet petenda est licentia Papæ aut aliorum (Reiffenst., *ib.*, n° 47-52).

DE PRÆSENTATIONE.

416. « Præsentatio est personæ ad Episcopum vel alium

» cui competit institutio, per patronum legitimè facta » exhibitio ut ei de beneficio vacante provideat. » (Reiffenst., *ib.*, t. 6, n° 18.)

Qualiter differant inter se Electio et Præsentatio, vide ap. Reiffenst., *ib.*, n[is] 19-23.

Nominatio regia, in locis ubi viget, aliquid habere videtur de naturâ *Præsentationis* et ad ipsam referri potest.

DE COLLATIONE.

417. Collatio est concessio beneficii vacantis ab habente potestatem facta : duplicis speciei est : *libera* nempe et *necessaria*.

Necessaria ea est quæ fit ex necessitate juris, videlicet ob præsentationem aut electionem alicujus, vel ob mandatum superioris, aut ex causâ permutationis beneficiorum.

Libera quæ fit solo jure Prælati : proinde est gratuita concessio beneficii.

418. Differt collatio ab electione maximè in eo quòd per collationem acquiratur *jus in re*, dum per electionem acquiritur duntaxat jus *ad rem* (Reiffenst., lib. 1, tit. 6, n° 25).

« Provisio, seu Pronunciatio Papæ in Consistorio, habet » vim electionis et confirmationis. Innoc. in cap. *Cùm* » *olim*, etc. » (Ferraris, V° *Episcopus*, art. 2, n° 41.)

Ex his patet Confirmationem, Institutionem, etc., referendas esse ad Collationem.

419. « Tribuitur autem Confirmatio à Pontifice, præviâ » causæ cognitione et in Consistorio Cardinalium; unde » videtur Consistorium successisse in locum Synodi pro» vincialis, in quâ præsidente Metropolitâ, Episcopi confir» mabantur. Causæ cognitio versatur super natalibus, » ætate, morum honestate, scientiâ, aliisque quæ in » Episcopo desiderantur. Si Electus vel Nominatus extra » Italiam commoretur, inquisitio de ipsius qualitatibus, à » Nuntio Apostolico, vel ab alio Ordinario de speciali Pon» tificis mandato instituitur, et processus inde confectus,

» Romam mittitur [1]. In Italiâ verò atque Insulis adjacen-
» tibus, electi vel nominati coram ipso Pontifice pericu-
» lum doctrinæ faciunt, eorumque processus in Urbe
» conficitur, quibus absolutis, totius inquisitionis et exa-
» minis acta Cardinali relatori seu proponenti traduntur,
» atque tum ab ipso, tum ab aliis tribus Cardinalibus
» Ordinum capitibus, seriò expensa et subscriptione robo-
» rata ab eodem Relatore in Consistorio referuntur, quod
» dicitur *præconizare* [2]. Dein in eodem Consistorio nisi Pon-
» tifici expedire videatur in alterum Consistorium rem
» differre ut melius Cardinales possint dotes candidati
» dispicere, judicium de ipsius idoneitate profertur, quod
» *propositionem* appellant: tum denique Pontifex, consultis
» Cardinalibus, et solemni verborum formulâ decretum
» confirmationis emittit. » Ita Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 39. V. etiam Ferraris, V° *Episcopus*, art. 2, 16-23.

420. His autem verbis concipitur decretum : *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus S., et Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostrâ, Ecclesiam N... de personâ N... providemus ipsumque illi in Episcopum præficimus et Pastorem; curam et administrationem ipsius, eidem in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo.* Vide alia ap. *Instit. R.* de *M.*, p. 324, etc.

Deinde plures conficiuntur Bullæ : una quæ continet *Provisiones* dirigitur ad Promotum; aliæ verò ad Consecratorem, ad Metropolitanum, ad Clerum populumque quibus præficitur Promotus.

421. Præter fidei professionem quæ in processu fieri debet, tenetur novus Episcopus, post suam in Consistorio promotionem, Romano Pontifici fidelitatis et obedientiæ juramentum præstare; et quidem extra Romam in manibus Episcopi Consecratoris. V. Bouix, *de Episcopo*, t. 1, p. 240. Quoad tempus ultra quoddifferri non debet consecratio diximus suprà (412).

[1] V. Constit. *Onus Apostolicæ*, Gregorii XIV; Instructionem Urbani VIII, et alia ap. D. Bouix, *de Episcopo*, t. 1, p. 210, 215, etc.

[2] Quædam eorum recenter immutata sunt; sic hodie promo-

III.

DE MODO ELECTIONIS S. PONTIFICIS ET PROMOTIONIS EPISCOPORUM AUT ALIORUM CLERICORUM AD DIGNITATES ET OFFICIA ECCLESIASTICA.

422. Quærit. 1° Quomodo facienda sit electio S. Pontificis?

Resp. Primis Ecclesiæ sæculis, præsente ac testimonium dicente populo, tum Cleri suffragio tum Episcoporum judicio, eligebantur Summi Pontifices. A tempore verò Papæ Simplicii, seu anno 467 usque ad Zachariam, anno 741, Principes sæculares, præsertim Odoacer, Theodoricus, imperator Justinianus, etc., conati sunt intrudere consuetudinem, ut sinè suâ confirmatione, nullus agnosceretur S. Pontifex. Sed sua tandem restituta est Ecclesiæ Romanæ antiqua libertas, et communiter ut apocryphi rejiciuntur duo canones à Gratiano relati (aut saltem de illorum ingenuitate valdè dubitatur) quibus attribuitur Carolo Magno et Othoni I potestas Papam eligendi (can. *Hadrianus* 22, dist. 63; et can. *In Synodo* 23, dist. 63).

423. Primus qui præcipuam partem in hoc negotio Cardinalibus tribuit, fuit Nicolaus II. Eisdem verò solis ad exclusionem Cleri populique Romani et Imperatoris, Alexander III, anno 1178, totam reservavit in Concilio Lateranensi III (Card. Soglia, *Just. Juris publ.*, p. 340), sancivitque ut nonnisi à duabus partibus ipsorum præsentium perfici posset electio (cap. *Licet, de Elect.*). D. André, V° *Pape;* Bouix, *de Curiâ Romanâ*, p. 128, etc.

Dispositiones Alexandri III confirmatæ fuêre in Conciliis œcumenicis Lugdunensi II, anno 1274, et Viennensi, anno 1312, additis variis præscriptionibus, quarum præcipua est quòd electio in posterum facienda foret in Conclavi.

Multas alias dispositiones adjecêre subsequentes Pontifices: posteriores breviter referemus.

vendus non a Cardinale, sed à Papâ proponitur in Consistorio (Bouix, *de Episcopo*, t. 1, p. 285, etc.).

424. Statim post mortem Papæ convocandi sunt Cardinales, qui ad diaconatum saltem sint promoti, nisi priùs à Papâ dispensationem obtinuerint; omnes, etiam absentes, imò et excommunicati, suspensi, aut interdicti vocandi sunt, ne ullus possit esse schismatis prætextus; item Cardinales nuper creati, etsi Cardinalatûs insignia nondum fuerint adepti. Vide infrà dicenda (706, versùs finem).

Convocati Cardinales per decem dies integros regulariter sunt expectandi. Interim demortui Pontificis funera celebrantur; die verò decimo, Cardinales Conclave ingrediuntur cum duobus vel tribus clericis, qui ideo *Conclavistæ* vocantur.

Semel ingressis exire non licet ante electionem peractam; et qui à morbo coactus exiret, jus regrediendi amitteret. Admittendi sunt tamen Cardinales tardiùs advenientes.

425. Ex Constitutione *Æterni Patris* Gregorii XV, electio fieri potest per *Scrutinium aut per Compromissum*, aut per *Quasi inspirationem*. Solet autem fieri per scrutinium. ad hoc tres sorte eliguntur scrutatores: præstitoque ab unoquoque Cardinalium juramento eligendi quem digniorem existimaverit, singuli suum deponunt votum in calice super altari posito; scrutatis deinde suffragiis, si duæ ex tribus partibus in unum conveniant, res perfecta est, modò non opponatur sibimet electum suffragium contulisse: quia in hoc casu electio foret nulla, nisi peracta fuisset à plus quàm duabus ex tribus partibus.

426. Semel autem publicato scrutinio, si duæ partes in unum conveniant, electores non possunt ampliùs variare: ideoque ii Cardinales quibus incumbit tueri sæcularium principum jura, non debent expectare finem scrutinii, si videant electionem huc vergere ut is designetur quem sua Curia repellit (sciendum est enim tres principes: Germanum videlicet Imperatorem, Regem vel Imperatorem Galliæ, Hispaniæque Regem habere singulos jus unum excludendi). Si verò duæ ex tribus partibus electorum in unum non convenerint, etiam publicato scrutinio, potest procedi ad hoc quod vocatur *Accessus*, seu potest minor pars accedere ad majorem, imò major ad minorem et etiam minimam, et

si ex hâc accessione duæ partes electorum in eumdem conveniant, absoluta est electio. Scrutinium habet locum singulis diebus, mane et vespere; Accessus tantùm vesperè, usquedum perfecta sit electio.

427. Peractâ electione, statim qui electus est, salutatur Pontifex petiturque ipsius *consensus;* quo dato, continuò, absque ullâ quâcumque confirmatione, sic electus, etsi ad ordines nondum promotus efficitur Christi *Vicarius* supremam et plenam possidens auctoritatem in universalem Ecclesiam. Ordinariè suum nomen commutat[1], et si nondum ad ordines aut ad Episcopatum sit promotus, ordinatur, et episcopalem consecrationem accipit; si verò jam erat Episcopus, proceditur tantùm ad ceremoniam Coronationis (Vide André, v^{bis}, *Pape* et *Conclave; Inst., R. de M.*, t. 1, p. 237, etc.; Lequeux, n° 93; Ferraris, v° *Papa*, n^{is} 13-73).

« Electio Papæ debet celebrari in Conclavi clauso, et » uno ex dictis tribus modis; aliàs nulla est et invalida eo » ipso absque ullâ declaratione, et tàm electus quàm eligentes ejusque fautores et complices incurrunt excommunicationem aliasque censuras et pœnas S. Pontifici » reservatas. Sic expressè Gregor. XV in Constit. *Æterni* » *Patris.* » Ferraris, V° *Papa*, n° 58. Romæ fieri debet electio. Attamen alibi fieri potest aut debet, si Papa è vivis extra Romam decedat, aut tales sint temporum angustiæ ut Romæ peragi nequeat, prout post mortem Pii VI contigit.[2]

428. Quærit. 2° Qualiter, diversis temporibus, facta fuerit promotio Episcoporum?

Resp. Initio, ipsemet Christus per semetipsum Apostolos elegit (Luc, cap. 6, v. 13). Apostoli verò sine populi concursu suos cooperatores et successores elegerunt: « Hujus

[1] Quisnam fuerit Papa qui primus suum mutavit nomen non omninò constat: alii dicunt fuisse Sergium II, antea vocatum *Os porci*, quod multi fabulam esse asserunt. Alii referunt fuisse Adrianum III; alii autem Joannem XII, cujus nomen erat Octavianus; alii tandem dicunt fuisse Sergium IV, qui cùm antea Petrus vocaretur, ob tanti nominis venerationem sibi primus nomen Sergium IV imposuit. Ita Ferraris, v° *Papa*, n° 68. — [2] Speciales facultates a Pio IX statutas pro futuris duabus electionibus vide ap. *Canoniste*, 1892, p. 539 seq.

» rei gratiâ, inquit Paulus ad Titum (cap. 1, v. 5), reliqui te » Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, etc. » Varias subindè formas pro diversis temporibus expertæ sunt electio et promotio Episcoporum, semper tamen de consensu, saltem implicito Sanctæ Sedis (332, 333, 334); tres verò epochæ sunt distinguendæ.

429. *Prima epocha*. In hâc, ad electionem Episcoporum concurrebant tùm Metropolitanus et Episcopi provinciæ, tùm Ecclesiæ viduatæ clerus et populus, plus minusve distinctè. Id constat variis canonibus à Gratiano relatis, dist. 61, 62, 63. Sic autem habet can. *Nulla* 1, dist. 62, ex epistol. S. Leonis ad Rusticum : « Nulla ratio sinit ut inter » Episcopos habeantur qui nec à clericis sunt electi, nec » a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum » Metropolitani judicio consecrati. » Vide plura alia ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 176, etc.; et Ferraris, V° *Episcopus*, art. 2, n° 2.

430. Jus verò erat Metropolitano et comprovincialibus Episcopis rejiciendi votum populi, imò et Cleri, si ipsis irrationabile videretur : « docendus est populus, non se- » quendus, inquit canon 2, dist. 62, Nosque, si nesciant, » eos quid liceat, quidve non liceat commonere debemus. » Quam sententiam electioni Episcoporum applicat cap. *Nosse* 12, dist. 63. Igitur, inquit S. Cyprianus (epist. 68) eo sensu populi et Cleri inferioris consensus requirebatur, ut *Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligeretur, et dignus atque idoneus publico testimonio comprobaretur.*

431. Non omnino constans fuit ac uniformis in totâ Ecclesiâ præfata electionis forma : nam in Oriente sic modificata fuit à Justiniano (*Novell.*, 123, c. I.) : « Sancimus » ut quoties opus fuerit Episcopum ordinari, Clerici et » *Primates* civitatis, cujus est Episcopus ordinandus, de » tribus personis decreta faciant, dicentes quòd neque » propter amicitiam, neque, etc... hos elegerint, ut melior » ordinetur electione et periculo Ordinantis. » In Occidente autem mos invaluit, præsertim post barbarorum invasionem expetendi regis consensum, ut patet ex pluribus canonibus à Gratiano relatis, dist. 63 (Lequeux, n° 94).

432. Quidquid sit de his, in Oriente, durante hac epocha, Episcopi regulariter ordinabantur a Metropolitano et comprovincialibus, accedente Patriarcharum consensu [1]; Metropolitani vero a Patriarchis; Patriarchæ vero quamdam confirmationem a R. P. sæpius expostulabant [2]. In Occidente per quatuor priora sæcula, nulli fuerunt Metropolitani; Episcopi verò a vicinioribus episcopis quibus præsentibus eligebantur, consecrationem accipiebant; salvis quibusdam privilegiis, ut pro Episcopo Carthaginensi. In Italia inferiori solus R. P. omnes episcopos consecrabat. Dein in pluribus regionibus, ut in Galliâ, a sæculo quinto constituti sunt Metropolitani, quibus ferè eadem jura concessa sunt quibus fruebantur Metropolitani orientales, præsertim quoad suffraganeorum consecrationem. Quoad ipsum autem, sic ait S. Leo (can. 19, dist. 63) : « Metropolitano defuncto, cùm in ejus loco « alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad « civitatem Metropolim convenire debebunt, ut om« nium clericorum atque civium voluntate discussâ, « ex presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel diaconis optimus « ordinetur. »

433. *Secunda epocha.* — Circa duodecimum sæculum reservata fuit Capitulis Episcoporum electio [3], confirma-

[1] « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, et Penta» polim ; ità ut Alexandrinus Episcopus omnium horum habeat potes» tatem, quia et Urbis Romæ Episcopo pariter mos est. Similiter » autem et apud Antiochiam cæterasque provincias, suis privilegia » serventur Ecclesiis.... Si quis *præter sententiam Metropolitani fuerit* » *factus Episcopus, hunc Magna Synodus* definivit Episcopum esse non » oportere. » Concil. Nicæn., can. 6. Per Metropolitanum hìc Patriarcha intelligitur, v. *Tradit. de l'Eglise*, etc., t. 1, p. 53.

Innocentius I scribens Alexandro Episcopo Antiocheno dicebat : Sicut Metropolitanos, auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiâque tuâ sinas episcopos procreari. » *Trad. de l'Église, ib.*, p. 24 et 49.

[2] Pro confirmatione Patriarcharum à S. Pontifice vide epistolam S. Bonifacii I *Ad Rufum*, et plura alia relata in opere citato, *Tradit. de l'Egl.*, t. 1, p. 93, 151, 157, etc. Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 153, etc.

[3] « Separatis progressu temporis clericis a religiosis, qui omnes ad « electionem Episcoporum concurrebant, ex claro et expresso textu in

tione eorum duntaxat et consecratione adhuc ad Metropolitanum pertinentibus. Hoc constare videtur ex cap. *Cùm terra* 14, *de Elect.*, in quo agitur de Ecclesiâ Hierosolymitanâ; evidenter autem demonstratur per caput *Quia propter* 42, *de Electione*, ex Concil. Lateran. IV, anno 1215 desumptum. Sed, ut modò diximus (432), ante hanc epocham, sæculo nono, multi Episcopi, si non omnes, à Romano Pontifice confirmabantur (V. *Tradit. de l'Église*, t. 3, p. 11, etc.). Ita præsertim Metropolitæ, qui ut *plenitudinem ecclesiasticæ potestatis* obtinerent, pallium à Sanctâ Sede postulabant; vide cap. *Nisi, de auctorit. et usu Pallii*, in quo sic loquitur Innocent III : « Si postulatio Episcopi » Trojani ad Panormitanam Ecclesiam fuisset admissa, » non tamen deberet se Archiepiscopum appellare, prius» quam a Nobis Pallium suscepisset, in quo Pontificalis » Officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appella» tione confertur, etc. »

434. *Tertia epocha.* — A tempore Benedicti XII, qui, anno 1334, ad Supremum Pontificatum evectus est, Summi Pontifices Episcoporum institutionem sibi reservârunt [1]; imò paulatim ubique intermissæ fuêre electiones à Capitulis peractæ, ità ut hodie in quibusdam Germaniæ partibus solùm subsistant (Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 180 et 204).

Momenta propter quæ sublatæ fuerunt electiones, sic exponuntur in Concordato Leonem X inter et Franciscum I, anno 1516 :

« Cùm ex electionibus quæ in Ecclesiis Cathedralibus » ac Metropolitanis fiebant, grandia animarum pericula » provenirent, cùm pleræque per abusum sæcularis po» testatis, nonnullæ verò præcedentibus illicitis et simo-

» cap. *Obeuntibus* 35, dist. 63, fuit exinde statutum ut religiosi suorum » Abbatum aliorumque Superiorum, canonici verò Cathedralium suo» rum Episcoporum facerent electionem, cap. *Nullius*, cap *Cùm* » *terra*... et per totum tit. *de Elect.*, etc. Et sic tota facultas eligendi » Episcopos fuit redacta ad solos cathedralium canonicos... » Ferraris, vº *Episcopus*, art. 2, nº 5.

[1] Juxta Ferraris, vº *Episcopus*, nº 4, hæc reservatio cœpit tempore Clementis V.

» niacis pactionibus, aliæ particulari amore et sanguinis
» affectu fierent; cùm electores, etiamsi ante electionem,
» idoneiorem... eligere jurarent, sed contra, in animæ suæ
» perniciem venirent.... ut Nobis notoriè constat ex crebris
» absolutionibus, et rehabilitationibus a Nobis petitis et
» obtentis.... statuimus... quòd... Capitulum et Canonici
» ad electionem sui.... futuri Prælati procedere non pos-
» sint. »

Non nisi sensim ad hanc reservationem processêre SS. Pontifices : primùm quidem Dignitatem Episcopalem non contulerunt, nisi prout casus deferebantur ad Sedem Apostolicam, sive quia propter certos defectus in electis, necessaria erat dispensatio, sive quia dirimendi erant lites inter varios contendentes exorti. Postea verò, Joannes XXII per regulas Cancellariæ, Paulus II, per Constit. *Ad Romani Pontificis providentiam*, anno 1467 (Extrav. Comm. 14, *de Præb. et Dignit.*), sibi indistinctè et absolutè reservârunt omnium omnino Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum Patriarchaliumque electionem et collationem.

435. Porrò hæc disciplina evidenter approbationem obtinuit a Concil. Trident. : sic enim habet canon 8, sess. 23 : « Si quis dixerit Episcopos qui auctoritate Romani Ponti-
» ficis, assumuntur, non esse legitimos, anathema sit; »
et cap. 1, sess. 24, idem Concilium jubet ut « Instructio
» de personâ promovendâ quamprimùm ad Sanctiss.
» Roman. Pontificem transmittatur, ut *Ipse*, plenâ perso-
» narum notitiâ habitâ, pro gregis Dominici commodo,
» de illis, si idonei reperti fuerint, Ecclesiis possit utiliùs
» providere. »

« Hæc jurisdictionis conferendæ potestas, ait Pius VI
» (Brev. 12 apr. 1791), ex novâ disciplinâ à pluribus sæculis
» jam recepta à conciliis generalibus, et ab ipsis concor-
» datis confirmata, ne ad Metropolitanos quidem potest
» ullo modo attinere, utpote quæ illuc reversa unde
» discesserat, unicè resideat apud Sedem Apostolicam. »

436. Variis tamen temporibus insectata est hæc disciplina:

1° Jam, sæculo decimo quinto, reponebatur inter abu-

sus qui erant tollendi per reformationem Ecclesiæ in capite et membris : unde concilium Basileense (sess. 12) anno 1433, jubebat ut : « Per *electiones* et confirmationes canonicas, secundùm juris communis dispositionem, Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus vacantibus debitè provideretur » : quæ dispositio inserta fuit celebri Pragmaticæ Sanctioni quæ in comitiis Bituricensibus edicta fuit.

Sed expetentibus per multos annos SS. Pontificibus, tandem abrogata fuit dicta Pragmatica per Concordatum Leonem X inter ac Franciscum I initum, quo omnino in Galliâ suppressæ fuêre electiones, et jus nominandi Episcopos et Abbates Regi fuit tributum (Concord., tit. 3). Vide alia ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 154, etc.

437.—2° Item, anno 1791, Cœtus nationalis, per Constitutionem civilem Cleri Gallicani, antiquas electiones a populo factas restituere conatus est : sed quàm dissimiles forent illæ novæ electiones à veteribus facilè est discernere percurrendo articulos 3, 16, 19 dictæ Constitutionis, quæ ut schismatica propter hoc et alia damnata fuit à Pio VI.

438. — 3° Tandem Napoleo I, quærens viam quâ posset obtinere institutionem Episcoporum, non obstante oppositione Sedis Apostolicæ, Concilium Parisiis anno 1811 convocavit.

Quandiu libertate potitum fuit Concilium, sese incompetentes ad solvendam difficultatem declarârunt Patres Concilii; ideòque violenter à Napoleone dissoluta fuit Synodus. Mox verò, iterum congregatis Episcopis, post incarcerationem quorumdam, emissum fuit à majoritate decretum sequens :

« Les six mois expirés, sans que le Pape ait accordé l'institution, le Métropolitain procédera à l'institution de l'Évêque. Le présent décret sera soumis à l'approbation de N. S. Père le Pape. »

439. Nihil prætermisit Napoleo quin S. Pontificem, quem detinebat in captivitate, adduceret ad sanciendam præfatam dispositionem : optatum finem se assequi existimavit per Concordatum 25 januar. 1813, cui Pontifex

morbo et durâ captivitate debilitatus, subscripsit. At vero, absque longâ morâ, contra hoc Concordatum vi à se ereptum strenuè ac magnanimiter reclamavit Pius VII, quod reverà executionem non obtinuit.

440. Hodie in Galliâ Episcoporum electiones fiunt juxta dispositionem Concordati 1801, cujus articulus quintus innovat in hâc parte dispositiones Concordati inter Leonem X et Franciscum I initi, et cujus tenor hic est :

« Consul Primus ad Episcopales sedes quæ in posterum » vacaverint, novos Antistites nominabit; iisque, ut in » artic. præcedenti constitutum est, juxta formas relativè » ad Gallias ante regiminis commutationem, Apostolica » Sedes canonicam dabit institutionem. »

Per artic. verò 17 conventum fuit ut præfata dispositio locum non esset habitura in casu quo *aliquis ex successoribus Primi Consulis catholicam religionem non profiteretur.*

Similia Concordata cum pluribus aliis regnis catholicis inita fuerunt à SS. Pontificibus, de quibus vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 130. De his legenda est prop. 50 *Syllabi.*

441. Quærit. 3° Ad quem pertineat Collatio beneficiorum et officiorum quæ à Prælaturis diversa sunt?

Resp. Quæstio est expendenda sub duplici respectu : 1° relativè ad jus commune; 2° relativè ad specialem Ecclesiæ Gallicanæ præsentem statum :

1° Quoad *Jus commune :* Primarius et Supremus omnium beneficiorum et officiorum Collator est S. Pontifex : accepit enim ab ipsomet Christo plenam et independentem potestatem pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam; proinde conferendi beneficia et officia ecclesiastica. Unde hoc disciplinæ punctum ad ipsam fidem pertinet et à nemine catholico negari potest. « Neque prærogativam hanc » et potestatem ullum ei Concilium adimere et minuere... » potest, aut etiam Papa concedens Ordinariis aliisque facul- » tatem conferendi beneficia, se privat aut privare potest » dictâ facultate a Christo acceptâ. » Leuren. (*Forum benef.*, part. 2, p. 512.—V. Bouix, *Instit. jur. canon.*, p. 260-288).

442. Multiplici modo Papa jus beneficia conferendi exercere valet ; videlicet :

1° *Jure concursûs,* quatenùs concurrit cum cæteris collatoribus inferioribus : semper enim sic concurrere potest, cùm eâ facultate nequeat privari.

2° *Jure devolutionis :* dum ex aliquâ causâ à collatoribus inferioribus, ad Papam fit devolutio juris conferendi : casus specialiter contingeret si collatores inferiores neglexissent, intra tempus à jure præfixum, beneficium conferre, vel si contulissent eo modo quem jus irritat et propter quem devolutionem decernit (Bouix, *De Parocho*, p. 112).

443. — 3° *Jure præventionis,* dum nimirum ante vacationem beneficii Pontifex mandat ut illud, vacatione superveniente, conferatur, vel etiam ipsemet confert, determinatæ personæ. « Concil. Trident. (sess. 24, cap. 19, » *de ref.*)... mandata de providendo, et gratiæ exspectativæ, et aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura beneficia, » sublata sunt, simul et reservationes mentales quibus » Pontifex beneficium aliquod in gratiam alicujus personæ » reservabat, reticito et quasi in mente servato nomine » ipsius personæ... quæ quidem Tridentini decreta... per » regulas Cancellariæ (Pontifices) curaverunt ut in posterum religiosè custodirentur. Verùm ad reservationes » quod attinet, Tridentini Patres duxerunt nihil esse immutandum. Itaque reservationes in Ecclesiâ vigent. » (Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 89.)

444.—4° *Jure reservationis*, dum Papa confert certa beneficia quæ Ipse sibi privativè reservavit.

Cùm de facto Sedes Apostolica uti non soleat jure *concursûs* et *præventionis* et sufficiant modò dicta de jure *devolutionis*, dicendum nunc tantùm de *jure reservationis* (Vid. S. Lig., lib. 4, n° 86).

Quando S. Pontifex sibi reservavit beneficium pro uno tantùm casu vacationis, ille reservationis modus non dicitur propriè *reservatio* sed *affectio.* Si verò sibi reservaverit quoad omnes in perpetuum vacationes, tunc propriè vocatur *reservatio.*

Juxta Canonistas cœpit S. Sedes hujusmodi reservationes sibi tribuere sæculo XIII (Bouix, *de Parocho*, p. 312).

445. In Sexto decretalium beneficia quæ *vacant apud*

Sedem Apostolicam seu *in Romanâ Curiâ*, reservantur S. Pontifici. Ita cap. *Licet* 2, *de Præbendis et Dignit.* et cap. *Præsenti* 34, ejusdem tituli. Porrò beneficia vacant in Curiâ Romanâ, quando beneficiatus moritur in loco ubi residet Papa, vel Cancellaria ejus, aut moritur in loco non plus distanti quam duabus diætis, idest 40 milliaribus italicis. V. alia ap. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 90.

Quædam autem excipiuntur, v. g. Episcopatus, Abbatiæ, aliæque Dignitates electivæ, aut quæ sunt ad præsentationem alicujus, beneficia ad nutum revocabilia, beneficia juris patronatûs laicalis, parochialia vacantia in Curiâ dum Sedes Apostolica vacat (cap. *Si Apostol. Sede* 35, *de Præb. et Dig.*, in 6°. V. Bouix, *De Parocho,* p. 318).

Item cessat hæc reservatio si beneficium intra mensem a die vacationis computandum non conferatur a S. Pontifice (cap. *Statutum* 3, *de Præb.*, in 6°). — Sed hæc extendi non debet ad cæteras reservationes infrà recensendas. Juxta Card. Sogl. (*Inst. jur. priv.*, § 90).

446. Per primam regulam Cancellariæ Sedi Apostolicæ reservantur omnia beneficia quæ ab Ordinariis aliisque collatoribus contra præscriptam à Tridentinâ Synodo formam collata sunt (Bouix, *ibid.,* p. 320).

447. Per nonam ejusdem regulam, reservantur « omnia beneficia ecclesiastica cum curâ et sinè curâ .., qualitercumque qualificata (non tamen parochiæ juris patronatûs laicalis, aut ad nutum amovibiles; Bouix, *De Parocho*, p. 322) ubicumque existant, aliàs quàm per resignationem quocumque modo vacatura, in mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris et Novembris. »

448. « Insuper Sanctitas Sua... Episcopis... quamdiù apud Ecclesias aut diœceses suas verè ac personaliter resederint duntaxat, de omnibus et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis... (ad liberam ipsorum duntaxat... dispositionem pertinentibus), quæ antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris extra Curiam vacare contigerit, liberè disponendi facultatem concedit. » Episcopi qui hanc gratiam acceptare voluerint transmittere debent ad Datariam litteras

propriâ manu signatas et sigillo munitas hujusmodi acceptationem continentes.

« Solis (Episcopis) non aliis Collatoribus (hæc gratia)
» conceditur, et viget quoad Pontifex vixerit, aut Episcopus in eâ sede permanserit; est enim veluti contractus,
» intuitu peculiaris Ecclesiæ, inter Pontificem et Episcopum initus, unde est ut cujusque novi Pontificis confirmatione indigeat... Verùm autem et personalem residentiam esse oportet; quamobrem Episcopi a propriâ
» diœcesi absentes ob gerenda negotia Ecclesiæ suæ, vel
» ipsius Apostolicæ Sedis legationem obeuntes, vel inviti
» etiam externâque vi detenti, aut in alterâ unitarum
» diœcesium residentes, beneficia interim vacantia non
» conferunt : quamquam enim in aliis rebus fictione juris
» veluti præsentes haberentur, ad rem tamen nostram fictio
» juris non prodest... Imò si initio mensis Episcopus absit,
» jus conferendi toto ipso mense amittit, quamvis præsens
» ipso vacationis die exstiterit... Cæterùm mensis incipit
» Romanorum more a mediâ nocte diei qui mensem superiorem terminat; et si ambiguum sit, utrum ante, an
» post mediam noctem beneficiatus abierit, collatio adjudicanda est Episcopo, cùm reservationes odiosæ videantur. » Card. Sogl., *Inst. jur. priv.*, § 90. Vide etiam apud S. Lig, lib. 4, n° 86.

449. Per regulam quartam reservatur Prima Dignitas in Ecclesiis Cathedralibus; de quâ vide plura ap. Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 90, p. 165), qui enumerationem reservationum sic concludit : « Sunt autem quinque reservationum genera : namque beneficia reservantur vel
» *ratione qualitatis* ipsorum beneficiorum, qualis est reservatio Episcopatuum, Primarum Dignitatum et beneficiorum majorum ; vel *ratione personarum* eadem beneficia
» obtinentium, uti beneficia Cardinalium, Curialium et
» Sedis Apostolicæ Officialium ; vel *ratione modi* quo
» vacant, veluti beneficia vacantia ob privationem, depositionem, collationem alterius incompatibilis; vel *ratione*
» *loci* ubi vacant, cujusmodi est reservatio vacantium apud
» S. Sedem aut in Curiâ; vel denique *ratione temporis* quo

» vacant, unde orta distinctio inter menses papales et » ordinarios.

450. » Jam verò reservationes reales et personales quæ » nimirum aut ratione qualitatis aut ratione personarum » inductæ sunt..... reservationes etiam inductæ ratione » modi... perpetuæ sunt, ideo quòd non solùm Cancellariæ » regulis, sed etiam Extrav. *Ex debito* aliisque constitu- » tionibus Pontificum nitantur. Quod autem attinet ad » reservationem beneficiorum... in Curiâ vacantium, solæ » parochiales Ecclesiæ in Curiâ vacantes post obitum Pon- » tificis, aut, eo vivente, vacantes et non collatæ, ab » illâ reservatione eximuntur, quia Bonifacius VIII, cap. 35, » *de Præbend.*, in 6°, earum sic vacantium collationem Or- » dinariis non ademit... Denique reservationes omnes quæ » prodeunt ab incerto eventu mensis quo beneficia vacant, » viduatâ Apostolicâ Sede, prorsus expirant. »

451. Post Romanum Pontificem nobiliorem locum inter collatores obtinent Episcopi et locorum Ordinarii : sic enim habent can. *Regenda* 4, causa 10, q. 1 : « Regenda » est unaquæque Ecclesia sub *provisione* ac tuitione Epis- » copi per sacerdotes vel cæteros clericos quos ipse cum » Dei timore provideret; » et can. *Nullus* 2, causa 16, q. 7 : « Nullus omninò Archidiaconus aut Archipresbyter... » animarum curam, vel præbendas Ecclesiæ sinè judicio » vel consensu Episcopi alicui tribuat : imò, sicut sanctis » canonibus constitutum est, animarum cura... in Epis- » copi judicio et potestate permaneat. » V. insuper cap. *Conquerente*, *de Officio*, et cap. *Ex frequentibus*, *de Instit.*

Ex quibus inferendum est quòd, quando beneficium vacans, neque est reservatum Sedi Apostolicæ, neque ullus alius probare potest jus suum illud conferendi, eo ipso ipsius collatio ad Episcopum pertinet. Bouix, *De Parochi* (p. 327).

452. Præter Episcopos et Ordinarios sunt insuper alii qui ex indultis vel legitimâ consuetudine, saltem jure delegato, beneficia vel officia conferunt (Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 93).

Ut certum nunc habetur canonicatuum et præbendarum

Cathedralis collationem *regulariter* ad Episcopum simul et Capitulum pertinere (Bouix, *De Capitulis*, p. 224). Jure autem communi jus eligendi Canonicos in Collegiatis ad Capitulum spectat; jus verò instituendi, ad Episcopum. Decisum à Rotâ, ap. Bouix, *De Capit.*, p. 264.

453. Nominatio verò Vicarii perpetui Curati in Cathedralibus pertinet ad Capitulum, approbatio verò ad Episcopum: sic enim habet Responsio Sacræ Congr. Conc. ad Episcopum Abulensem, anno 1593: « Servandam esse » S. memoriæ Pii V Constitutionem [1], et nominationem » vicariorum sæcularium ad tempus in beneficiis curatis » unitis spectare ad Amplitudinem tuam [2], perpetuorum » verò, in vim ejusdem Constitutionis spectare ad nominationem illorum in quorum Ecclesiis unitis ponentur. » Ipsi tamen prævio examine et approbatione erunt ab » Amplitudine tuâ deputandi [3]. » Vide infrà (2870) et alia ap. D. Bouix, *De Cap.*, p. 249-256.

Jure communi ad Episcopum pertinet Theologalis et Pœnitentiarii electio in Capitulis (Bouix, *de Capit.*, p. 111, 139).

454. Præfatum jus commune vigebat quidem olim, in pluribus Galliæ provinciis, sed non in omnibus: sic enim habet Riganti (*Comment. in Proœm. regul. Cancell.*, n° 55): « *Galliam quod respicit,* si loquimur de eâ parte quæ » *Patria reducta* appellatur, quia ibi taxa ad medietatem » reducta est, et in quâ olim viguit Pragmatica Sanctio,

[1] Sic habet Const S. Pii V, *Ad exequendum*, 1 Nov. 1567: « Volu» mus... et... mandamus quòd dicti vicarii *perpetui* non ad liberam » Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum in quorum » Ecclesiis unitis ponuntur cum ipsorum Ordinariorum seu eorum Vica» riorum, prævio examine et approbatione, deputentur. »

[2] Hæc tamen Vicariorum ad tempus nominatio posset pertinere ad Capitula. Citatur enim à D. Bouix, *De Capitulis*, p. 262, decisio in causâ Narniensi ubi dicitur quòd Capitulum curam animarum exerceat per Vicarium ab *eodem Capitulo quotannis eligendum* et confirmandum.

[3] Etsi presbyteri qui eliguntur in Vicarios Parochiarum unitarum essent aliunde approbati pro sacro ministerio, speciali tamen indigent approbatione Episcopi ut dictum munus Vicarii possint implere. Ita decisum a S. C. Concil. in causâ Coloniensi referunt *Analecta*, 45e livr., col. [illegible], [illegible].

» cujus loco subrogata fuerunt Concordata inita inter » Leonem X et Franciscum I... regulæ Cancellariæ locum » non habent, præter infra scriptas, nempe *de annali* » *possessore*, *de triennali*, *de verisimili notitiâ*, *de idiomate*, » *et de publicandis resignationibus*. In iis verò regionibus » *Patriâ obedientiæ* nuncupatis, quæ Pragmaticam Sanc- » tionem nunquam recognovêre, quæque post *Concor-* » *data* Coronæ accesserunt, vigent regulæ Cancellariæ. Et » Provincia (Provence) et Britannia.... subjacent Cancella- » riæ regulis. Comitatus Rossilionis et vicinæ ditiones quas » a Carolo II Hispaniarum rege, Ludovicus XIV acquisi- » vit. » Iis regionibus adjicit idem auctor provincias gallicè vocatas, *la Bresse*, *le Bugey*, *le Valromay*, *le Gex*, *la Bourgogne*. V. *Revue des sciences ecclés.*, n° 2, p. 101 et 102.

455. — 2° Hæc quidem de jure communi : deveniendo nunc ad partem responsionis quæ spectat præsentem Ecclesiæ Gallicanæ statum nempe a tempore Concordati 1801.

Dicimus : 1° Ad Episcopos absque ullâ ad Sedem Apostolicam vel ad alios reservatione, pertinere parochiarum collationem. Sic enim legitur in Concordato 1801, art. 10: « Episcopi ad parœcias *nominabunt*, nec personas seli» gent, nisi Gubernio acceptas. »

Porrò hæc vox *nominabunt* non intelligenda est tantùm de simplici *nominatione*, sed etiam *de verâ collatione*, quia in Galliâ hunc sensum habet vox *ils nommeront*, quæ adhibita fuit in priori Concordati redactione. Hoc constat ex decreto Card. Caprara, 9 apr. 1802, executorio Concordati ubi dicitur : « Neque alius, præter novos parochos » ... à novis Antistitibus *institutos*, illarum ecclesiarum » parochus.... haberi.... ampliùs possit. » Vide insuper quibus verbis idem Cardin. Legatus utebatur in singulis decretis erectionis diversarum diœcesium, conferendo Episcopis *collationem* parœciarum (*Rev. des sciences ecclés.*, n° 2, p. 103). Et sic res a tot annis intellecta fuit et nunc intelligitur. Id etiam concludi potest ex analogiâ cum Concordato inito, quatuor post annis, inter eumdem Pium VII

ac Napoleonem I pro Republicâ Italicâ : inibi enim legitur : « Sanctitas Sua concedit Episcopis jus conferendi » parœcias, quæ quovis anni tempore erunt vacaturæ. » V. Bouix, *De Parocho*, p. 322.—Card. Gousset, *Exposit. des princip.*, p. 114, etc.

456. Quod de Galliâ dicitur extendendum etiam est ad eas regiones quarum Ecclesiæ juxta dictum Concordatum 1801 reguntur, prout, v. g. Belgium. Excipit tamen Bouix parochias unitas Capitulis vel monasteriis (*De Parocho*, p. 327-328).

457. Quoad alia beneficia, ex decretis erectionis singularum diœcesium deduci posse videtur quòd Cardin. Caprara voluerit ut adhuc vigerent reservationes quæ apud nos exstabant. Circa quod vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 2, p. 101, etc. — Sed illæ reservationes non ampliùs fuerunt observatæ a tempore Concordati. Unde non solùm Canonicos, Primas Dignitates soli Episcopi Galliæ nominant sinè concursu Capituli aut indulto Pontificio, sed etiam sic pariter soli nominant Vicarios Curatos Cathedralium unitarum Capitulis.

Utrum autem hoc legitimè fiat in diœcesibus ubi adest consuetudo quadragenaria, dubitat D. Bouix (*De Capitul.*, p. 257-260), quia, inquit, hæc consuetudo carere videtur conditionibus omninò requisitis ut legitima sit; nempe quòd introducta fuerit ex *certâ scientiâ et per actus liberos* (114, 116), nonnisi enim propter ignorantiam sui juris contra illam reclamare sese abstinuerunt canonici : in diœcesibus verò in quibus consuetudo quadragenaria nondum est completa, certò illegitima est habenda juxta eumdem D. Bouix (*ibid*).

458. In gratiam tamen Episcoporum dici posset, quoad Vicarios Curatos Cathedralis, quòd Concordatum, sinè distinctione, Episcopis solis tribuat nominationem ad *quascumque parœcias;* et si res dubia remaneret, explicanda videtur per consuetudinem quæ est optima legum interpres, præsertim cùm non reclamet S. Sedes, quæ certè talem consuetudinem non ignorat; consensus autem etiam tacitus S. Sedis legitimat consuetudinem quamvis non

quadragenariam (126). Quòd autem S. Pontifex non ignoret præfatam consuetudinem, constat ex actis Concilii Remensis anno 1850, ubi dicitur : « Quorum (Canonicorum) » unus *ab Episcopo* demandatur ad regimen animarum, » qui et ab eodem revocari potest, retento canonici titulo. » (P. 107.) Adde non constare quòd consuetudo debeat introduci ex certâ scientiâ juxta dicta supra (114).

Præterea, juxta declarationem S. Congr. Concilii supra relatam (453), nominatio *vicariorum sæcularium ad tempus* (seu revocabilium) *in beneficiis unitis*, spectat *a Episcopum*, et quidem vi Conc. Trident., sess. 7, cap. 7, *de reform.* (Bouix [1], *De Regul.*, t. 2, p. 30, 31). Porrò in Galliâ vicarii curati Cathedralium unitarum sunt amovibiles, et ab Episcopo revocantur. Ergo, etc.

Vi præfati decreti Concilii possent etiam Episcopi nominare vicarios perpetuos in Cathedralibus Capitulis unitis, sed in hoc Concil. Trident., per Bullam S. Pii V, *Ad exequendum* fuisse reformatum tenent DD. et S. Congregatio. V. ap. Bouix, p. 248-251.

459. Major difficultas adesse videtur pro nominatione Canonicorum et Primæ Dignitatis in singulis Capitulis, quam etiam soli Episcopi peragunt in Galliâ per totum annum, quamvis nihil in Concordato reperiatur quòd illis tribuat hujusmodi facultatem. Imò à Cardinali Legato non fuerunt delegati Antistites Galliæ ad erigenda Capitula *nisi juxta præscriptum sacrorum conciliorum*, *juxta formam à sacris canonibus conciliisque præscriptam et ab Ecclesiâ hùc usque servatam* (Bouix, *de Capit.*, p. 242), et quod magis decretorium est, non videntur Episcopi, etiam primâ vice, elegisse Dignitates et canonicos sui Capituli, nisi virtute indulti S. Sedis, prout constat de diœcesi Cenomanensi, ap. Bouix (*De Capit.*, p. 666). Sed adhuc allegari potest in gratiam Episcoporum quòd S. Sedes illam agendi rationem cognoscat, et tamen, non tantùm

[1] Non benè sibi concordare videtur D. Bouix dicendo (*ib.*, p. 33) quòd Vicarii amovibiles parochiarum unitarum, non ab episcopo sint amovendi, sed à superioribus regularibus, etiamsi tales Vicarii sint sæculares.

sileat, sed habeat Canonicos ut legitimos, et legitimas pariter Primas Dignitates in Galliâ existentes : sic enim legitur in Concilio Avenionensi, anno 1849 (tit. 6, cap. 4, p. 73) :

« Capitulorum institutio, *in præsenti existens*, licet in » multis dissimilis, eadem tamen est in essentiâ. Concilii » Patres pro certo habent *institutionem hanc, prorsus cano-* » *nicam esse,* et illius statuta, utpote ab Episcopis prolata, » vi auctoritatis apostolicæ, fideliter esse servanda. »

In Concilio verò Remensi ejusdem anni (tit. 14, cap. I), sic legitur : « Vicarii Generales qui munus exercent Archi- » diaconorum, quorum nomine insigniti sunt apud nos, » habentur ut *Primæ Dignitates Ecclesiæ.* Ipsi in choro et » extra post Episcopum immediatè veniunt, sicut mos » apud Galliarum Ecclesias, à Concordato anni 1801, » universè invaluit; » et cap. 2... « In Capitulis primam » inter Canonicos obtinet Decanus, canonicus nempe qui » ad decanatum ab Episcopis promotus fuit. »

Præfata statuta correctioni S. Sedis subjecta, sine modificatione remissa sunt; et quamvis exhinc non possit concludi illa fuisse Romæ approbata, videtur tamen exhinc posse deduci, illa non fuisse improbata ; maximè si attendatur, quòd ex *Glossâ veteri*, juri de quo nunc agimus possit derogari; sic enim habet Glossa vetus in capite *Cùm Ecclesia Volterrana, de Electione :* « Dico quòd de jure communi » simul ad Episcopum et Capitulum pertinet collatio bene- » ficiorum (canonicalium); *sed consuetudo in pluribus Eccle-* » *siis derogat huic juri.* » De facto autem postremis his temporibus huic juri derogavit S. Sedes, approbando statuta Capitularia diœcesis Diniensis ubi dicitur, art. 3 : « In nostrâ Cathedrali Ecclesiâ *unica* est post Pontificalem » Dignitas; nempe Decanus, qui est caput totius Capituli. » Sunt insuper quatuor Officia, videlicet : etc..., art. 4, » Canonicus titularis *possessione antiquior erit Decanus...*; » art. 6, Canonicatus tum titulares, tum honorarios con- » ferre *Nobis unicè reservamus.* » De his vide *Inst.* R. de M., p. 383 ; —*Cours de droit canon,* par M. André, V° *Règles de la Chancellerie* ; — *Prælect. S. Sulpitii*, n° 350 ; — Card.

Gousset, *Exposition des Principes*, p. 122, etc. — Ipse D. Bouix, *Revue des sciences ecclés.*, nº 2, p. 107, non audet pronunciare circa illegitimitatem supradictæ consuetudinis, sed rationes pro et contra tantummodò refert. V. app. VIII.

460. Quoad cappellanos monialium, moniales quidem exemptæ habent jus (seu potius ipsarum superiores regulares hoc jus habent ex ipsomet Ferraris V. infra 1533) suum nominandi Cappellanum, sed ex justâ causâ Episcopus potest illum rejicere. Ita declaratum fuit à S. Congr. Episc. et Reg., 31 maii 1602 et 20 nov. 1603 (Ferraris, vº *Cappellanus monialium*, nº 2). Si verò Episcopus ipse dare velit monialibus cappellanum juvenem, potest Abbatissa illum non recipere, nisi deficerent ætate provecti idonei. Ita pariter fuit decisum à S. Cong. Epis., 10 decemb. 1602 (Ferr., *ibid.*, nº 3).

Pro non exemptis, quales sunt hodie omnes moniales in Galliâ, observanda sunt quæ in Concil. Remensi statuta sunt anno 1849 : « Ut parochorum ita cappellanorum nomi-» natio ad Episcopum pertinet. » (Tit. 15, cap. 3.)

461. Pro cappellanis hospitiorum generatim observatur decretum regium 31 oct. 1821, art. 18 : « Les aumôniers » sont nommés par les Évêques diocésains, sur la présen-» tation de trois candidats par les commissions adminis-» tratives. » Non tamen sinè aliquâ usurpatione spiritualis auctoritatis hæc facultas cappellanum præsentandi dictæ commissioni administrativæ tributa fuit.

Usurpatio adhuc major videtur in regulis, 30 oct. 1841, art. 40, ubi dicitur quoad institutionem cappellanorum carcerum : « Un aumônier, *nommé par le Préfet*, sur la pro-» position de l'Évêque, est attaché à la prison. » V. *Législation civ. eccl. d'André*, vº *Aumônier des prisons*. Illi enim cappellani solâ auctoritate ecclesiasticâ constitui possunt.

462. Quoad cappellanos collegiorum, dicitur pariter in regio decreto 8 apr. 1824, quòd à Ministro Instructionis publicæ *nominentur ;* sed patet quòd necessariò missionem et facultates necessarias ad suum munus obeundum ab Episcopis recipere debeant.

463. Cappellani militum magis canonicè à legibus insti-

tuuntur. Suppressi quidem fuerant decreto Regis 20 novemb. 1830, excepto casu quo, in præsidiis vel in castris, clerus parochialis huic ministerio non esset sufficiens; sed postea, restituti fuêre primùm cappellani pro servitio rei nauticæ, pro quo constitutus fuit apud Ministrum Cappellanus Primarius, decreto 31 Martii 1852.

Per Breve 31 Martii 1857 et analogum decretum Napoleonis III d. 17 Junii, restitutus fuerat Supremus Eleemosynarius (*Le Grand Aumônier*) et ordinata fuerant quæcumque ad cultum et curam pastoralem pertinebant in imperialibus palatiis. Supremus ille Eleemosynarius ab Imperatore delectus sacerdotes designabat qui in palatiis curam animarum, et in castris tempore belli curam militum gererent. (V. *Ami de la religion*, 8 et 17 Sept. 1857.) Suppressis vero et cappellano primario pro re nautica et Supremo Eleemosynario, provisum fuit per Breve 6 Julii 1875, juxta quod, quamdiu copiæ in stativis habeantur, locorum Ordinariis subsunt cappellani; quum vero e stativis eductæ fuerint (*mobilisées*), singuli cappellani, tam in ditione quam extra ditionem reipublicæ, omnes easdem facultates quibus in stativis gaudebant, libere ac licite exercere valeant, et insuper novis potiantur quibusdam privilegiis : possunt missam celebrare una hora ante auroram vel post meridiem, extra ecclesiam, super altari portatili; personas quæ ad exercitum pertinent absolvere a quibusvis reatibus sive R. P. sive Ordinariis reservatis; indulgentiam plenariam, quatuor per annum festivitatibus, solitis conditionibus concedere; paramenta sacra benedicere. Iis uti valent durante expeditione, quin locorum Ordinariis facultates ostendere teneantur.

« Les aumôniers militaires sont nommés par le ministre de la guerre, sur la présentation des évêques. » (Décret du 27 avril 1881.) Item cappellani nautici nominantur a ministro rei nauticæ, accedentibus litteris episcoporum. Viget tamen decreti 31 Martii 1852 articulus 5 : « Les aumôniers de mer continueront

» à recevoir leurs pouvoirs spirituels de l'Évêque du diocèse » duquel ressortit le port d'embarquement. » Vide infra dicenda (1548-1549.)

464. Quærit. 4° Intra quod tempus conferenda sint beneficia seu officia ecclesiastica?

Resp. sic statui à Concilio Lateran. III : « Cùm præbendas ecclesiasticas, seu quælibet officia in aliquâ ecclesiâ » vacare contigerit, non diù maneant in suspenso : *sed intra* » *sex menses* (pro sedibus episcopalibus vide supra 406, » 411, 412), personis quæ dignè administrare valeant, » conferantur. Si autem Episcopus.... conferre distulerit, » per Capitulum ordinetur... Si omnes fortè neglexerint, » Metropolitanùs de ipsis secundùm Deum absque illorum » contradictione disponat. » (Cap. *Nulla* 2, *de Conc. Præb.*) Vide S. Liguor, lib. 4, 88 et 89. Non autem in usu videtur esse hodie quòd Capitula, officiis vacantibus ob Episcoporum negligentiam, provideant.

465. *Nota* quòd ad Episcopum collatorem spectet mittere in possessionem per seipsum aut per delegatum. « Cæterum, inquit Cardin. Soglia (*Inst. jur. privat.*, § 96), » qui possessionem tradit, clericus sit oportet, aut etiam » Notarius, qui tamen à Sede Apostolicâ vel ab Episcopo » creatus sit; sæpe verò ac ferè semper presbyter in possessionem immittit, et Notarius de hâc immissione ins» trumentum conficit, præsentibus saltem duobus testibus.

» Possessio beneficii traditur vel ipsi beneficiario præ» senti, vel ejus procuratori speciale mandatum habenti; et » quanquam certa forma capiendæ possessionis nullo jure » sancita sit, aliqua tamen externa signa usu recepta sunt, » quibus possessionis traditio et acceptio significaretur. Igi» tur possessio arripitur per ingressum in Ecclesiam, » ubi est titulus beneficii, occupando sedem convenientem » veluti stallum in choro, aut campanam pulsando, altare » osculando, missale aperiendo vel claudendo, aliaque id » genus agendo quæ officium et potestatem beneficiati si» gnificent. Canonicatùs autem et Præbendæ capitularis » possessio coram Capitulo accipienda est. » Videri etiam possunt *Ordonnances* diœcesis Valentin., p. 50 et 60.

§ III.

De qualitatibus in promovendis ad Dignitates vel officia ecclesiastica requisitis.

466. In promovendis ad Prælaturas et ad alia officia ecclesiastica tres generatim qualitates à cap. *Cùm in cunctis* 7, § 1, *de Elect.* requiruntur, videlicet *ætatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia* : « Cùm in cunctis » sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint *ætatis* » *maturitas*, *gravitas morum*, *et scientia* requirendæ, » multò fortiùs in Episcopo, hæc oportet requiri. » His dotibus duæ aliæ adjiciuntur à Glossâ nempe quòd promovendus sit legitimè natus, et quòd constitutus sit in sacris ordinibus; de electo Episcopo Glossa loquitur. Vide adhuc Conc. Trident., sess. 7, c. 1, *de reform.*

467. — 1° *Ætatis maturitas* : Pro quocumque beneficio ecclesiastico obtinendo, ad minimum requiritur ætas anni decimi quarti inchoati. « Nullus, inquit Trident. (sess. 23, c. 6, *de reform.*), ante decimum quartum » annum beneficium possit obtinere. » — In promovendis autem ad regimen parœciarum requiruntur 25 anni ad minus inchoati. Ita cap. *Licet* 14, *de Electione,* in 6°, et Concil. Trident., sess. 7, cap. 3; at circa hoc nota quòd ex eo quòd alicui concessa fuerit dispensatio super ætate ad recipiendos ordines non ideo pariter cum eo dispensetur ad recipiendum parochiale beneficium.

Nota insuper pro Galliâ quòd hoc non sit applicandum succursalium deservitoribus; quia succursales in Galliâ non habentur ut beneficia strictè dicta; aut saltem de hoc non benè constat. Vide infra dicenda (5377).

Ad Dignitates et Personatus, quibus cura animarum non annectitur, 22 anni completi, præsertim in Cathedralibus requiruntur; dicit enim Concil. Trident : « *Viginti* » *duobus non minores;* » (sess. 24, c. 12, *de reform.*) quando verò ipsis subest cura animarum, requiruntur 25 anni inchoati (V. D. Bouix, *De Capit.*, p. 164, etc., et infra (2181).

Ut quis in Episcopum eligi possit, requiruntur 30 anni completi ex cap. citato *Cùm in cunctis*, § 1. Huic consonat, art. 16, legis organicæ. Concordatum verò Leonem X inter et Franciscum I initum requirebat duntaxat 27 annos.

468. *Nota* ex D. Bouix (*De Capit.*, p. 166, 8°) quòd Collatio facta non habenti ætatem requisitam, est omninò invalida, etiamsi desierit modicum tempus, etiam unica hora.

469.— 2° *Gravitas morum*, et talis quidem quæ 1° excludat vitia, ea potissimùm quæ scandalum generant, ut sunt luxuria, ebrietas, etc.; 2° quæ sit ornata virtutibus ædificationem generare valentibus.

Excluduntur ergo irregulares, excommunicati, aut aliâ censurâ irretiti, infames, qui essent privati voce passivâ quales sunt qui non servant interdictum, vel qui simoniacè promoventur, cap. 1, *de Postul. Præl.*, et cap. *Nobis fuit* 27, *de Simoniâ*; vel rejecti ab electione, cap. *Super eo*, 12, *de Elect.* (Reiff., lib. 1, tit. 6, n^is 221-233).

470.— 3° *Litterarum scientia.* —Triplex autem scientia distingui potest: *eminens*, *mediocris* et *sufficiens*.

Eminens dicitur quando quis in promptu, absque librorum revolutione, scit explicare etiam quæstiones difficiles.

Mediocris est per quam difficiles quæstiones resolvuntur, cum deliberatione tamen et inquisitione in libris.

Sufficiens seu competens vocatur ea per quam quis potest explere ea quæ ad officium suum pertinent, habitâ ratione loci et personarum.

471. Generatim loquendo, certum est ad Prælaturas et officia ecclesiastica tantam requiri scientiam seu rerum agendarum notitiam quanta est necessaria et sufficiens ad ritè explendum munus suum: « Quia tu scientiam repu» listi, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. » (Osee, c. 4, v. 6.)

« Licet in Episcopis exoptanda sit scientia eminens, » inquit Reiffenst. (lib. 1, tit. 6, n° 207), adhùc tamen » mediocris, imò et sufficiens in ipsis toleratur. Ità com» munis. » Sic enim habet cap. *Nisi cùm pridem*, § *Pro defectu*, *de Renunt.*: « Quanquam, et desideranda sit emi» nens scientia in Pastore, in eo tamen sit competens

» toleranda : quia secundùm Apostolum , *scientia inflat*, » *charitas autem ædificat*, et ideo imperfectum scientiæ » potest supplere perfectio charitatis. » Vide etiam Concil. Tridentin., sess. 22, cap. 2, *de reform.* [1].

Quoad alia officia requiritur pariter scientia quæ sit saltem sufficiens, juxta naturam officii, si præsertim ei adjungatur cura animarum. V. Reiffenst., lib. 1, t. 6, p. 205-209.

472. Imò pro quibusdam officiis requiritur ut promovendus *aliquo gradu* academico sit insignitus; videlicet: *ubi fieri potest*, juxta Tridentinam Synodum (sess. 24, c. 12, *de ref.*), Archidiaconus debet esse doctor in theologiâ aut licentiatus in jure canonico; *Theologalis* et *Pœnitentiarius* debent esse doctores vel licentiati in theologiâ aut jure canonico, si tales in diœcesi inveniri possint. V. Bouix, *De Capit.*, p. 112 et 127. Pro Episcopis, vide Trident., sess. 22, cap. 2, *de ref.*; pro scholasteriis, vide *ib.*, sess. 23, c. 18, *de ref.*; pro Vicariis Capitularibus, vide sess. 24, cap. 16, *de ref.*

473.—4° *Thorus legitimus*. Id constat ex titulo de filiis presbyt. et titulo *qui filii sint legitimi;* constat etiam ex Concil. Trident., sess. 7, c. 1.

« Si quis illegitimus dispensationem obtineret ad reci- » piendos sacros ordines, non ideo poterit ad Episcopatum » promoveri, sed novâ indiget Sedis Apostolicæ dispensa- » tione. » Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 310.

Item requiritur ut electus in Episcopatum sit e parentibus catholicis oriundus : ita Const. *Onus Apostolicæ* Greg. XIV, 1 maii 1590.

474.—5° *Ordo seu status clericalis*. Ex jure communi ad beneficium simplex sufficit prima tonsura (cap. *Ex litteris* 6, *de Transact.*); nisi agatur de Canonicatibus pro quibus requiritur ordo sacer ex Concil. Trident., sess. 24, c. 12, *de ref.*

[1] Pro Italiâ et Insulis adjacentibus Clemens VIII disposuit quòd foret præmittendum examen Episcoporum promovendorum coram Papâ et nonnullis Cardinalibus, aliquot diebus ante Consistorium. Quoad promovendos in aliis locis nihil exigitur præter processum informatorium. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 310.

Sufficit etiam prima tonsura pro adipiscendo parochiali beneficio (cap. *Si pro clericis* 8, *de Præbendis*, in 6°), sed talis promotus debet *intra annum a die adeptæ possessionis computandum*, *presbyteratûs* ordinem recipere (cap. *Licet* 14, *de Elect.*, in 6°). V. Bouix, *De Parocho*, p. 332-334.

Nemo eligi potest in Episcopatum nisi sit saltem subdiaconus (cap. *A multis* 9, *de ætate*) etiam a sex mensibus, juxta Concil. Trident., sess. 22, c. 2, *de ref.*

475. Quærit. 1° Utrum stricta sit obligatio ad officia ecclesiastica dignum eligendi?

Resp. Affirmativè. Ita DD. unanimiter ex capite *Grave nimis* 29, *de Præb.*: « Grave nimis est, inquit Alexan» der III in Concilio generali, et absurdum quòd quidam » Ecclesiarum Prælati, cùm possint viros idoneos ad eccle» siastica beneficia promovere, assumere non verentur » indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum » scientia suffragantur, carnalitatis sequentes affectum, » non judicium rationis. Unde quanta Ecclesiis damna » proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. » His concordat Concil. Trident., sess. 14, c. 3, *de ref.*

Porrò per indignos intelligendi sunt ii quibus saltem deest una ex qualitatibus supra enumeratis.

476. Quærit. 2° An promotio indigni sit irrita?

Duplici modo actus potest esse irritus: ipso quidem jure, et ante omnem sententiam, et post sententiam tantùm, in quo casu actus non est præcisè irritus sed irritandus: quæritur ergo utrum promotio indigni sit ipso jure irrita, aut solùm irritanda?

Resp. Aliquando indigni promotionem esse irritam, aliquando duntaxat irritandam. Quandonam verò irrita sit, quandonam solùm irritanda, hoc ex verbis quibus lex utitur est judicandum. — Juxta cap. *Dudum* 22, *de Elect.*, in triplici præsertim casu irrita videtur promotio: nempe si promotus, « electionis tempore pateretur vel in ordinibus » vel in scientiâ, vel in ætate defectum. » Item, juxta Concil. Trident., sess., 23, cap. 18, *de ref.*: « Officia vel Dignitates quæ » Scholasteriæ dicuntur, nonnisi doctoribus, vel magistris

» aut licentiatis in sacrâ paginâ, aut in jure canonico, et
» aliis personis idoneis... conferantur, et aliter facta *pro-*
» *visio nulla sit et invalida.* »

Item pro *Theologali* in cap. 1, sess. 5, dicitur : « Præbenda,
» præstimonium... hujusmodi nonnisi personis idoneis...
» conferantur... et aliter facta provisio *nulla sit et inva-*
» *lida.* »

477. Nulla est collatio excommunicato facta beneficii et etiam Dignitatum habentium jurisdictionem, prout Episcopatûs, Prioratûs etc., uti et præsentatio, vel electio, institutio et confirmatio, nisi in concessione excommunicatus absolvatur ad effectum provisionis consequendum.

Juxta veriorem sententiam hoc etiam de excommunicato tolerato intelligendum est. Ità S. Liguor., lib., 7, n° 181.

Dubitatur autem an beneficium validè quamvis illicitè, suspenso conferatur. S. Liguor. (lib. 7, n° 316, dub. 3) ut probabiliorem habet sententiam affirmantem.

478. Item dubitatur an collatio beneficii sit ipso jure nulla quando est facta in gratiam illius qui jam est irregularis : sententia communior affirmat. Vide ipsius momenta ap. S. Liguor. (*ib.*, n° 343), qui dum dicit sententiam negantem sibi videri *satis probabilem*, advertit tamen quòd
« adhuc stante probabilitate hujus sententiæ, nequit irre-
» gularis se immittere in possessionem beneficii, quia....
» nemo cum opinione probabili potest inchoare possessio-
» nem rei alienæ. »

479. Quando autem irrita est beneficii collatio, ipsius fructus malâ fide percepti sunt restituendi, imò etiam restituendi sunt fructus bonâ fide percepti, nisi etiam bonâ fide consumpti fuerint, aut retineri possint ob laborem ; et hoc esse applicandum statui præsenti Galliarum, non obstante art. 549 codicis civilis nostri, etsi quidam negent, affirmat auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 262.

Hic autem notanda est regula XXXVI Cancellariæ Romanæ : « Si quis quæcumque beneficia, absque simoniaco
» ingressu, aut apostolicâ aut ordinariâ collatione, aut
» electione per triennium pacificè possederit, super ejus-
» modi beneficiis molestari nequeat. » Communiùs cano-

nistæ dicunt hanc regulam valere, tam in foro interno quàm externo, modò sit bona fides, titulus coloratus, et ablata fuerit causa incapacitatis, v. g. irregularitas, censura, etc. In eodemque casu legitimari per præfatam regulam retentionem fructuum. *Prælect. S. Sulpitii*, 263.

480. Quærit. 3° An sufficiat eligere dignum ad Prælaturas, aut alia beneficia vel officia ecclesiastica?

Resp. Pro Prælaturis et beneficiis parochialibus, certum est non sufficere eligere dignos, et « nullo modo excusari » à peccato mortali eos qui promovent minus dignos. » (S. Lig., lib., 4, n° 91, 92.) Nititur ea sententia præsertim verbis Concil. Trident., sess. 24, cap. 1, *de reform.*, ubi dicitur : « Alienis peccatis communicantes *mortaliter* » *peccant*, qui, nisi quos *digniores et Ecclesiæ magis utiles* » ipsi judicaverint... præfici diligenter curaverint. »

« Ex quo patet, inquit S. Lig. (*ib.*, 91), peccari graviter » Pontifices et Reges qui ad præfatas Dignitates non dig- » niores promovent. »

Idem dicit D. Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 312) de Ministro cultuum, qui in Galliis nominandos Imperatori proponit, et de Episcopis qui à gubernio consuluntur, nisi eos suggerant quos digniores et Ecclesiæ utiliores existimant. »

481. Pravam verborum Concilii Trident. interpretationem à nonnullis datam Innocent. XII, decreto 9 Martii 1679, damnavit in sequenti propositione : « Cùm dixit » Concil. Trident., eos alienis peccatis communicantes pec- » care qui, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles, » ipsi judicaverunt, ad Ecclesias promovent : Concilium » vel 1° videtur per hoc *digniores* non aliud significare » velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo » pro positivo : vel 2° locutione minùs propriâ ponit » digniores ut excludat indignos, non verò dignos; vel » tandem loquitur 3° quando fit concursus. »

482. Quoad verò alia beneficia simplicia aut officia ecclesiastica quibus non subest cura animarum, controvertitur utrum sit peccatum mortale illa conferre dignis, omissis dignioribus : affirmantem sententiam S. Lig. (lib. 4, n° 93)

communiorem et probabiliorem vocat, adjiciendo quasdam limitationes quæ legendæ sunt n[is] 94-95, etc.

483. Porrò per *dignos* respectu beneficii vel officii ecclesiastici intelligendi sunt qui habent sufficienter omnes qualitates jure requisitas ad munus obeundum. *Digniores* verò censentur qui comparatione aliorum majorem sufficientiam aptitudinemque ad ministrandum habere dignoscuntur.

484. « Et quidem isthæc major sufficientia dignitasque, » inquit Reiffenstuel (lib. 1, t. 6, n° 236), non præcisè » mensuranda est ex majori doctrinâ, vel majori vitæ pro- » bitate, aut generis nobilitate, sed conjunctim ex omni- » bus animæ et corporis dotibus, ipsâque aptitudine ad » regendum ; adeo ut, omnibus his insimul consideratis, » Ecclesiæ... cui præficitur, cæteris utilior fore credatur. » Unde S. Thomas, 2, 2, q. 185, art. 3... sic inquit : « *Et* » *ideo ille qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de* » *eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter,* » *quod est secundùm charitatem, sed meliorem quoad regimen* » *Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere et* » *defendere et pacificè gubernare.* Idipsum... satis indicat » Concil. Trident., sess. 24, c. 1, *de reform.*, dùm monet » digniores et Ecclesiæ magis utiles esse præficiendos. »

« Major dignitas eligendorum, inquit S. Lig. (lib. 4, » n° 92), non accipienda est absolutè... sed respectivè ad » utilitatem Ecclesiæ et fidelium .. Cæteris autem paribus » dicunt Salmant... censendum esse digniorem 1° qui est » senior ; 2° qui de suis bonis fundavit Ecclesiam ; 3° sacer- » dos in concursu non sacerdotis ; 4° originarius respectu » extranei ; 5° graduatus in aliquâ scientiâ ; 6° qui præ- » ditus est majori sanctitate aut prudentiâ, præferendus » est ei qui solâ scientiâ præeminet ; 7° potens et nobilis, » quia hæc solent non parum conducere ad Ecclesiæ » bonum ; 8° pauper præferendus est diviti. »

485. Quærit. 4° Utrum valida sit electio digni, digniore prætermisso ?

Resp. cum S. Lig. (lib. 4, n[is] 102 et 103) : « si beneficium » est simplex, certum est valere ex communi DD... Du- » bium est si sit curatum. Negant probabiliter Pal...

» Sanch... et Salm... Affirmant verò probabiliùs Lugo, etc.
» Ratio quia... S. Pius V in suâ Bullâ (1566) præscripsit
» appellationem interpositam *non impedire* quominùs elec-
» tio per Ordinarium primo loco facta, interim executioni
» mandetur... Ergo electio facta erit valida donec judex
» appellationis eam revocet. »

Non potest autem appellari de electione digni, digniore prætermisso, nisi in casu concursûs, propter specialem dispositionem Constit. S. Pii V *In conferendis*, et ratio est, inquit Reiffenstuel (lib. 1, tit. 6, n° 268), quia « si electio impugnari posset in foro externo seu judiciali, » ex eo duntaxat quòd non fuerit electus melior, facilè » omnis electio posset habere hanc calumniam, et lata » porta aperiretur innumeris litibus, quod est absur- » dum. »

Imò, in casu concursûs, appellatio videtur parùm utilis appellanti : difficilè enim ordinariè erit probare judicium Episcopi eligentis minus dignum, fuisse irrationabile.

486. Quær. 5° An teneantur ad restitutionem eligentes dignum, omisso digniore?

Resp. Quæstionem hanc esse controversam; de eâ, vide S. Lig. (*ib.*, n^is^ 106-110), qui plures casus discutit. In casu autem concursûs sententia affirmans communiùs tenetur, et est valde probabilior.

487. Quærit. 6° An et quales pœnas incurrant eligentes indignum?

Respondet Reiffenstuel (lib. 1, tit. 6, n° 262) : « Eligentes » scienter indignum in Episcopum vel eo superiorem, sunt » ipso jure à beneficiis ecclesiasticis suspensi per trien- » nium. Ita habet expressum cap. *Cùm in cunctis*, 7, » § *Clerici*, *de Elect.* » In aliis electionibus præfata pœna locum non habet. Suppressa est suspensio C. *Apost. Sedis*.

488. Quærit. 7° Utrum licitè ab unâ parochiâ in aliam transferri possint sacerdotes moribus depravati?

Resp. Vel, dum eorum sacerdotum depravatio est ignota in novâ paræciâ in quam transferuntur, spes est fundata quòd ad meliorem frugem redibunt et non ampliùs scandalizabunt fideles; et tunc licitè transferri possunt a paro-

chiâ in quâ vitiis indulgebant in alteram parochiam quam, meliori vitâ, sperantur ædificaturi; vel hujusmodi spes non habetur, aut etiam earum perversio ita palàm innotescit ut diffamati sint in totâ diœcesi, et tunc non est licitum illos transferre ad novas parœcias : unde si adsit necessitas, illos a suis officiis removendi, non amplius curæ animarum debent præfici, nisi per veram et publicam conversionem suam bonam famam priùs recuperaverint; alioquin scandalum latiùs spargeretur : sed tunc, meliori quo potuerit modo, eorum indigentiæ est providendum.

489. Quærit. 8° An, si Papa vel Episcopus scienter assumeret inhabilem ad aliquod officium vel Dignitatem, censeretur eo ipso cum eo dispensare super inhabilitate?

Resp. 1° Si Papa inhabilem *jure humano*, scienter assumat eo ipso censetur illum reddere habilem, quia si secus ageret, peccaret, cùm non liceat eligere inhabilem; non verò censeretur illum reddere habilem, si ignoranter inhabilem assumeret, nisi intendisset supplere defectum qui posset occurrere, seu dispensare *ad cautelam*, quod potest facere si velit, et quidem validè etiam sinè causâ, quamvis illicitè. Patet quòd Papa nullatenus possit reddere habilem, qui inhabilis esset jure naturali aut etiam divino.

2° Quod dictum est de Papâ dici etiam potest de Episcopo, si inhabilitas ex solâ lege diœcesanâ accideret : si verò inhabilitas proveniat ex lege Superioris, Episcopus, etsi haberet a Superiore facultatem dispensandi, v. g., ad suscipiendos ordines, non censetur velle dispensare, nisi sciat inhabilem esse quem assumit, quia cùm inferior non possit validè dispensare in lege superioris nisi ex justâ causâ, si vellet Episcopus reddere habilem quem ignorat inhabilem esse, temerè ageret sese exponendo periculo sinè causâ dispensandi, ac proinde invalidè et illicitè, quod non est præsumendus velle facere. V. Reiffenst., part. 2, lib. 1, tit. 2, nis 481-483.—S. Lig., lib. 7, 353 in fine.

CAPUT III.

DE CESSATIONE ET RESTRICTIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

ART. I.

DE CESSATIONE JURISDICTIONIS DELEGATÆ.

490. Quæ diximus in Prolegomenis de revocatione et cessatione rescriptorum (71-76) et privilegiorum (168-172) applicanda veniunt cessationi jurisdictionis delegatæ. Sufficit ergo ut pauca tantùm hìc adjiciamus :

1° Non cessat jurisdictio per renuntiationem delegati nisi acceptata fuerit a superiore : ita cap. *Licet*, *de Procur.*, in 6° : « Licet is qui procurator instituitur ab absente, » dixerit se nolle suscipere mandatum, quamdiù consti- » tuens in eâ perstiterit voluntate, ipsum acceptare vale- » bit, quandocumque placebit. » Vid. S. Lig., lib. 1, n° 198.

491. — 2° Non requiritur causa ut revocatio jurisdictionis delegatæ obtineat effectum ; unde Clerus Gallicanus, anno 1700, damnavit sequentem propositionem : « In ministro » Pœnitentiæ requiritur approbatio Ordinarii, quæ potest » limitari, sed non revocari sinè causâ. »

492. — 3° Revocatio non parit effectum nisi notificetur delegato, constat ex cap. *Audita* 4, *de Restit. spol.* : « Quia » non intelleximus nec intelligi debuit, ut revocaretur » quod per vos factum esset auctoritate litterarum nostra- » rum (priorum), mandamus, quatenus sententiam quam » *protulistis ante posteriorum litterarum receptionem,* » *occasione ipsarum nullatenus revocare tentetis.* »

493. Quærit. Utrum et quatenus jurisdictio delegata cesset per mortem delegati, aut per ejus quamlibet mutationem ?

Resp. Jam supra, loquendo de Privilegiis (172), diximus quòd si privilegium sit personale, cesset per mortem privi-

legiati; si verò sit reale, transeat ad hæredes seu successores illius. Id conforme est, regulæ juris 7, in 6° quæ sic se habet : « Privilegium personale personam sequitur » et extinguitur cum personâ. »

Non cessat tamen delegatio personalis per quamlibet delegati mutationem, sed ordinariè ipsius personam sequitur, etiamsi sit delegatus à Papâ et amiserit Dignitatem quæ ad talem delegationem requiritur, nisi eâ privatus fuerit in pœnam delicti, vel nisi amiserit transeundo ad statum incompossibilem, v. g. matrimonium contrahendo aut ingrediendo religionem in cujus constitutionibus prohibeatur delegatarum causarum cognitio (V. Bouix, *De Judiciis*, t. 1, p. 161 et 162;—Sanchez, lib. 8, disp. 37, n° 27). Ratio patet: cùm enim talis delegatio sit personalis debet sequi personam, nec extinguitur nisi extinctâ personâ. Difficultas in hoc puncto est posse discernere quandonam delegatio sit personalis, quandonam verò sit realis. Ad hoc discernendum, inquit Sanchez (*ib.*, n° 3): « Non principaliter spectandum... an delegatio fiat expresso » nomine delegati, an expressâ ejus dignitate : sed hanc » considerationem esse ultimum remedium, quando » nempe ex subjectâ materiâ, vel ex aliis verbis in dis» pensatione contentis deduci nequit. Quare priùs sunt » alia verba et subjecta materia perpendenda; et quando, » illis perpensis, res adhuc dubia manet, id dijudicandum » ex nominis proprii delegati aut ejus dignitatis expres» sione. » Et si in delegatione exprimantur simul nomen proprium delegati et nomen dignitatis, qualecumque primum exprimatur, tunc juxta Sanchez (*ib.*, n° 20), qui tamen tres alias sententias refert, delegatio habenda est ut personalis, supposito semper quòd ex aliis circumstantiis secus non sit judicandum.

« Si verò, inquit Reiffenst. (lib. 1, tit, 29, n° 129), » pensatis omnibus, adhuc remaneat dubium an facta » delegatio sit personalis vel realis, tunc ejusmodi delegatio » censenda est personalis, seu intuitu personæ concessa, » ac proindè non transiens ad successorem... ratio est quia » jurisdictio delegata est odiosa et strictè interpretanda. »

494. Si parocho cuidam concederentur facultates extraordinariæ, v. g. absolvendi à quibusdam casibus reservatis, etiam modo indefinito, non inde concludendum esset illas facultates post mortem ipsius aut mutationem fore transituras ad ipsius successorem; quia ex usu non intelliguntur concessæ, nisi tali parocho, quamvis non suo nomine designaretur. Item facultates a S. Sede concessæ Episcopis dispensandi in certis impedimentis, aut communicandi confraternitatibus indulgentias, aut alia similia per unum aut plures annos, non transeunt ad Capitulum, nec ad successorem, et ita in praxi servatur.

495. Reverà quoad facultatem dispensandi ab Apostolicâ Sede delegatam Episcopis aut eorum Vicariis Generalibus pro determinatis casibus, dubitari posset, 1° utrum tales delegationes sint personales; 2° utrum, etiamsi essent reales, censeantur commissæ Vicariis Capitularibus: id est, utrum Vicarii Capitulares vocari possint successores Episcoporum aut eorum Vicariorum Generalium. In Galliâ multi tenent tales delegationes esse reales, et executioni, mortuis Episcopis, posse mandari a Vicariis Capitularibus (Ità Carrière, *De Matrim.*, n° 1142; Lequeux, n° 113, quibus consentit ipsemet Sanchez, *de Matrim.*, lib. 8, disp. 27, n° 33). Aliter autem sentiunt multi extranei, varias allegantes Congregationum Romanarum declarationes. Id ut certum etiam docere videtur Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 2, cap. 9, n° 3. « Ideo, inquit, » Vicarius Capitularis exequi nequit præfatas litteras, » quia istæ directæ sunt Episcopo vel Episcopi Vicario » generali; et capitularis, quanquam exerceat episcopalem jurisdictionem, non tamen est Episcopus aut Vicarius » Generalis Episcopi. »

496. Quoad delegationem transitoriam à Papâ factam Episcopo pro aliquo negotio particulari, communi sensu docent canonistæ, illam cum Episcopo extingui, nec transire ad Capitulum (Bouix, *De Capit.*, p. 617).

Reverà Ferraris (v° *Vicarius Capituli*, art. 2, n° 15), ait: « Potest (Vicarius Capitularis) executioni demandare litteras Episcopo per Sacram Congregationem directas, et

» ab illo non executas. Sacr. Congr. Episc. et Reg., 10 apr.
» 1615; » sed ipsemet Ferraris (*ib.*, n° 63) dicit : « Vicarius
» Capitularis non potest expedire dispensationes matri-
» moniales directas Episcopo et ejus Vicario Generali.
» S. Congr. Concil., 24 maii 1721, ap. Barbosa. »

Optatissimum nobis fuisset simpliciorem ac clariorem regulam tradere ad discriminandos varios casus in quibus delegatio sit personalis vel realis, sed pluribus de hâc re auctoribus perlectis, nihil præfatis luculentius invenimus.

497. Pro quæstione qualiter facultates delegatæ cessent per mortem concedentis vide supra in *Prolegomenis* (71-73). Vid. etiam auct. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 274.

ART. II.

DE CESSATIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ ET VACATIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

498. Multiplici modo vacare possunt officia ecclesiastica et proinde jurisdictio ordinaria. Non solùm enim vacant per mortem, sed etiam : 1° per dimissionem; 2° per translationem; 3° per privationem aut revocationem; 4° per quosdam alios eventus infra recensendos. Cùm de cessatione per mortem nihil speciale sit in præsenti dicendum, sufficit ut de aliis modis hìc solùm sermonem habeamus.

§ I.

De dimissione seu renuntiatione officiorum ecclesiasticorum.

499. Dimissio quæ vocatur etiam *renuntiatio*, *resignatio*, *cessio*, est *spontanea officii ecclesiastici derelictio, facta coram legitimo Superiore eam acceptante.*

Dividitur in *tacitam* et *expressam : Tacita* est ea quæ fit facto resignationem significante, vel ex dispositione juris eam importante absque aliâ verborum prolatione; si, v. g. clericus beneficiarius in minoribus constitutus contrahat matrimonium, ipsius beneficium ipso jure vacat (c. 1 et 3, *de Cler. Conj.*). Item censetur suum beneficium abjicere si

factus sit miles aut jaculator; si religionem solemniter profiteatur (cap. *Beneficium* 4, *de Regul.*, in 6°); vel si recipiat aliud beneficium incompossibile cum priore, cap. *Multa* 28, *de Præb.;* et Extrav. *Execrabilis* eod. inter Communes.

Expressa ea dicitur quæ fit expressis verbis aut scriptis; quæ iterum duplex est; *pura* quæ absque ullâ conditione; et *conditionalis* quæ fit sub aliquâ conditione: ut, v. g., si dimittatur beneficium eâ tantùm conditione ut determinatæ personæ conferatur, quod propriè est *resignatio in favorem*, et fieri nequit absque S. Pontificis auctoritate; vel si permutetur beneficium cum alio, quo in casu permutans non dimittit nisi sub conditione quòd superior consentiat; vel denique si renuntians sibi reservat *jus regrediendi*, factâ quâdam hypothesi, aut sibi stipulet jus ad partem fructuum beneficii vel pensionem (Reiffenst., l. 1, t. 9, n^is 8-72). De omnibus his fusiùs disseremus loquendo de beneficiis et de simoniâ (503, etc., 5450, etc., 6165, etc.)

500. Præter dimissionem simplicem fieri potest, etsi rarissimè hoc contingat, resignatio *loci et dignitatis*, et Prælatus sic resignans, non tantùm suâ sede destituitur, sed et functionibus suæ dignitatis, quas etiam de consensu Ordinarii non potest tunc ampliùs exercere. Hoc genus dimissionis adhibetur vel ad præveniendam depositionem juridicam, vel ad amplectendam vitam monasticam. V. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 172 in fine. Idem dicit Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3, n^is 76, 79: « Episcopus qui » renuntiavit Episcopatui quoad *locum tantùm*, potest con- » ferre ordines etiam majores textu expresso in... cap. » *Requisivit* 1, *de ordinatis ab Episcopo...* dummodo ta- » men sit rogatus ab aliquo Episcopo. Episcopus qui renun- » tiavit Episcopatui quoad *locum* et *dignitatem simul*, » nequit licitè ordines sacros conferre: cit. cap. *Requi-* » *sivit.* »

Numero verò 72, idem addit: « Episcopus simpliciter » renuntians censetur in dubio renuntiasse *loco tantùm...* » nisi propter criminis conscientiam, seu ex metu depo- » sitionis ita renuntiaverit. »

501. Quærit. 1° Quis possit officio suo renuntiare?

Resp. Regulariter loquendo quilibet clericus potest in manus legitimi superioris renuntiare suo officio, ex causâ justâ. Ita communiter ex cap. *Nisi cùm pridem* 10, *de renuntiatione*.

Dictum fuit 1° *regulariter :* Nam 1° ex Const. S. Pii V, 58 *Quanta Ecclesiæ*, § 3 : « Nullus sacro ordini mancipatus, » nisi religionem ingressurus » (ingressuri religionem non valent tamen sua beneficia resignare nisi intra bimestre professionem præcedens : Concil. Trid., sess. 25, c. 16, *de Regular.*) « valeat ullo modo beneficium vel officium » ecclesiasticum resignare nisi aliunde ei sit quo in vitâ » possit commodè sustentari. » Vide etiam Concil. Trident., sess. 21, c. 2, *de reform.* — 2° Ex regulâ 19 Cancellariæ, clericus infirmus nequit suo beneficio renuntiare infra 20 dies quæ suam mortem præcedunt, sive permutationis causâ, sive in favorem determinatæ personæ. Vid. Card. Soglia, *Inst. Juris priv.*, § 99; — Reiffenst, lib. 1, tit. 9, n° 45.

Dictum fuit 2° *Ex justâ causâ*, nam si cuique pro arbitrio licitum esset munus suum deserere, hoc vergeret in ruinam disciplinæ et maximum animarum detrimentum. Ita omnes (Reiffenst., lib. 1, tit. 9, n° 34.).

502. Quærit. 2° Quænam conditiones requirantur ut valeat renuntiatio officii.

Resp. Ut valeat renuntiatio officii tria requiruntur: 1° quòd sit libera; 2° quòd sit immunis ab omni pactione simoniacâ; 3° quòd à legitimo superiore acceptetur.

1° Debet esse *libera ;* proinde non extorta per vim aut dolum, alioquin esset nulla, si error esset substantialis aut si omnino per vim perimeretur liberum arbitrium; si verò adsint advertentia et libertas modo sufficienti, renuntiatio valida quidem esse poterit (nam coacta voluntas est tamen voluntas), sed rescissioni locus esse poterit, ex cap. *Super hoc, de Renunt.*; Glossa, v° *resignationis* et ex cap. *Abbas* 2, *de his quæ vi aut metu*, etc.; ubi dicitur: « Quæ metu et » vi fiunt, debent in irritum revocari. » V. *Analecta Jur. Pont.*, juillet 1855, col. 1530.

« Non autem, ut rectè dicit Lequeux (n° 116), vim propriè » dictam pati censetur, is qui, criminis cùm sit reus, » timet, vel cui timor incutitur ne juridicè accusetur et » ne per sententiam ignominiosam privetur. Imò pluries » rejecta fuit eorum reclamatio, qui dicebant se *renuntiasse* eò quòd ipsis incuteretur accusatio circa ea cri- » mina, quæ non importabant privationem juridicam » beneficii. » V. Gohard, t. 3, p. 423.

503. — 2° *Immunis esse debet ab omni pactione simoniacâ;* constat ex pluribus capit. juris canonici, nempe ex cap. *Super hoc* 6, *de Renunt.;* ex cap. *Matthæus* 23, *de Simoniâ;* et Extrav. *Cùm detestab.*, *de sim.*, inter communes.

Hinc renuntiatio facta cum pacto ut resignatarius solvat expensas olim a resignante factas in assecutione illius beneficii, est simoniaca.

Similiter cuipiam beneficium procurare, ut is sibi vel alteri cum fructibus vel aliquâ eorum portione suo tempore cedat est simonia confidentialis. Item est simonia si imponatur obligatio solvendi pensionem (6165).

504. Permutatio beneficiorum est illicita si privatâ auctoritate fiat, et sic permutantes privandi sunt suis beneficiis, ex cap. *Cùm olim, de rerum permut.* Si verò fiat auctoritate legitimi superioris ex justo motivo, licita est juxta cap. *Quæsitum* 5, *de rerum permut*, positis tamen quibusdam conditionibus quas videre est ap. Reiffenst. (lib. 1, tit. 9, n^{is} 100 et seq.).

« Licet clerici propriâ auctoritate nequeant inter se be- » neficia sua permutare.... licitè nihilominus possunt iidem » inter se tractare et convenire de permutatione faciendâ, » si erit accessura auctoritas superioris. » (Reiffenst., *ib.*, » n° 102;—S. Liguor., lib. 3, 72.)

Sed renuntiatio facta in favorem tertii, si fiat cum pacto in manus Episcopi est simoniaca, secus si non adsit pactum et liber sit Episcopus, etsi resignans suum desiderium quòd certæ personæ conferatur beneficium Episcopo manifestet. An autem permutatione postea effectum non habente, possint permutantes propriâ auctoritate ad sua bene-

ficia redire, controvertitur. V. S. Lig., 3, 72 in fine, et infra dicenda (5469). Controvertitur etiam, an factâ resignatione in manus Episcopi cum conditione in favorem tertii, possit Episcopus admittere resignationem, conditione rejectâ. V. S. Liguor., lib. 3, 84.

505. Plures sunt autem casus in quibus ex solâ auctoritate Episcopi, beneficia, saltem probabiliter, dimitti possunt cum impositione pensionis in gratiam resignantis, nempe v. g. ne remaneat sine alimentis quibus eget, ob bonum pacis, ut lis finiatur, etc. Vide. S. Liguor., lib. 3, 74, 78-80 etc.; —Reiffenst., lib. 3, tit. 12, n^is 98-104; et lib. 1, tit. 9, n^is 100-114, ubi dicit quòd multi affirment Bullam S. Pii V *Quanta Ecclesiæ* non ubique receptam esse. Ita Laymann, Garcias. Idem dicit Lequeux, n° 117 *in notâ*. Vid. S. Liguor., lib. 4, n° 134 in fine. Vide infra dicenda (5471)

506. — 3° *A legitimo Superiore acceptanda est*, ut constat ex cap. *Si qui verò*, et cap. *Si quis presbyter* 7, q. 1; secus resignatio non est valida, cap. *Non oportet*, 7, q. 1; et sic renuntians potest compelli ad reassumendum; cap. *Admonet* 4, *de renuntiat.*; quia per acceptationem officii et confirmationem manet quis ecclesiæ alligatus quæ detrimentum pateretur, si cuilibet pro libitu, veniente lupo aut instante tribulatione, instar mercenarii, liceret aufugere et creditas sibi oves derelinquere (Reiffenst., lib. 1, tit. 9, n° 13).

507. Quidam tamen casus sunt excipiendi; videlicet :

1° S. Pontifex eò quòd non habeat superiorem (cap. 1, *de renunt.*, in 6°);

2° Qui est quidem electus vel nominatus, sed nondum est confirmatus, quia nondum est ligatus ;

3° Qui renuntiat beneficio verè litigioso in favorem alterius litigantis;

4° Clerici Episcopis inferiores qui divinâ inspiratione volunt religionem ingredi. Vide infra (2616-2618).

508. Diximus *a legitimo superiore dimissionem esse acceptandam* : videlicet : 1° a Papâ, si agatur de Dignitate Episcopali (cap. 1 et 2, *de Translat. Episcop.*); unde non sufficit quòd Episcopus abdicet inter *manus regis;* et

propter hoc invalida fuit abdicatio trium Episcoporum DD. de Boulogne Trecensis, de Broglie Gandavensis, Hirn Tornacensis, a quibus, anno 1812, Napoleo I extorserat renuntiationem suarum sedium, inconsulto nec consentiente S. Pontifice.

509. 2° Ab Episcopo in ordine ad ecclesias suæ diœcesis cap. *Admonet* 4, *de renuntiat.* — Vicarii autem Generales non possunt renuntiationem acceptare, nisi specialiter id fuerit ipsis commissum (cap. *Licet* 4, *de Off. Vic.*, in 6°).

Dixit verò Lequeux (n° 116) quòd juxta Galliæ *consuetudinem* Capitulum, sede vacante, vel Vicarii Capitulares possint acceptare dimissionem beneficiorum parochialium; citatque Gohard, t. 3, p. 478, et Durand de Maillane (*Dictionn.*, V° *Démission.*); sed cùm ex jure Capitulum non possit conferre beneficia quorum collatio ad Episcopum pertinebat (cap. *Etsi, de Institutionibus*, in 6°), nec videtur posse renuntiationes admittere. Cæterùm cùm illa consuetudo de numero sit quæ per Bullam *Qui Christi Domini* fuêre suppressæ (154) quæstio esse tantùm potest an de novo legitimè restituta fuerit hæc consuetudo. Videtur quidem affirmare Lequeux (*ibid.*, et n° 367, 4°); sed D. Bouix, *de Capitulis* (p. 642) et R. de M., *Instit. jur. canon.*, 352, a jure communi in hoc puncto non dissentiunt, nec dictæ consuetudini ullo modo attendunt.

510. Quædam hic sunt notanda circa resignationes:

« Pour prêter le consentement qui rend la résignation » irrévocable dès que le Supérieur l'accepte, la pratique » n'admet pas que cela puisse se faire par lettres privées; » Parisius l'atteste...

» La publication de la résignation est essentielle à la » validité de l'acte. On a, à cet égard, la règle de la Chan» cellerie qui le prescrit: une Bulle de S. Pie V l'ordonne; » enfin la constitution de Grégoire XIII *Humano vix judi» cio*, exprime les causes et les conditions de cette publi» cation solennelle sans laquelle la résignation est nulle » et sans effet. » (*Analecta*, juillet, col. 1523, n° 66,) etc. Et hæc intelligenda sunt de resignationibus etiam coram Epis-

copo factis (*ibid.*, n° 68) : excipiuntur autem Episcopatus et beneficia majora (ib., n° 70).

Intra verò mensem acceptanda est resignatio; novus deinde titularis intra alium mensem est instituendus, et intra trimestre post collationem publicanda est resignatio in loco beneficii (*ibid.*, n° 71). Non sufficeret quòd dimissio canonici in choro tantùm publicaretur (*ibid.*). Non obstante defectu publicationis valet quidem dimissio coram Ordinario facta, sed nulla est successoris institutio (*ib.* n° 73). Vide etiam Cardin. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 99.

Modò annotata apud nos in Galliâ non vigent. Vide dicta in *Prolegomenis* (152-155).

511. Subsidiariè hìc quæri potest quandonam dimissio habenda sit ut acceptata a legitimo superiore, proindè quandonam renuntians debeat ab exercitio officii dimissi se abstinere.

Resp. Hujus quæstionis solutionem fuisse datam a Sacrâ Cong. Concilii per resolutionem approbatam ab Urbano VIII, 20 martii 1625 : « S. Congregatio, S. D. N.
» approbante, censuit Ecclesiam, a quâ volens transfertur
» seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore quo
» idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio
» Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum vel
» adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, et postea quam
» hujus absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam
» ex testimonio seu documento Secretarii S. Collegii vel
» *alio modo*, illicò teneri eum abstinere ab exercitio
» ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum,
» tanquam sede vacante, et ita posse et debere Capitulum
» statim eâ jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentinum
» Decretum eligere, sedemque vacantem publicare. »

Vacat ergo sedes episcopalis ab eo tempore quo Episcopus renuntians ab illius vinculo *absolvitur in Consistorio Sanctitatis Suæ*. Non tenetur tamen idem Episcopus ab exercitio ordinariæ jurisdictionis se abstinere nisi eo momento quo præfatæ absolutionis in Consistorio peractæ notitiam habuerit, vel ex testimonio Secretarii Sacri Collegii vel *alio modo* æquivalenti : « Sed Capitulum, inquit

» D. Bouix (*De Capit.*, p. 539), antequam illam exerceat
» debet exspectare notitiam *certam* de notitiâ certâ trans-
» lationis ad Episcopum perlatâ... Si verò (quod Deus
» avertat) certior de suâ translatione factus, aliquis Epis-
» copus pergeret administrare, non monito Capitulo, et hoc
» aliunde certò scirent Capitulares, deberent ipsi statim
» administrationem assumere et Episcopum omni potestate
» destitutum declarare. »

512. Quamvis Episcopus renuntians non teneatur se abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis nisi eo momento quo addiscit per nuntium certum, dissolutum fuisse in Consistorio Suæ Sanctitatis suum cum Ecclesiâ dimissâ vinculum, attamen juxta Bened. XIV (*de Syn.*, lib. 13, cap. 16, n^is 7 et 10) idem Episcopus nequit percipere fructus Ecclesiæ dimissæ et ipsius beneficia conferre nisi usque ad momentum quo perfecta fuit præfata dissolutio in Consistorio. Vide etiam D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 389, etc.

Alia legi possunt circa dimissionem Episcoporum, ap. eumdem D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 393, etc.

513. Nulla videtur esse difficultas quoad dimissionem aliorum officiorum : « Dès que le Supérieur l'accepte (la
» résignation) et que le consentement est prêté, le démis-
» sionnaire ne peut ni rester en possession, ni exercer au-
» cune des fonctions de sa charge, en attendant qu'un
» autre prenne possession : car il perd tous ses droits par
» sa démission. C'est pourquoi, s'il s'agit d'une paroisse,
» l'Ordinaire doit nommer un vicaire qui exerce la cure
» des âmes jusqu'à ce que le nouveau recteur soit choisi
» au concours. » *Analecta*, juillet 1855, col. 1487, n° 5 [1].

514. Quærit. 3° Ex quibus causis renuntiationes fieri valeant?

Resp. cum Reiffenst. (lib. 1, tit. 9, n^is 35-36) : « Sex sunt
» causæ ob quas Episcopus post confirmationem, potest

[1] Quandoque tamen Ordinarii relinquunt renuntiantem in possessione jurisdictionis quoadusque successor ejus, vel Vicarius in Parochiam adveniat.

» petere, et Papa consuevit concedere licentiam.... resi-
» gnandi Episcopatum....

» I. Conscientia criminis non quidem cujuslibet, sed illius
» duntaxat, quod post actam pœnitentiam impedit execu-
» tionem officii.

» II. Imbecillitas corporis per quam quis impotens red-
» ditur ad exequendum officium pastorale.

» III. Defectus scientiæ competentis.

» IV. Malitia plebis, ob quam interdum cogitur Prælatus ab ipsius regimine declinare.

» V. Grave scandalum quod aliter sedari non potest.

» VI. Irregularitas personæ...

» Causæ illæ... sufficiunt pariter ad resignandum infe-
» riores Dignitates et beneficia curata... Causa quæ
» sufficit ad renuntiandum Episcopatui, multò magis erit
» sufficiens ad resignandum inferius beneficium.»

» Hujusmodi causis pro resignatione inferiorum bene-
« ficiorum S. Pius V, in suâ Constitutione *Quanta Ecclesiæ*
» certas alias adjunxit... Insuper vi ejusdem Constitu-
» tionis vetantur Episcopi beneficia resignata consangui-
» neis, affinibus vel familiaribus resignantium conferre...» Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 98.

515. Quærit. 4° Utrum propter illas omnes causas, habens officium teneatur in conscientiâ illi renuntiare?

Resp. Rarò eum ad id teneri in conscientiâ ante sententiam superioris.

1° Non tenetur *ob imbecillitatem corporis;* imò nec superior ob hanc causam potest aliquem suo beneficio privare. Sic enim habet cap. *Ex parte* 4, *de Clerico ægrotante:* « Cùm
» Aurasiensis Episcopus gravi morbo et incurabili ferè per
» quadriennium laboravit, ita quòd pastorale officium non
» potest ullatenus exercere.., cives civitatis ejusdem à te
» postulant incessanter, ut ipsis, cùm sis Metropolitanus
» eorum, studeas providere. Verùm, cùm ipsum ad ces-
» sionem compellere non possis, nec debeas ullo modo,
» nec afflicto afflictio addenda sit... mandamus quatenus
» illi coadjutorem adsocies virum providum et honestum,
» per quem tam Episcopo quàm populo utiliter consulatur.

Idem constat ex cap. *De Rectoribus* 3, ejusd. tituli : « De rectoribus Ecclesiarum lepræ maculâ usque adeo » infectis quòd altari servire non possunt, nec sinè magno » scandalo eorum qui sani sunt ecclesias ingredi, hoc » volumus te tenere quòd dandus est eis coadjutor, qui » curam habeat animarum, et de facultatibus Ecclesiæ ad » sustentationem recipiat portionem. »

516. — 2° Non tenetur *ob defectum scientiæ :* nam vel est capax addiscendi scientiam competentem et ad hoc tantùm tenetur, providendo interea suo muneri per idoneum vicarium; vel est incapax addiscendi, et adhuc sufficit quòd provideatur officio per coadjutorem : « Quia illiterati et » imperiti, inquit Trident. (sess. 21, c. 6, *de reform.*), » parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt » officiis.. Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis dele- » gati, iisdem illiteratis et imperitis, si aliàs honestæ vitæ » sint, *coadjutores* aut *vicarios pro tempore deputare*, par- » temque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, » vel aliter providere possint, quâcumque appellatione et » exemptione remotâ. »

517. — 3° Quoad alias causas, vel potest provisus muneri suo providere per idoneum coadjutorem, vel non : in primo casu, non videtur teneri ad dimittendum officium ante sententiam definitivam superioris; in secundo casu, solutio pendet à variis circumstantiis causarum : nam quando causa procedit *ex solâ malitiâ plebis* seu ex scandalo pharisaico, non est obligatio dimittendi officium : imò, præsertim post sufficientem monitionem, non videtur esse obligationem dimittendi ob scandalum pusillorum (S. Liguor., lib. 2, n[is] 51-52), nisi tamen hanc dimissionem, justâ causâ interveniente, peteret S. Pontifex (Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 349, etc.); vide infrà (526). Si causa *sit irregularitas*, tenetur provisus dispensationem obtinere aut dimittere officium, si per substitutum non valeat adimplere; ratio patet.

518. Quærit. 5° An resignans possit pœnitere et redire ad officium resignatum?

Resp. Vel a superiore competente jam admissa fuit resi-

gnatio, vel ab eo nondum est admissa : in primo casu non est amplius locus pœnitentiæ, sed resignans compelli potest ad dimittendam possessionem illius officii, ita cap. *Quidam* 12, *de renuntiat.* In secundo casu, potest revocare resignationem, quia res est adhuc integra. Ita Reiffenst. (lib. 1, tit. 19, nis 38-40), ex cap. *Lectæ* 14, *de renuntiat.* Vide etiam S. Liguor., lib. 3, n° 72, v° *Sed quæritur.*

§ II.

De Translatione.

519. Translatio est canonica mutatio personæ ecclesiasticæ de uno officio ad aliud. Hoc nomine præsertim vocatur mutatio Episcopi de unâ ad aliam Sedem Episcopalem. Translatio Episcoporum solâ Romani Pontificis auctoritate fieri potest; quia ejusmodi translatio inter causas majores est recensenda, et quia vinculum spiritualis matrimonii quod Episcopus contraxit cum priori Ecclesiâ, privatâ auctoritate dissolvi nequit (Cap. *Inter corporalia* 2, *de Translat.*). Insuper in Galliâ juxta Concordatum (art. 5), requiritur gubernii consensus.

520. Ab antiquioribus sæculis vetitæ fuêre Episcoporum translationes; sic enim legitur in canone 13 Apostolorum, cui consonant multi veteres textus : « Episcopo » non liceat, suâ relictâ parochiâ (diœcesi) ad aliam transilire, etiamsi à pluribus cogatur, nisi sit aliqua causa » rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote » ad majus lucrum... idque non ex se, sed multorum » Episcoporum judicio et maximâ exhortatione ». Vid. alios canon., ap. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 374, etc.

521. Regulariter Episcopus non potest transferri nisi à minore ad majorem seu digniorem Ecclesiam. Ita cap. 1, *de Translatione*, ubi Innocentius III, ad Antiochenum Patriarcham ita scribit : « Miramur quòd novo quodam » mutationis genere parvificasti majorem, et magnum » quodam modo minorasti, episcopare Archiepiscopum » imò potius dearchiepiscopare præsumens ».

Diximus *regulariter*, quia illud fieri potest ex peculiari

causâ, v. g. ob aeris insalubritatem, vel ob metum hostium. Can. *Pastoralis* 7, q. 1; cap. *Ad supplicationem* 9, *de renunt.* V. Reiffenst., lib. 1, tit. 7, n° 8;—Ferraris, V° *Episcopus*, art. 3, n[is] 48-50.

522. Quærit. 1° An et quænam causæ requirantur ad legitimam translationem ?

Resp. 1° Ad legitimitatem translationum causas justas requiri : detrimentum enim paterentur Ecclesiæ vel munera, si titulares eorum sinè causâ sufficienti amoverentur, etsi ad aliud munus promoti essent; unde in can. *Mutationes*, c. 7, q. 1, dicitur : « Mutationes Episcoporum scitote » communi *utilitate* atque *necessitate* fieri licere. » — « Neque enim, inquit Bellarminus, ap. Bened. XIV (*De Syn.*, » lib. 13, c. 16, n° 5), institutæ sunt Ecclesiæ propter » Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias : nunc autem » quotidie translationes fieri videmus eâ solùm de causâ, » ut Episcopi vel honore vel opibus augeantur. »

523. Resp. 2° Causas legitimas translationis eas esse de quibus fit mentio in præfato canone *Mutationes*, nempe *communem utilitatem* atque *necessitatem*.

Est *communis utilitas*, si ex translatione speretur majorem fructum eventurum fore universali vel particulari Ecclesiæ; hoc accidit, si ex translatione bonum pacis et concordiæ proveniat, si ab iis quibus competit jus eligendi vel nominandi, puta a Principe postuletur unius Ecclesiæ Episcopus pro aliâ Ecclesiâ, aut si à Summo Pontifice, ob meritorum prærogativam aut ex causâ specialis necessitatis transferatur. Reiffenst. (lib. 1, tit. 7, n° 10).

Est *necessitas*, si ob persecutionem hostilem, odium civium, aeris inclementiam, etc., Episcopus in propriâ Ecclesiâ tutò commorari nequeat. Can. *Pastoralis*, c. 7, q. 1 (Reiffenst., *ib.*, n° 11).

524. Objici posset cap. *Inter corporalia*, *de Translat.*, ubi expressè declarat Innocentius III, quòd sicut Deus dissolutionem carnalis conjugii sibi reservavit, sic etiam conjugii spiritualis inter Episcopum et Ecclesiam. Et reverà sententia *communior* et quæ S. Liguorio videtur *longè probabi-*

tior (lib. 4, n° 104), tenet translationes Episcoporum esse vetitas jure divino.

Huic objectioni respondetur cum S. Liguor. (*ibid*), quòd « Licet Episcopatus comparetur matrimonio carnali, non » tamen ita verum est, ut non possit dissolvi hoc conju- » gium spirituale per dispensationem Pontificis, justâ et » valdè gravi causâ interveniente, ut omnes fatentur. » Et id affirmat ipsemet Innoçentius III, dum adjicit: « Non » enim humanâ sed potiùs divinâ potestate conjugium » spirituale dissolvitur, cùm per translationem... auctoritate » Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu » Christi, ab Ecclesiâ removetur. » V. Reiffenst., lib. 1, t. 7, n° 13, etc.

Quomodo autem sint intelligenda hæc verba cap. *Inter corporalia*, « Cùm ergo fortius sit spirituale vinculum quàm » carnale? » Non omni modo sed quoad certos tantùm respectus, vinculum spirituale est fortius carnali; v. g, carnale vinculum nondum consummatum dissolvitur per solemnem religionis professionem, non item spirituale vinculum. Vide alia apud Reiffenst. (*ibid.*).

525. Quærit. 2° An Papa possit Episcopum invitum ab unâ Ecclesiâ ad aliam sinè causâ transferre?

Resp. hoc esse controversum. Vide rationes pro et contra ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 366 et 387;—Reiffenst., lib. 1, tit. 3, n^{is} 19-34.

526. Quærit. 3° An Episcopus, justâ causâ translatus, possit invitus cogi ad acceptandum alterum Episcopatum?

Respondet Ferraris quòd si ille Episcopus nondum sit consecratus, non potest cogi ad alterum Episcopatum acceptandum quia nemo potest invitus consecrari, ex cap. *Innotuit* 20, et cap. *Cùm inter* 21, *de Electione*. Ita Fagnan. et alii passim. Si verò jam sit consecratus, disputatur inter DD. Vide rationes pro et contra ap. Ferraris, V° *Episcopus*, art. 3, n^{is} 54-59; et apud D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 386. Sanctus verò Liguorius (lib. 4, 105) ut longè probabiliùs tenet quòd si Episcopus nolit transferri, « ad id » nequit Papa eum cogere nisi interveniat causa urgens...; » et idem censent Salmantic..., de translatione Parochi. »

Sufficit tamen quòd S. Pontifex existimet adesse sufficientem causam ut ipsius judicio sit standum. V. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 372.

527. Quærit. 4° An Episcopus possit invitum parochum ab unâ parochiâ ad aliam transferre?

Resp. Vel agitur de parocho amovibili prout sunt hodie in Galliâ succursalistæ; vel questio est de parocho inamovibili : si prius, sicut inviti possunt amoveri a Parochiâ, ita ab eâ ad novam parochiam transferri possunt; sacerdos enim, non legitimè impeditus, tenetur acceptare ministerium animarum si illi ab Episcopo, cui in suâ ordinatione obedientiam promisit, præficiatur. V. infra (622, 1008), et S. Liguor., lib. 6, n° 828. Si posterius, non possunt quidem inviti transferri sinè gravi motivo, sed plures sunt casus in quibus sic transferri valent : legitur enim in Concilio Carthaginensi IV : « Placuit ut quicumque clerici, » vel diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtempe- » raverint Episcopis volentibus eos ad honorem amplio- » rem in suâ Ecclesiâ promovere, nec illi ministrent in » gradu suo unde recedere noluerunt. » (Ap. Lequeux, n° 120.)

Insuper dicitur, in cap. *Quæsitum* 5, *de rerum permutatione :* « Si Episcopus causam inspexerit necessariam, » licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas, » ut quæ uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant uti- » liùs exercere. » Hoc contingere potest, v. g. si quis causaverit scandalum in populo, si inimicitias et persecutiones patiatur, etc.; unde cùm Episcopus Limburgensis parochum qui a se alienaverat parochianos suos suâ asperâ indole, a parochiâ ejus dimovisset, proposita fuerunt Sacræ Congreg. Concilii dubia sequentia : 1° An sustineatur decretum amotionis latum a Curiâ Episcopali Limburgensi; 2° an sint infirmandæ pœnæ canonicæ inflictæ in casu?

Responsum fuit : « Ad 1um *Affirmativè ;* ad 2um scribatur » Episcopo ut sacerdotem absolvat ac rehabilitet, eumque » provideat de aliâ parœciâ, seu beneficio redditûs æqui- » valentis. » Apud *Analecta* (anno 1858, col. 791-797); vide adhuc *mars et avril* 1861, col. 599, ubi refertur alia

decisio in causâ Herbipolensi in quâ dicitur quòd Episcopus possit in casu transferre ad beneficium redditûs ferè *æquivalentis infra sex menses.* Referuntur *ibid.* plures aliæ decisiones circa præsentem quæstionem. Vid. etiam auctor. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 557.

528. Quærit. 5° Quo instanti in casu translationis cesset jurisdictio in priori Ecclesiâ?

Resp. Vel agitur de translatione Episcopi ab unâ diœcesi ad aliam; vel de clerici alterius translatione ab uno officio ut puta a Parochiâ ad Episcopatum; vel tandem de clerici cujuscumque translatione ab uno officio ad aliud Prælaturâ inferius, v. g. ab unâ parochiâ ad aliam.

In primo casu, si translatio fiat, sciente Episcopo et de ipsius consensu expresso vel tacito, translati jurisdictio in priori Ecclesiâ cessat statim, ut supra diximus (511), ac notitia certa, dissolutum fuisse in Consistorio papali ipsius cum eâdem vinculum, ad ipsum pervenit (V. Declar. S. Cong. Conc., 14 decemb. 1624, ap. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3, n° 61). Imò ab ipso instanti quo dissolutum fuit in Consistorio prædictum vinculum, idem Episcopus facultatem amittit conferendi beneficia quæ ab hoc momento vacare contigissent(Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 13, c. 16, n^is 9 et 10; ap. Bouix, *De Episcopo,* t. 1, p. 321). Si verò fiat translatio a S. Pontifice, Episcopo penitus ignorante, non censetur vacare prior Ecclesia, nisi translatus resciat et consensum præstet, excepto casu quo contrarium Papa exprimeret; quia, nisi secus exprimat S. Pontifex, non censetur transferre Episcopum invitum ab unâ diœcesi ad aliam (Reiffenst., lib. 1, tit. 7, n° 41, *de Translatione;* Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 388, etc.).

529. *In secundo casu,* electi ad Episcopatum beneficia censentur vacare *ipso facto,* per consecrationem episcopalem, vel quando decursum est *tempus consecrandis Episcopis à canonibus definitum,* nempe tribus mensibus elapsis post receptam confirmationem electionis; tuncque is ad quem spectant beneficia, de illis disponendis liberam habet facultatem. Ita Lequeux, n° 119 (ex cap. *Cùm in cunctis, de Elect.*)

530. *In tertio casu*, certum est quòd, statim ac translatus novæ parochiæ possessionem pacificè assumpsit vel per illum stetit quominus assumpserit, prior parochia alteri dari potest. Ita enim se habet cap. *Licet Episcopus* 28, *de Præbend. et Dignit.*, in 6°: « Licet Episcopus beneficium » quod cum animarum curâ tenebas (postquam aliud reci» pisti consimile ac ipsius possessionem habuisti pacificam, » vel per te stetit, quominus haberes eumdem) *possit alteri* » *de jure conferre :* illum tamen cui contulerit, non » debebit, te non vocato (cùm tibi forsitan jus possit com» petere retinendi), in possessionem ipsius inducere corpo» ralem. »

Non ideò tamen translatus perdit omnem jurisdictionem in priorem parochiam : ad hoc requiritur ex præfato capite ut novus titularis possessionem assumpserit, quod fieri nequit, nisi vocato titulari translato, et tunc istius cessat jurisdictio : idem videtur dicendum si in priori parochiâ nominaretur vicarius [1].

531. Quærit. 6° Quousque translatus fructus ac redditus ecclesiæ a quâ discedit, possit percipere?

Resp. Si agatur de Episcopo translato ab unâ diœcesi ad aliam, cùm ipsius vinculum cum priori diœcesi solvatur tantùm in Consistorio Suæ Sanctitatis, « necessariò sequi» tur, inquit Bened. XIV (*de Syn.*, lib. 13, cap. 16, n° 7), » licere Episcopo redditus prioris Ecclesiæ percipere usque » ad illud tantummodo temporis momentum quo à S. Pon» tifice in Consistorio ab illius vinculo absolvitur. Si quos » verò fructus post illud tempus decursos perceperit, ad » eosdem restituendos teneri. » Addit autem Ferraris (V° *Episcopus*, art. 3, n° 64) : « Episcopus translatus potest

[1] Ita jus commune : in hâc autem Valentinensi diœcesi sic habent statuta diœcesana : « Quand un Vicaire est placé dans une autre pa» roisse, ses pouvoirs cessent, pour la première, quinze jours après son » changement de domicile. » Nihil speciale in eis continetur de casu mutationis parochorum... Unde dici posset quòd ad jus commune sit tunc recurrendum : saltem non videntur cessare facultates parochi translati ante 15 dies post mutationem domicilii, casu quo novus parochus aut saltem vicarius nondum in priorem parochiam advenit.

» etiam secum asportare bona sua immobilia acquisita in » priori Ecclesiâ, seu ex ejus fructibus comparata, dummodo hæc nondum sint Ecclesiæ dedicata. »

« Si verò, pergit Bened. XIV (*ibid.*, n° 13), hujusmodi » (vinculi) solutio fiat inscio planè Episcopo, isque trans- » feratur sinè prævià suâ scientiâ... videtur... Episcopus » tunc rectè fructus percipere, tunc etiam validè beneficia » conferre, quousque sibi, nuntiatâ vinculi solutione, suum » ipse consensum eidem accommodaverit, vel, eo dene- » gato, S. Pontifex, justis urgentibus causis, illius con- » sensûs defectum suppleverit. »

532. Si agatur de ecclesiastico ad Episcopatum promoto, jus retinet percipiendi fructus muneris Ecclesiastici à quo discedit usque ad suam consecrationem Episcopalem, vel quoadusque effluxerint tres menses post receptam confirmationem electionis cui consensum præbuit (529) [1].

533. Si agatur de aliis clericis translatis, possunt ipsi percipere fructus prioris tituli quousque possessionem novi inierint : si tamen novi tituli possessionem procrastinent, vetus dari potest alteri titulari qui, monito prædecessore, statim percipit fructus beneficii [2].

534. Quærit. 7° Ad quos pertineant fructus beneficii tempore vacationis?

Resp. Illos pertinere ad Ecclesiam vacantem ita ut si, solutis debitis et his quæ fuerint necessaria pro deservientibus eisdem ministris et aliis oneribus, aliquid supersit, hoc reservandum sit successoribus, nisi alia sit consuetudo : sic enim habetur in cap. *Præsenti* 9, *de officio Ordinarii*, in 6° : « Vacantibus Dignitatibus vel Ecclesiis quibuscumque... eorumdem bona... vacationis ipsorum » tempore obvenientia, quæ *in utilitatem eorumdem expendi*

[1] In Galliâ tamen non posset percipere pensionem a Gubernio solvendam pro munere a quo discedit, nisi usque ad diem possessionis assumptæ suæ diœcesis. Ita *Ordonn. du 4 sept. 1820. (Journ. des Fabr.*, t. 4, p. 322.)

[2] In Galliâ solet determinari ab Episcopis dies quo cessat vel incipit possessio beneficii, quo proinde Gubernium cessat vel incipit solvere pensionem à se præstandam.

» *vel futuris debent successoribus reservari* (Episcopi) occu-
» pare, aut in usus suos convertere quoquomodo (non)
» præsumant. Nisi de speciali privilegio vel consuetudine
» jam præscriptâ legitimè, seu aliâ causâ rationabili, hoc
» eisdem competere dignoscatur... Ubi ex privilegio, vel
» consuetudine seu aliâ de causâ rationabili, sibi aliquis
» prædictorum asserit bona competere prædicta, hoc de
» illis bonis solùm debet intelligi, quæ, solutis debitis, si
» qua sint, et his quæ fuerint necessaria pro servitoribus
» et ministris ac incumbentibus oneribus usque ad novos
» redditus supportandis congruè reservatis, ex ipsis
» reperta fuerint superesse. »

535. Quærit. 8° Quomodo fructus beneficii sint dividendi inter primum titularem, translatum aut resignantem, aut, si defunctus fuerit, inter ipsius hæredes, et successorem primi dicti titularis?

Resp. Quæstionem esse valdè controversam tam in foro canonico quàm apud nos in foro civili.

Duo potissimum sunt systemata : alii enim volunt ita esse dividendos fructus ut prædecessor jus habeat fructus solùm perceptos retinendi; cæteri verò fructus nondum percepti pertineant ad successorem vel ad fabricam si nondum successor inierit possessionem. Unde prædecessor nullum jus habet, juxta hujusmodi canonistas, ad fructus adhuc pendentes, prout contingit in expiratione usùsfructûs ex l. *Defuncto*, § *De Usufructu*. Cui etiam conformis est art. 585 Codicis nostri civilis. Ita Rota in causâ *Phar.*, 19 jun. 1573;—Barbosa et multi alii, ap. Garcias (pars 2ª, cap. 1°, n° 95);—Reiffenst., lib. 1, tit. 7, n° 56;—Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3, n° 65.

536. Alii verò malunt hìc esse applicandam legem *Divortio, de solut. matrim.*, cui concordat art. 1571 nostri Codicis civilis sic habens : « A la dissolution du mariage,
» les fruits des immeubles dotaux se partagent entre le mari
» et la femme ou leurs héritiers, à proportion du temps
» qu'il a duré pendant la dernière année. » Ratio est quia beneficium datur propter officium et servitium Ecclesiæ, sicut dos propter onera matrimonii; unde ipsius fructus

eodem modo dividendi sunt, quando vacat beneficium. Hanc sententiam sequitur Garcias citans Covarruviam et alios multos (*ibid.*, n° 97).

Opponi posset Constit. 9, Julii III, in quâ declaratur beneficiorum fructus tempore obitûs beneficiatorum inexactos ad successores in beneficiis pertinere, non verò ad hæredes; et sic fuit resolutum à Rotâ 4 junii et 19 nov. 1593 : sed in unâ Mediolan., 9 martii 1592, dicitur quòd præfata Constitutio non sit ubique recepta, nempe in statu Mediolanensi : Garcias ex Navarro refert (*ibid.*, n° 13) illam non esse receptam in Hispaniis, nec quoque in usu videtur esse in Galliâ. Vid. insuper apud Ferraris, v° *Fructus*, n° 13.

Sententiam Garciæ sequi videtur Decretum Napoleonis, 6 nov. 1813, eamque amplectuntur Consiliarii Diarii gallicè dicti *Journal des Fabriques* (t. 4, pag. 337), ubi, materiâ seriò discussâ, sic concludunt : « Le Conseil, après avoir » entendu, etc... a été d'avis : 1° que toutes les fois que » le curé ou desservant d'une paroisse reçoit une nouvelle » destination, et qu'il est remplacé, soit immédiatement, » soit après un certain temps de vacance, par un nouveau » titulaire, les fruits et revenus des biens de la cure ou » succursale pendant l'année où la vacance a lieu, doivent » être attribués à l'ancien et au nouveau titulaire propor- » tionnellement au temps pendant lequel ces ecclésiasti- » ques ont rempli, dans cette année, les fonctions curiales, » et à la fabrique, proportionnellement au temps pendant » lequel la vacance a duré; 2° que les fruits et revenus » des jardins et dépendances des presbytères, appartenant » aux fabriques et aux communes, doivent être partagés » de la même manière; 3° que pour opérer ce partage, on » doit prendre pour point de départ le 1er janvier de » l'année de la vacance; 4° qu'enfin avant le partage, les » frais de semence, culture et autres, doivent toujours » être déduits du montant du produit des fruits, et qu'il » n'y a lieu de partager que le surplus ou le revenu net. »

Juxta hanc sententiam fructus pendentes dividuntur pro ratâ parte temporis uniuscujusque possessionis. Vide

exempla hujusmodi partitionum in eodem Diario, p. 345 *in notâ*; vid. etiam Lequeux, n° 1184, in fine.

« Pour procéder à ce partage suivant la règle du pro-» rata, inquit Durand de Maillane, V° *Partage*, on prend » l'année du 1er janvier : cette règle est aujourd'hui cons-» tante. » Non tamen fuit semper eadem, ut videre est apud Garcias, pars 2, cap. 1, n[is] 99 et 100; *Journal des Fabriques*, t. 4, p. 344.

Stante autem præfatâ controversiâ circa divisionem fructuum, standum esse videtur locorum consuetudini ut dicitur apud Ferraris, V° *Episcopus*, art. 3, n° 66.

537. « Idem jus obtinet (inquit idem Ferraris, V° *Fruc-» tus*, n[is] 11 et 12), si beneficiatus beneficium resignaverit. » Illud verò peculiare in resignatione occurrit, quòd resi-» gnatario debentur fructus beneficii resignati a die ad-» missæ resignationis, etiamsi ipse resignatarius posses-» sionem beneficii resignati non apprehenderit. »

In Galliâ verò sic sancitur, in art. 165 *du Règlement sur la comptabilité publique du* 31 *mars* 1838 : « En cas de » démission, si le fonctionnaire a continué l'exercice de » ses fonctions, en attendant l'installation de son succes-» seur, il est réputé avoir continué d'exercer par suite de » son ancien titre, et, en conséquence, il continue d'être » payé jusqu'au jour de la cessation de ses fonctions. »

538. Ut nihil alicujus momenti omittamus circa partitionem fructuum beneficiorum in casu translationis aut alterius generis mutationis, dicendum cum Reiffenstuel (lib. 1, tit. 3, n° 50), quòd non liceat beneficiario mutato secum asportare quæ destinata erant beneficii culturæ aut ipsius necessitatibus, v. g. certa animalia, boves, equos, etc., vel instrumenta aratoria, etiamsi suis sumptibus illa in locum deficientium ipse beneficiarius subrogasset, vel in vitium aut arborum demortuarum vicem alias substituisset.

Ad quem verò pertineant fructus beneficii Episcopalis vacantis dicemus infra (1073, 1285).

§ III.

De Revocatione et Privatione Officiorum Ecclesiasticorum.

539. Duplici modo Superior removere potest aliquem ab officio, *simplici* nempe *revocatione* seu *destitutione* et *privatione juridicâ.*

Simplex revocatio seu *destitutio* locum habet quando clericus ab officio suo removetur absque judicio et sententiâ juridicâ, quod regulariter fieri nequit erga invitum nisi quoad officia ad nutum amovibilia.

Privatio juridica è contra est sententia juridica privans clericum etiam invitum officio suo vel beneficio.

Dupliciter clericus juridicè privari potest officio suo aut beneficio, *simplici* quidem *privatione* et *depositione propriè dictâ;* inter utramque hoc est discrimen quòd *depositus* inhabilis efficiatur ad alia beneficia, non item *simpliciter privatus* (Bouix, *De Parocho*, p. 367; et Reiffenst., lib. 5, tit. 37, n° 27).

Dicetur in Tract. *De Judiciis* quomodo sit procedendum ad privationem juridicam : hic sufficiat expendere quænam sint officia quæ auferri nequeunt nisi per sententiam juridicam, et quænam sint ad nutum amovibilia.

I

DE OFFICIIS INAMOVIBILIBUS.

540. Talia sunt præcipuè munera Episcoporum, Canonicorum et Parochorum propriè dictorum.

1° *Quoad Episcopos* contendit Febronius post De Marca, in hoc Calvinistas ac Jansenistas sequens, quòd «innumera » novem priorum sæculorum exempla, decretis Generalium Conciliorum innixa, demonstrent Episcopos in » provincialibus synodis, tanquam ordinario eorum tribunali, *ultimatò* judicatos fuisse : historiæ ecclesiasticæ » omninò ignorantem esse, qui sibi imaginatur nullum » unquam Episcopum judicari potuisse nisi Romæ, aut » per Commissarios ab Urbe missos. » Ap. D. Bouix, *De*

Episcopo, t. 1, p. 319; et p. 269, Febronius dicit quòd « in antiquis canonibus (exceptis iis quæ posterius et ex » specialibus causis... per Sardicense Concilium Roma- » no Pontifici *supererogantër* attributa fuerunt) ne vesti- » gium quidem appareat de minimo jure quod Papæ un- » quam in his potuerit competere. »

541. Quàm verò falsa sint talia asserta hìc est demonstrandum : porrò, ut a Patriarchis incipiamus, sic ad Eusebianos scribebat Julius I, in causâ S. Athanasii ab ipsis depositi : « Oportuit omnibus nobis (Ecclesiæ Romanæ » ejusque synodo) scripsisse, ut ita ab omnibus quod » justum esset decerneretur. Episcopi enim erant qui pa- » tiebantur... An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut » primùm nobis scribatur, et hinc quod justum est decer- » natis? » Ergo juxta consuetudinem quarti sæculi, non in Provincialibus synodis ultimatò judicabantur Episcopi, sed nihil erat tunc definiendum erga ipsos nisi priùs causa Romæ exposita fuisset, ut hinc quod justum erat decerneretur.

In Epistolâ ad Episcopos Dardaniæ hæc scribebat Papa Gelasius (t. 3, S. Leon., Baller. edit., col. 352) : « Sed nec » illa præterimus quòd Apostolica Sedes frequenter.... » more majorum, etiam sinè ullâ synodo præcedente, » exsolvendi quos Synodus iniqua damnaverat, et damnandi » *nullâ existente synodo*, quos oportuit, habuerit faculta- » tem. Sanctæ quippe memoriæ Athanasium Synodus » Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apos- » tolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absol- » vit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constanti- » nopolitanum synodus etiam catholicorum Præsulum » certè damnaverat, quem simili modo Sedes Apostolica, » *etiam sola*, quia non consensit, absolvit : itemque » S. Flavianum Pontificem Græcorum Congregatione » damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica » non consensit, absolvit : potiùsque qui illic receptus » fuerat Dioscorum secundæ sedis Præsulem suâ aucto- » ritate damnaverit, et impiam synodum non consentiendo » *sola* submovit. » Alia vide ap. *Antifebron. vindicatum*,

diss. 8, cap. 4, n° 2 (*Curs. complet. Theol.*, t. 27, col. 1062, etc.).

542. Ad Metropolitas nunc progredientes, Epistola S. Cypriani in Marciani Arelatensis causâ, peculiarem summi Pontificis auctoritatem in Metropolitanorum judiciis demonstrat : adhæserat quidem Marcianus Novatianorum sectæ, de eoque sic S. Cyprianus scribit ad S. Stephanum Papam : « Dirigantur in Provinciam et ad plebem Arelate » consistentem à te litteræ, quibus abstento (excommu- » nicato scilicet atque hinc deposito) Marciano, alius in » locum ejus substituatur. »

Non ergo, inquit *Antifebronius vind.* (*ibid.*, n° 4), « Cyprianus a Stephano petiit ut Marcianum à Gallis de- » poni juberet, sed ut litteras mitteret, quibus illum *a* » *se abstentum* depositumque nuntiaret, aliumque in » locum ejus ab ipsis *substitui* juberet. »

Cùm verò Athanasius Thessalonicensis, Apostolicus in Illyrico Vicarius, Atticum Metropolitam Nicopolitanum deposuisset, illum S. Leo acerrimè objurgavit : « Etiamsi, » inquit (Epist. 14, Ball. edit., col. 668), quid grave intole- » randumque committeret, nostra erat exspectanda censura, » ut nihil priùs ipse decerneres quàm quid nobis placere » agnosceres. » Vid alia, ap. *Antifebron. vindicat.* (*ibid.*).

543. Ad Episcopos nunc devenientes, statuerat quidem octava Synodus Generalis in suo canone 26 ut : « Nullo » modo quisquam Metropolitanorum vel *Episcoporum* à » vicinis Metropolitanis vel Episcopis provinciæ suæ judi- » cetur, sed à solo Patriarchâ. » At non tantùm à Patriarchâ, sed sæpe a Summo Pontifice, etiam in Ecclesiâ orientali judicabantur Episcopi : sic Vigilius Papa Theodorum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum deposuit : « Ideoque, ait » Pontifex, ex personâ et auctoritate B. Petri Apostoli, » cujus Nos licet exigui locum gerimus... hâc Theodorum » Cæsareæ Cappadociæ civitatis quondam Episcopum, » sententiæ promulgatione, tam sacerdotali honore et » communione catholicâ, quàm omni officio Episcopali » seu potestate spoliatum esse decernimus. »

Jam antea Papa Damasus Timotheum Apollinaristam

Beryti Episcopum deposuerat : sic iste Pontifex ad Orientales qui iterum ab eo postulaverunt ut hunc impium de Berytensi sede deturbaret : « Quid igitur depositionem » Timothei a me denuò postulatis , *qui et hîc, judicio* » *Sedis Apostolicæ*, præsente etiam Petro Alexandrinæ urbis » Episcopo, *depositus* est unà cum magistro suo Apolli- » nario. »

514. Pro Occidentali verò Ecclesià hæc referre sufficiat: Zozimus Proculum Massiliensem deposuit non auditâ Gallicanæ Provinciæ synodo, imò contra Taurinensis synodi decretum quod et suâ auctoritate rescissit. Valentinensis civitatis clerici Bonifacium I adierant proponentes per libellum crimina quæ à Maximo eorum Antistite, teste totâ provinciâ, asserebant fuisse commissa. Quid egit Pontifex? Synodum quidem cogi jussit quæ Maximi causam cognosceret, verùm addit : « Quidquid autem vestra caritas, de hâc causâ duxerit decernendum, cùm ad Nos delatum fuerit, Nostrâ, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur. » Vid. alia apud *Antifebron. vindicat.* (*ibid.*) ; Bouix, *De Episcopo*, t. 1 , p. 321 et locis *ibidem* indicatis operis, *Concile Provincial.*

Exhinc in Concil. Trident. (sess. 24, cap. 5) sancitum fuit ut « Causæ criminales graviores contra Episcopos, » etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut priva- » tione dignæ sunt, ab ipso tantùm Romano Pontifice » cognoscantur et terminentur. Quòd si ejusmodi sit causa » quæ necessariò extra Curiam Romanam sit committenda, » nemini prorsus committatur, nisi Metropolitanis aut » Episcopis à Beatissimo Papâ eligendis. Hæc verò com- » missio sit specialis et manu ipsius Sanctissimi signata, » nec unquam plus his tribuat quàm ut solam facti instruc- » tionem sumant; processumque conficiant quem statim » ad Pontificem transmittant, reservatâ eidem Sanctissimo » sententiâ definitivâ.. Minores verò causæ criminales Epis- » coporum in Concilio tantùm Provinciali cognoscantur, et » terminentur vel a deputandis per Concilium Provinciale. »

545. A Febronio objicitur canon 15, Concilii Antiocheni sic se habens : « Si quis Episcopus criminaliter accusatus ab

» omnibus qui sunt intra provinciam Episcopis exceperit » unam consonamque sententiam, ab aliis ulteriùs judicari » non poterit. » Vid. etiam canon 14 (apud *Antifebr. vindicat.*, ib., n° 8.).

Respondetur multùm probabile esse ab Eusebianis conditum fuisse hunc canonem; præterea loquitur de casu tantùm in quo tam evidenter reus sit Episcopus ut *ab omnibus* sinè exceptione damnatus fuerit : unde in aliis casibus *ulteriùs* etiam a S. Pontifice judicari poterit. Cæterùm a Concilio Sardicensi correctus fuit dictus canon, teste Aristeno, ita ut Patres Concilii Chalcedonensis sinè hæsitatione ut legitimè absolutum habuerunt Theodoretum Cyrensem Episcopum qui ab Orientali Synodo damnatus fuerat, eò quòd à S. Pontifice Leone Magno absolutus fuerat (V. *Antifebr. vindicat.*, n° 8, etc.).

546. Item objicitur id quod scribendo ad Brittonum regem præscripsit Nicolaus I : « Censeo, inquit Pontifex, nec ullum » posse sui honoris sustinere jacturam, quos non constat » fuisse à duodecim Episcopis, præsente primamque » sententiam Metropolitano Episcopo obtinente cùm » examinarentur, auditos. »

Respondetur quòd hæc fuit quidem vulgata episcopalium depositionum disciplina; sed hæc intelligenda sunt sinè præjudicio Romanæ Ecclesiæ : et quidem ipsemet Nicolaus I in Epistolâ ad universos Galliæ Episcopos, eos graviter redarguit, quòd Rothaldum Suessionensem Episcopum exauctorassent : « Etsi, inquit, Sedem Apostolicam nullatenus appellasset... tamen.... *Episcopum, inconsultis* » *nobis, deponere nullo modo debuistis.* » Ergo, etc[1].

547. Graves exortæ sunt controversiæ in Galliâ circa præsens disciplinæ punctum : aliis volentibus Episcopos esse judicandos in Concilio Provinciali juxta disciplinam Concilii Sardicensis, salvo jure appellationis ad Sedem

[1] « Causæ Episcoporum Metropolitano subjectorum in primâ instan» tiâ, non a Patriarchâ, sed a Concilio Provinciali olim judicabantur. » Ita tamen ut sententia depositionis nunquam vim haberet nisi assen» tiente et confirmante Romano Pontifice. » Ita Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 427, qui id probat p. 319; et tractatu *Du Concile Provincial.*

Apostolicam; aliis propugnantibus Episcopos debere in Galliâ prout in cæteris gentibus judicari a Sanctâ Sede, etiam in primâ instantiâ: huic sententiæ adhærebat Bossuetius. « Quant au jugement des Evêques (lettre à M. Di- » rois), j'ai toujours été convaincu que leur déposition » était réservée au Pape. Le chap. *de Concubinariis* (Con- » cord. Leonis X cum Francisco I) m'a toujours paru le » supposer, et la discipline en est si constante depuis » 600 ans, qu'à peine peut-on trouver des exemples du » contraire durant tant de siècles. » V. *Prælect. S. Sulpit.*, n° 174.

Non astringitur tamen Papa ad servandam formam a Concilio Trident. præscriptam; et, suppresso nunc, ab anno 1800 per Constit. Pii VII *Post diuturnas*, Tribunale Auditoris Cameræ Apostol., per Sacr. Congreg. Episc. præsules judicat. (*Analecta*, 16ᵉ Livr., col. 2415.)

548. Quoad Concilium Provinciale, potest aliquam extrajudicialem informationem capere de causis criminalibus majoribus Episcoporum eamque ad S. Pontificem transmittere. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 337.

549. Ad Romanum ergo Pontificem pertinet deponere Episcopos, sed hoc non potest, saltem licitè, sinè legitimâ causâ. « Episcoporum jurisdictio, sive sit immediatè à » Christo, sive à S. Pontifice, inquit Bened. XIV, ita huic » subest, ut consentientibus omnibus catholicis, ejusdem » auctoritate et imperio limitari, atque ex legitimâ causâ, » omnino auferri possit. » (*De Syn.*, lib. 7, c. 8, n° 7.)

Imò in sententiâ quæ tenet translationem Episcoporum esse tantùm vetitam *de jure ecclesiastico*, *infertur Papam sinè causâ posse validè deponere Episcopos*, *et cum aliquâ causâ etiam licitè* (S. Liguor., lib. 4, n° 104).

550. Cæterùm ordinariè non debet deponi Episcopus sinè judicio, ut constat ex verbis Nicolai I supra relatis (546). Dicitur *ordinariè* quia tales possunt emergere circumstantiæ quòd etiam sinè judicio possint Præsules exauctorari propter necessitatem populi christiani prout contigit tempore Concordati 1801. Vide alios casus ap. D. Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 360, etc.). *Nihil enim*,

inquit Bossuetius, *non potest Papa cùm Ecclesiæ necessitas aut evidens utilitas postulaverit.* In his asserendis concordare videntur DD. catholici (Bouix, *ib.*. p. 364). Suspensum in perpetuum potest S. Pontifex Episcopum cogere ad dandam suam dimissionem, et si renuerit, eum deponere; imò quamvis Episcopus de crimine non fuerit convictus nec suspensus, id potest Papa, justâ causâ interveniente, gravi v. g. scandalo in populo exstante quod sedari nequeat. Congrua tamen huic Episcopo dari debet. V. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 349-355. Hæc in Galliâ ad praxim deducta sunt (*Ibid.*, p. 359).

551.— 2° *Quoad Canonicos*, Canonici et plerique beneficiati sunt etiam inamovibiles, sed ex institutione ecclesiasticâ tantùm. Unde nequeunt removeri inviti sinè sententiâ juridicâ, prout mox dicemus de parochis inamovibilibus.

552. — 3° *Quoad Parochos*, Parochi sunt duplicis conditionis : alii enim sunt perpetui seu inamovibiles; alii verò ad nutum amovibiles : de essentiâ enim curatorum non est quòd sint perpetui et omnes inamovibiles ab Ecclesiâ fuerint constituti, ut videre est apud Bouix, *De Parocho*, p. 201-217; et infra (1314-1316); et hoc confirmatum variis Rotæ decisionibus videri potest apud *Analecta juris pontificii*, sept. 1855, col. 1619, etc.

Frustrà in contrarium allegaretur cap. unic. *De Cappellis Monach.*, in 6°, ubi dicitur : « Presbyteri qui ad curam » populi per monachos in eorum ecclesiis præsentantur » Episcopis et instituuntur ab ipsis, cùm debeant esse » perpetui, ab iisdem nequeunt ecclesiis (nisi per Episco- » pos, et ex causâ rationabili) amoveri. »

Respondetur enim quòd in hoc capite agatur de Parochiis quarum titularis perpetuus esse debebat, quippe dabantur in titulum, ut probant hæc verba : *et instituuntur ab ipsis*; sed illud non probat non alias exstitisse parochias quæ non dabantur in titulum, proinde poterant esse amovibiles; sic communiter DD. cum Glossâ et ipsâmet Rotâ. Bouix, *De Parocho*, p. 218; *Analecta*, sept. 1855, col. 1612.

Frustrà itidem in contrarium opponeretur canon *Sanc-*

torum, dist. 70, in quo legitur : « In quâ ecclesiâ quis est » *institutus* in eâ *perpetuò* perseveret. »

Ex isto enim canone rectè quidem concludi potest neminem esse ordinandum sinè titulo perpetuo, proinde exstare titulos perpetuos; sed malè exinde concluderetur omnem titulum parochialem esse perpetuum.

Item quando dicitur in canone *Satis perversum*, dist. 56 : « Non debet quis sinè culpâ beneficio privari, » hoc intelligendum est de beneficiis propriè dictis seu perpetuis, quamvis quædam sint alia amovibilia quibus privari possunt titulares. Bouix, *ib.*, p. 219.

Præfata parochorum perpetuorum et amovibilium divisio, præsertim apud nos locum habet : in Galliâ enim Episcopi sese accommodârunt articulis 60 et 61 legis Organicæ et ubique curatos utriusque conditionis instituerunt.

553. Igitur quandò tituli parochiales vel alii, sunt perpetui seu inamovibiles, rectores ipsis nequeunt privari nisi propter causam gravem, *notoriam* et servato juris ordine. Ita can. *Inventum* 38, causa 16, q. 7, ubi dicitur : « Quam » Ecclesiam si justè adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi » culpâ suâ, et coram Episcopo, canonicâ severitate amit» tat. » Item cap. *Conquerente* 7, *de restitut. spol.*, in quo legitur : « Non decet... clericos tuæ jurisdictionis, sine » *manifestâ causâ et rationabili*, *suis beneficiis spoliare.* » Dictum est *propter causam notoriam* : *notoria* autem est causa quando reus est confessus crimen, aut de eo in judicio fuit convictus. Aliquando, sed rarissimè, vehemens diffamatio sufficere posset, ut v. g. in delictis scandalosis. Ita Leuren., ex Cardin. Luca, ap. Bouix, *De Parocho*, p. 371.

554. Unde Ordinarius non potest procedere ad privationem beneficii *ex informatâ conscientiâ*, seu *extrajudicialiter*. Et reverà Concil. Trident. (sess. 14, c. 1), Episcopis non tribuit hanc facultatem nisi quoad suspensionem.

Objici potest quòd suspensio possit esse perpetua : porrò talis suspensio non differt à privatione officii : ergo sicut Episcopus valet in perpetuum suspendere extrajudicialiter, ita et extrajudicialiter potest officio privare,

Resp. Si minor hujus argumenti concedatur (sicut reverà communiter conceditur a DD. juxta D. Bouix, *De Parocho*, p. 370; vide tamen eumdem, *De Episcopo*, t. 1, p. 347, propos. 12), non videtur quomodo non admitteretur consequentia: attamen ex unâ parte concordes sunt canonistæ in sententiâ quòd ad privationem officii inamovibilis non possit procedi nisi servato juris ordine, et ex aliâ parte in libro 7 decretorum Sacræ Congreg. Concilii (fol. 89 a tergo) legitur : « Congregatio Concilii censuit, caput primum » sess. 14, *de reform.*, habere locum *in suspensionibus* et *prohibitionibus* tàm temporariis quàm *perpetuis*, et temporalem prohibitionem et suspensionem dici eam, ubi ex » delicto occulto extrajudicialiter procedit Episcopus, ad » suum beneplacitum prohibendo vel suspendendo.» Unde juxtà Bouix non apparet quomodò solvenda sit difficultas. Non benè tamen videtur cur negari non posset minor: etenim verum discrimen inveniri potest suspensionem perpetuam inter et privationem juridicam : illa enim non privat officio, sed duntaxat exercitio ministerii ecclesiastici, ita ut, si pœna remitteretur, suspensus sinè novâ institutione exercitium sui muneris posset reassumere, et interea revera exercet per vicarium aut coadjutorem; dùm privatus juridicè nunquam poterit reassumere officium a quo privatus fuit, nisi ei de novo conferatur, et qui illi substituitur nullo modo dici potest ipsius vicarius (Vid. S. Liguor., lib. 7, n° 323; Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 347 et 348); quo admisso, evanescit, ut patet, proposita difficultas. Verumtamen notandum est hìc quòd juxta theologum S. C. in causâ Lucionensi, anno 1848, eadem Sacra Congregatio recesserit a suâ veteri sententiâ quoad suspensiones perpetuas. Vide infra dicenda (6018).

555. Quod diximus de Parochis inamovibilibus applicari debet Vicariis perpetuis, v. g. Cathedralium, qui pariter removeri non debent sinè judicio et sententiâ juridicâ.

Quoad curatos ad nutum amovibiles, dicemus in puncto sequenti.

556. Quærit. 1° Quale debeat esse crimen ut quis propter illud suo beneficio vel Officio privetur?

Resp. hoc crimen in genere debere esse *grave*, ut dictum fuit supra in canone *Inventum* (553); imò cùm juridica privatio sit una ex gravioribus pœnis, nonnisi ob graviores culpas infligi debet. Non tamen requiritur ad hoc ut in jure dicatur quòd propter tale crimen quis poterit deponi vel suo officio privari. Hujusmodi expressio requiritur quidem pro degradatione reali juxta Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 6, n° 10; aut saltem opus est quòd quis sit incorrigibilis; sed juxta eumdem (n° 3) hæc non requiritur pro *depositione* : « Communis DD. sententia, » inquit doctus Pontifex, indubitanter affirmat, ad actualem clerici cujuscumque criminis rei degradationem, » præter innumeros casus, a jure speciatim expressos, » non posse procedi, nisi ille sit incorrigibilis, hoc est... » nisi Ecclesiæ monita sibique gradatim inflictas canonicas » *depositionis* et excommunicationis pœnas, pervicaciter » contempserit. » Ergo juxta Bened. XIV depositio potest infligi præter casus a jure expressos, et ad hoc non requiritur ut quis sit incorrigibilis.

« La déposition, inquit Richard (*Diction. des sciences » ecclésiast.*, V° *Déposition*), diffère de la dégradation... » ...2° En ce que la dégradation ne peut être infligée que » pour les crimes exprimés dans le droit, au lieu que la » déposition peut être infligée pour d'autres crimes. »

« Depositio, ait Busembaum, ap. S. Liguor. (lib. 7, » 327), fieri potest in casibus a jure expressis, et *delictis :* » non tamen nisi *gravioribus arbitrio judicis.* » V. etiam Ferraris, V° *Degradatio*, n° 11.

Verumtamen contrarium dicit Lequeux, n° 1406, citatque Auboux, *Pratique civile et criminelle*, p. 108; Ducasse, Gohard, Fagnanum, etc. Sed Ducasse (2° part., p. 259), solummodo dicit : « Un clerc ne doit jamais être » déposé qu'en punition de quelque crime atroce et public, » et qu'il ne soit exprimé dans le droit que ce crime mérite » la déposition, *ou qu'il n'est pas moins énorme que ceux » que le droit punit avec cette rigueur.* »

Imprimis ex dispositionibus juris colligi potest qualis gravitatis debeat esse culpa propter quam imponitur depo-

sitio : « Les canons, inquit auctor operis *Conférences*
» *d'Angers*, ordonnent qu'on punisse de la déposition les
» crimes, ou à cause de leur énormité, ou à cause de
» l'opposition qu'ils ont à l'état ecclésiastique, ou à cause
» de l'attachement au péché qu'ont les coupables qui ne
» se corrigent pas après avoir été avertis. Les crimes énor-
» mes en eux-mêmes qu'on punit par la déposition, sont
» exprimés en divers canons de la distinction 50 du Décret
» de Gratien : tels sont l'homicide, l'idolâtrie, l'adultère,
» la falsification de titres, le faux témoignage, le larcin,
» le sacrilége. — Les péchés contre lesquels la déposition
» est ordonnée à cause de l'opposition qu'ils ont à l'état
» ecclésiastique, sont la violence, la bouffonnerie, les
» paroles sales (Can. *Clericum*, dist. 46 : clericum scurri-
» lem et verbis turpibus joculatorem ab officio retrahendum
» censemus. Can. *Episcopum*, dist. 45 : Episcopum aut Pres-
» byterum aut Diaconum percutientem fideles.... dejici
» ab officio præcipimus). Les péchés que le droit veut
» qu'on punisse de la déposition quand les coupables ne
» se corrigent pas après avoir été avertis.... sont : jouer
» aux jeux de hasard, l'ivrognerie... la médisance (can.
» *Clericus maledicus*, dist. 46), habiter avec les femmes
» étrangères (can. *Oportet sacerdotes*, dist. 81), le port
» d'armes (can. *Clerici* et can. *Quicunque*, causa 23, q.
» 8, etc.).

» Aujourd'hui pour déposer ou pour dégrader un ecclé-
» siastique, il ne faut pas toujours se régler sur la sévérité
» des anciens canons, mais sur l'usage des temps et des
» lieux. » (14ᵉ conf. *sur les censures*, p. 353, édit. 1830.)
Vid. alia infra (6328, 6330-6332); et apud Bouix, *De Parocho*, p. 374, etc.

537. Quærit. 2° Utrum dimittenda sint officia ante judicis sententiam quando pœna privationis in jure exprimitur?

Resp. Duplici modo pœna privationis in jure exprimitur : vel tanquam incurrenda ipso facto, vel tanquam imponenda per sententiam : si priùs, minimè necessaria est sententia ad pœnam damnans, cùm à jure infligatur : sed ordinariè (nisi tam notorium sit crimen ut nullo modo dene-

gari possit), necessaria est saltem sententia declarans crimen fuisse commissum, et tunc, quamvis validi fuerint actus jurisdictionis, talis sententia effectum habet a momento patrati delicti; et fructus beneficii etiam percepti ab hoc momento sunt restituendi juxta omnes (Bouix, *De Parocho*, p. 372).

Si posteriùs, necessaria est sententia, etiam ad pœnam damnans; si quidem pœna à jure determinata, ab ipso tamen non imponitur, sed relinquitur imponenda a judice: proinde tunc privatio officii effectum non habet nisi a momento prolatæ sententiæ. Vide infra dicenda (6334, 6336.).

558. Quærit. 3° Quænam sint crimina quibus ipso jure annexa est pœna privationis officii, aut quibus hæc pœna non est annexa nisi post judicis sententiam?

Respondeo I° Ipso facto à jure annexa est pœna depositionis in casibus sequentibus:

1° Propter crimen hæreseos (cap. *Ad abolendum*, *de Hæreticis*). 2° Si parochi « infra annum à sibi commissi » regiminis tempore numerandum, non se faciant ad sa- » cerdotium promoveri, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ » etiam præmissâ monitione privantur. » Ita cap. *Licet*, canon 14, *de Elect.*, in 6°.

3° Si clericus detineretur ad extorquendam ab eo renuntiationem sui beneficii, vel ad impediendum quominus Romam adeat et coram tribunali Papæ se sistat (Clement. *Multorum* 2, *de Pœnis*, § *Quòd si inferior*, et Constitit. *In eminentis Sedis* Alexandri VI.). V. Stremler, *Des peines ecclésiastiques*, p. 33.

4° Ipso jure vacant beneficia illius qui ante expeditionem litterarum apostolicarum, beneficii à Papâ sibi collati possessionem apprehendit (Const. Julii III, 27 maii 1553. Vid. etiam cap. *Eum qui* 18, *de Præbendis*, in 6°).

5° Item illius qui litteras apostolicas falsificat (cap. *Ad falsariorum*, *de crimine falsi*).

6° Item illorum qui malè promoti ad ordines, v. g. per saltum, vel absque titulo aut dimissoriis aut ante legiti-

tiam ætatem, in receptis ordinibus ministrare præsumunt (Const. *Sanctum et Salutare* Sixti V).

7° Item eorum qui bona Ecclesiæ suæ, extra casus à jure permissos, absque Sedis Apostolicæ consensu alienant (Extravag. *Ambitiosæ*, inter comm.).

8° Item propter crimen assassinii, non tantùm in iis qui pretio conducti occidunt, sed in iis qui pretio conducunt (Cap. 1, *De Homicidio*, in 6°).

9° Item occidentes vel percutientes Cardinalem aut Episcopum et occidentes rectorem vel beneficiatum illius ecclesiæ in quâ homicida suum habet beneficium (Vid. ap. Leuren., part. 3, q. 209).

10° Item crimen procurantis abortum (Const. Sixti V., IV Kalendas nov., 1588).

11° Sodomia, ex Constit. *Horrendum* S. Pii V., III Kalendas sept. 1568; propter hoc crimen etiam degradationi reali locus esset.

12° Simonia realis, confidentialis et mixta (Leuren. ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 376).

13° Duellum, etiam morte non secutâ (ex variis Bullis et Conc. Trident., sess. 25, c. 19). Vid. Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 100.—Circa hæc omnia vid. Bouix, *De Parocho*, p. 374 et seq.; *Ferraris*, V° *Beneficium*, art. 7, n° 19, etc.; et insuper Lequeux, n° 1406.

559. Resp. II. Ex jure imponi potest pœna depositionis in sequentibus casibus :

1° Ob omissam habitûs clericalis gestationem (Conc. Trid., sess. 14, c. 6, *de reform.*).

2° Ob omissam residentiam (Trident., sess. 23, cap. 1; sess. 24, cap. 12, *de reform.*).

3° Quando post sex menses ab obtento beneficio, beneficiarius legitimè admonitus contumaciter omittit, saltem bis per quindecim dies, recitare horas canonicas (Ita Concil. Later. V, ap. Labbe, t. 14, col. 227). Vid. infra dicenda (5109-5113).

4° Si excommunicatus, vel suspensus insordescat per annum in suâ excommunicatione, vel suspensione. Ita communiter ex Conc. Trid., sess. 25, cap. 3.

5° Si quis sit irregularis ex delicto privatione beneficii digno (Vide Leuren. parte 3, q. 208.).

6° Ob homicidium, furtum, perjurium, etc. (cap. *Cùm non ab homine*, *de Judiciis.*).

7° Ob sacrilegium cum moniali: imò dubitatur in hoc casu an privatio non incurratur ipso facto (Can. 28, *Si qua monacharum,* causa 27, q. 1ª.).

8° Ob concubinatum (Conc. Trid., sess. 25, c. 14, et sess. 21, cap. 6, *de reform.*). Quando solummodo constat de frequenti conversatione cum muliere suspectâ, non potest statim procedi ad privationem officii, sed servanda est forma a Trident. præscripta; attamen post primam monitionem et punitionem, qui curam habent animarum (non autem alii beneficiarii) si non resipiscant, suo beneficio privari possunt ex eodem Concilio Trident. (sess. 21, cap. 6, *de reform.*). Vide infra dicenda (6259, etc.).

Quando verò constat de iterato actu carnali, imò de unicâ fornicatione, controvertitur utrum statim possit procedi ad depositionem officii. Certum tamen videtur quòd ad hanc possit procedi ubi talis viget consuetudo. Bouix, *De Parocho*, p. 379.

9° Casu quo Ecclesiasticæ personæ directè vel indirectè aliam personam Ecclesiasticam trahunt ad forum seu judicium laicale pro negotio de quo in foro Ecclesiastico ordinari consuevit, vel potest de jure, vel consuetudine, vel aliàs; non tantùm personæ hujusmodi excommunicationem ipso facto incurrunt per Bullam Martini V *Ad reprimendas insolentias*, *sed si rebelles sint et incontinenti non obediant, per privationem suorum beneficiorum compelli possunt*[1] Sunt et plures alii casus quibus ex jure infligi potest pœna privationis, ut videri potest ex dictis suprà (556) et alibi.

II

DE OFFICIIS AD NUTUM AMOVIBILIBUS.

560. Talia sunt imprimis parochiæ quæ *succursales* nuncupantur: « Olim, inquit Lequeux (nº 112), *deservitor* « dicebatur ille sacerdos qui provisoriè ministrabat ec- « clesiæ vacanti; succursalis verò dicebatur Ecclesia seu

[1] Vide tamen t. II, p. 136, 7°.

» cappella quæ erat constituta intra fines alicujus parochiæ,
» et in quâ, sub regimine Pastoris dictæ parochiæ, *Vica-*
» *rius amovibilis* obibat ministeria pastoralia celebrabatque
» divina officia. » Hodie in Galliâ rectores succursalium sunt veri parochi, quamvis amovibiles ad Episcopi nutum.

561. Legitima est institutio Succursalium quales hodie apud nos existunt. Etenim, ut supra diximus (552), de essentiâ parochi non est quòd sit inamovibilis : reclamatio S. Sedis contra *articulos organicos*, absolutum servat silentium de art. 31, 60, 61, ubi de sacerdotibus ad succursales parochias nominatis dicitur : « Ils seront approuvés par
» l'Évêque et révocables par lui. » Imò Consultationi Episcopi Leodiensis responsum fuit à Sede Apostolicâ, 1 maii 1845, quòd « SS. DD. Noster, universâ rei de quâ in pre-
» cibus ratione perpensâ.... benignè annuit, ut in regi-
» mine *ecclesiarum succursalium*, de quibus agitur, *nulla*
» *immutatio fiat*, *donec aliter a S. Sede Apostolicâ statu-*
» *tum fuerit.* »

« Hunc regiminis.... ordinem.... nihil.... aut menti
» Ecclesiæ, aut ministerii sacri naturæ habere contrarium
» censet et declarat Synodus (Avenionensis anni 1849,
» p. 81) cùm ille tum in primis sæculis, tum variis postea
» temporibus reapsè floruerit. »

Eodem sensu loquuntur Concilia ejusdem anni tum Provinciæ Remensis (p. 111) tum provinciæ Turonensis, p. 49 et 50.

562. Item amovibiles sunt Vicarii Generales, Officiales, et apud nos in plerisque diœcesibus Archidiaconi, ubi nempe hâc dignitate insigniti sunt Vicarii Generales. Mos iste, inquit Concilium Remense anno 1849 (tit. 14, cap. 1), « apud Gallicanas Ecclesias à Concordato 1801 universè
» invaluit (459). »

Item apud nos Archipresbyteri et Decani rurales. Quoad Theologales et Pœnitentiarios, vide D. Bouix, *De Capitulis*, (p. 109) et infra dicenda (2201-2203). In diœcesi Diniensi sunt amovibiles ex consensu S. Sedis. Vide *Instit. de Digne*, p. 93. In multis Capitulis Vicarius ad curam parochiæ Cathedralis deputatus est amovibilis, et quidem in Galliâ,

ordinariè ad nutum Episcopi : « Canonicus Curatus ab offi-
» cio suo, non autem à Præbendâ, *nutu Episcopi* erit
» amovibilis, » inquiunt Constitutiones Capitulares diœcesis
Molinensis (art. 27) a S. Sede approbatæ.

563. Quærit. Utrum parochi vel alii ad nutum amovibiles revocari possint sinè causâ ?

Resp. Quidquid dicant pauci contradicentes, communiter à DD. sustinetur sententia affirmans : Ratio, quia illud est de naturâ officii ad nutum revocabilis : « Est de essentiâ
» *manualitatis* ut possit fieri revocatio *ad nutum*, sed jus
» revocandi ad nutum est jus revocandi sinè causâ : ergo
» de essentiâ manualitatis est ut legitimè possit revocatio
» sinè causâ fieri. » Et insuper sic decisum fuit a Rotâ Romanâ die 23 junii 1642. Bouix, *De Parocho,* p. 411 ; Card. Soglia, *Instit. jur. privat.*, p. 15; *Analecta,* sept. 1855, col. 1657.

Exceptiones tamen quasdam apponunt canonistæ, nempe : « Si amotio fiat ex odio aperto [1] vel legitimè præ-
» sumpto; si cedat in infamiam revocati, vel ipsi damnum
» ab amissione beneficii diversum inferat ; si cedat in dam-
» num tertii, præsertim parochiæ ; si non soleat superior
» revocare sinè causâ, quia tunc redit casus damni quoad
» famam. » Ita Bouix (*ibid.*, p. 419), qui tamen (p. 415) asserit quòd « ex eo quòd revocans sinè causâ agat ex
» pravo motivo non sequitur eum non uti jure suo, aut
» injuriam facere revocato. »

« Si quis, ait idem (p. 419), sinè causâ removeretur
» quin simul alteri parochiæ vel muneri præficeretur,
» posset ad superiorem recurrere : tunc enim graviter
» læderetur ejus fama, quia ex gravi culpâ remotus cen-
» seretur. »

Etsi cum juramento promisisset Episcopus non revocare parochum ad *nutum* amovibilem, adhuc tamen posset illum *ad nutum* revocare quia per talem promissionem

[1] Odium non præsumitur sed probandum est a revocato, idem est dicendum de infamiâ vel damno ex mutatione obveniendo. V. *Analecta*, sept. 1855, col. 1660, nº 66.

non mutatur nec mutari potest ab Episcopo natura beneficii : perjurus tamen esset Prælatus in casu supposito, ob violationem juramenti a se præstiti. Ita Leuren., ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 420, etc.

564. Addendum etiam peccare eum qui absque ullâ causâ honestâ et rationabili revocat aliquem ab officio etiam ad nutum amovibili : unusquisque enim tenetur in suis actibus habere finem honestum, et insuper frequens rectorum mutatio esset Ecclesiæ damnosa (Bouix, *ibid.*, p. 415).

565. Nota quoad vicarios *ad nutum* collegii, ut puta, Capituli amovibiles, quòd non possint removeri ab Episcopo nisi pro culpâ tali qualis requireretur ut possent amoveri si essent perpetui; sed Capitulum potest eos sinè causâ removere modò non ex odio, aut cum damno famæ, etc. Sic decisum fuit a S. Congr., ut videre est apud D. Bouix, *De Parocho*, p. 423. Rari autem sunt, apud nos, si tamen aliqui tales adsint Vicarii curati qui ad nutum Capituli sint amovibiles : sunt potiùs amovibiles apud nos ad nutum Episcopi (457, 458).

§ IV.

De cessatione jurisdictionis ordinariæ in quibusdam eventibus a supra enumeratis distinctis.

566. Pluribus aliis modis cessare potest jurisdictio ordinaria et vacare queunt officia ecclesiastica :

« 1° Igitur vacat de jure et de facto beneficium per mor-
» tem naturalem beneficiati. Cap. *Susceptum* 6, *de Res-*
» *criptis*, in 6°, Rota...

» 2° Vacat ipso jure per mortem civilem [1], veluti per in-
» gressum Religionis professione secutâ (cap. *Beneficium* 4,
» *de Regul.*, in 6°, Rota...) Intra annum probationis... non
» vacat, ne egrediens de religione illo privetur, cit. cap.

[1] « Per mortem civilem veluti per captivitatem Episcopi aut alterius » beneficiati, per deportationem, per damnationem ad carcerem aut » ad triremes perpetuas beneficia ipso jure non vacant, sed per Vicarium vel coadjutorem administrantur, nisi damnati... per legitimi » judicis sententiam beneficio quoque privati sint. » Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 100.

» *Beneficium*... Quoad religiosos Societatis Jesu omninò
» servanda est Constit. Bened. XIV... *Ex quo dilectus*...
» 5° Vacat per contractum matrimonii per verba *de*
» *præsenti*, etiam non secutâ copulâ, non verò per spon-
» salia (cap. *Si quis clericorum* 1, cap. *Quod à te, de clericis*
» *conjug.*, Rota...) Ad effectum... vacationis propter matri-
» monium attenditur solum factum, non autem facti vali-
» ditas... Rota...
» 6° Vacat ipso jure beneficium per militiam sæcularem
» à clerico minoristâ assumptam... cap. *Quicumque ex*
» *clero* 6, causa 23, q. 8...
» 7° Per promotionem ad Episcopatum post obtentam
» possessionem ipsius et secutam consecrationem, vel
» saltem post lapsum temporis ad petendam confirmatio-
» nem præfixi, vacant ipso jure præhabita beneficia (cap.
» *Cùm in cunctis* 7, *de Elect.*, § *Cùm verò;* Rota, part. 14 Dec.
» 266, n° 2.) nisi præventiva concessa fuerit à Papâ facul-
» tas ea retinendi. Rota... » Ita Ferraris, V° *Beneficium*, art. 7, n^is^ 1-12.

Quoad Vicarios Generales et Officiales, quocumque modo vacet Sedes Episcopalis, per mortem, dimissionem, revocationem, etc., statim ipso facto, hæc jurisdictio vicaria cessat.

ART. III.

DE RESTRICTIONE JURISDICTIONIS.

567. « Jurisdictio restringitur quando ei aut subducuntur
» certi subditi, aut subducitur certa materia quæ alioquin
» eidem subjecisset : subducuntur subditi per exemptiones;
» subducitur materia per reservationes. » Ita Lequeux (n° 150).

Ligari aut etiam suspendi potest jurisdictio per censuras aut irregularitates : de his autem loquemur in specialibus locis.

De reservationibus jam locuti sumus (444-450); dicemus infra de casibus reservatis quoad absolutionem, loquendo de confessariis vel in tractatu de censuris, et alibi passim de quibusdam aliis reservationibus. Igitur hic erit tantùm sermo de Exemptionibus.

DE EXEMPTIONIBUS.

568. Exemptio definiri potest: « Privilegium per quod » aliqua communitas regularis aut sæcularis existens intra » territorium alicujus jurisdictionis ordinariæ, eidem sub- » ducitur. » Lequeux (n° 131).

« Triplex distinguitur exemptionis species, ait Bouix » (*De Episcopo*, t. 1, p. 530, etc.). *Infima*,... quando ab » Ordinarii jurisdictione eximitur aliquis Prælatus cum » corpore... monasterii aut Ecclesiæ suæ, sed quin ipsi » conferatur juridictio in alicujus monasterii clerum et » populum (distinctum à monasterio). *Media*... quando » ipsi insuper jurisdictio tribuitur in clerum et populum » alicujus territorii, sed quin territorium declaretur... » separatum à diœcesi in quâ existit. *Suprema*... quando » ita constituitur Ordinarius territorii ut territorium... » separatum pronuncietur : quo casu Prælatus dicitur... » *nullius diœcesis*. »

Insuper exemptiones aliæ sunt a S. Pontifice concessæ, aliæ ab Episcopis, aliæ à jurisdictione Episcopali, aliæ a Parochiali aut etiam inferiori jurisdictione.

569. Adversùs Exemptiones regularium jamdudum acriter invecti sunt varii auctores qui præsertim in Sedem Apostolicam malè affecti erant. « Quotquot recensebis, à » Guillelmo à Sancto Amore usque ad exortam Jansenia- » nam sectam Pontificiis censuris damnatos ac hæreticâ » labe infectos auctores, inquit D. Bouix (*De Regul.*, t. 2, » p. 86), tot ferè numerabis exemptionum impugnatores » acerrimos... » His sæculo proximè elapso se adjunxit Episcopus De Hontheim sub Febronii nomine. « Tria... » Febronius statuit : 1° Regularium exemptiones mona- » chis in præjudicium juris Episcopalis concessas fuisse... » 2° eas esse regulari observantiæ noxias; imò 3° sæcu- » laribus potestatibus graves. » (Ap. *Antifebron. vindic.*, diss. 4, cap. 4, n° 1.)

Ipsemet Bossuetius exemptiones insectatus est, et superbiæ et ambitioni SS. Pontificum eas videtur tribuere (*Def. Declar.*, coroll. n° 11, post ultim. caput tertiæ partis

ante appendicem); et Holden, in suo opere, *Divinæ fidei analysis*, etc. nuncupato, audet dicere : « Verum est...
» in suâ quâlibet diœcesi, Episcopum adeo singulis superiorem esse, clerumque totum et populum sibi subditum
» habere *jure naturali et divino*, ut nulli prorsus in terris
» auctoritati liceat sacram hanc ordinationem violare. Si
» quando verò SS. Pontifices, aut regum precibus aut
» Episcoporum incuriâ imò vel consensu, ab Ordinariorum
» jurisdictione, exemptiones quasdam vel regularibus
» vel aliis quibuscumque concesserunt, hoc *juris esse in-*
» *fallibilis*, cùm sit in Episcoporum ordinariorum sanctæ
» et divinæ auctoritatis detrimentum, non facilè credet
» peritus quisque et ab immodicâ cupididate liber qui
» rem seriò perpenderit. » Apud *Cursum complet. Theolog.*, t. 6, col. 811, etc.)

570. Præfatus auctor citat S. Franciscum Salesium qui reverà in suâ epistolâ ad Episcopum Bellicensem (319e lettre, t. 9, p. 352, edit. 1833), ait.: « Monseigneur, je me
» réjouis, certes, de vos victoires; car, quoique l'on sache
» dire, c'est la plus grande gloire de Dieu que notre Ordre
» épiscopal soit reconnu pour ce qu'il est, et que cette *mousse*
» *des exemptions* soit arrachée de l'*arbre de l'Eglise* où
» l'on voit qu'elle a fait tant de mal, ainsi que le S. Con-
» cile de Trente a fort bien remarqué. » (Sess. 24, c. 11, *de ref.*)

571. Difficilè dissimulari posset quosdam reverà irrepsisse abusus in nimiâ extensione exemptionum, et sic explicantur verba S. Francisci Salesii modò relata : intelligitur etiam quomodo S. Bernardus (lib. 3, c. 4, nis 16 et 18, *De Consider.)*, potuerit dicere de exemptionibus :
« Vel nullæ, vel paucæ admodum sunt (Ecclesiæ) quæ
» plagam istam aut non doleant, aut non timeant... Nullus
» est enim (fructus) nisi quòd inde Episcopi insolentiores,
» monachi etiam dissolutiores fiunt... Quòd si dicat Epis-
» copus, nolo esse sub Archiepiscopo; aut Abbas, nolo
» obedire Episcopo, hoc de cœlo non est [1]. » His certe abu-

[1] Hæc non impedière tamen quominus ipse S. Bernardus postula-

sibus alludit Concil. Trident. (sess. 24, cap. 11, *de refor.*), ubi caput *Cùm cappélla*, *de Privilegiis*, innovat, et ubi tamen dicit : « Quoniam privilegia et *exemptiones*, quæ variis titulis » plerisque conceduntur, *hodie perturbationem in Episco-* » *porum jurisdictione excitare, et exemptis occasionem* » *laxioris vitæ præbere dignoscuntur*, decernit, etc. » Sed his concessis, legitimitatem exemptionum in genere in dubium revocare minimè licet.

572. Legitimæ enim sunt exemptiones, si 1° sint antiquissimæ in Ecclesiâ ; 2° si nonnisi à legitimo exercitio potestatis competentis procedant : atqui hæc duo certa sunt (loquimur imprimis de exemptionibus regularium, de quibus maximè est difficultas).

1° *Exemptiones sunt antiquissimæ :* etenim, anno 390, S. Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus, ordinationem fecit in monasterio Bethleemitico ubi degebat S. Hieronymus, et cùm ex hoc illatam fuisse suæ jurisdictioni injuriam conquerebat Joannes Hierosolymitanus, sic se excusavit S. Epiphanius : « Nihil tibi... injuriæ fecimus.. ; in monas- » terio ordinavimus... et non in parœciâ (*diœcesi*) quæ » tibi subdita sit. » Ergo jam tunc exstabant monasteria a jurisdictione Ordinarii exempta.

Anno 455, In Concilio Arelatensi 3, decretum fuit Episcopum Forojuliensem nihil aliud potuisse exigere à Fausto Lirinensi quàm quòd istius religiosi a se ordinarentur ; itemque a se confirmationem ac Chrisma acciperent et quòd advenæ clerici a se pariter ad communionem et ad sacri ministerii exercitium admitterentur ; *cætera verò ad solam ac liberam Abbatis dispositionem pertinerent :* « regulâ, inquiunt Patres, quæ a Fundatore ipsius mo- » nasterii dudum constituta est, in omnibus custoditâ. »

Multa alia testimonia referri possunt ut videri potest apud D. Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 90, etc. ; sufficiat hic tantùm addere quæ statuit S. Gregorius Magnus in Concil.

verit et obtinuerit exemptiones pro suis monasteriis, ut constat ex diplomate concesso ab Innocentio II Monasterio B. Mariæ Dei Genitricis. V. ap. D. Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 117.

Romano, anno 601 : « Quia in pluribus monasteriis, inquit,
» multa a Præsulibus præjudicia atque gravamina mona-
» chos pertulisse cognoscimus, oportet ut Vestræ Fraterni-
» tatis provisio de futurâ quiete eorum salubri disponat
» ordinatione... Interdicimus igitur in nomine D. N. J. C.,
» et ex auctoritate B. Petri... prohibemus ut nullus Epis-
» coporum aut sæcularium ultra præsumat de redditibus,
» rebus, vel chartis monasteriorum... minuere, vel dolos
» vel immissiones facere... neque audeat sibi cathedram
» collocare, vel quamlibet potestatem habere imperandi,
» nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi,
» nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi
» semper maneant in Abbatum suorum potestate. Hanc
» ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tem-
» pore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatam-
» que servari.

» Universi Episcopi respondêre : « Libertati Monachorum
» congaudemus et quæ nunc de his statuit Beatitudo Ves-
» tra, firmamus. »

(Vid. insuper Soglia, *Inst., jur. public.*, § 35.)

Ergo antiquissimi juris sunt exemptiones, et verisimillimè simul ac fundata sunt monasteria enatæ, proinde non à falsis Decretalibus Isidorianis. In variis tamen locis videntur monasteria fuisse Episcopis subjecta ut colligi potest ex can. *Abbates* et can. *Monasteria*, 18, q. 2 (Vid. Reiffenst., lib. 1, t. 31, n° 107).

573. — 2° *A legitimo exercitio competentis auctoritatis procedunt :* Constat assertio, modò 1° S. Pontifex possit aliquos eximere à jurisdictione Prælatorum inferiorum; et modò 2° rationes sufficientes habeat ad tales exemptiones constituendas : atqui 1° Summo Pontifici inest potestas aliquos eximendi a jurisdictione Prælatorum inferiorum :
« Quemadmodùm (enim), inquit Zaccaria in *Antifebronio*
» *vindicato* (diss. 10, cap. 4, n° 2, t. 27, *Curs. Complet.*),
» politici principis est familias de se ac de patriâ benè
» meritas privilegiis ornare posse, easque non modò a
» communibus vectigalibus eximere, verùm etiam a præ-
» fectorum urbium præsidumque provinciarum auctoritate

» exemptas, suæ tantùm jurisdictioni subjicere; ita Su-
» premo Spiritali Principi jus esse debet religiosorum
» cœtuum, ob res pro catholicâ Ecclesiâ præclarè gestas,
» præmiis afficiendorum, ac suæ propterea *immediatè* po-
» testati asserendorum. Nam etsi Episcopi ejus Vicarii non
» sunt, uti præfecti urbium ac provinciarum præsides
» regis vicarii habentur, ad Summum tamen Pastorem
» spectat, quemadmodum illorum ovilia aut coactare
» aut amplificare, ita et oves eis assignare. Quid ergo vetat
» quominus harum aliquot sibi pascendas servet? Atqui
» hoc demùm est quod Pontifex facit dum regularium
» cœtus uni sibi subjectos esse dicit : oves illas minoribus
» pastoribus subtrahit, sibique Supremo universarum
» ovium Pastori regendas adciscit. Neque verò id est Epis-
» copum jura invadere. Exemplum profero multò ad rem
» nostram accommodatius. Parochi intra parœciarum
» fines unum aut alterum, aliquando plura sanctimonia-
» lium cœnobia habent : fac illos de Episcopis queri quòd
» illa ab ipsorum regimine avulsa, aliis sacerdotibus in
» omnibus quæ ad sacramentorum administrationem ac
» spiritualem gubernationem pertinent, regenda tradant;
» ridebuntur sane : neque injuria; cùm enim Episcopi
» sint omnium intra diœcesim ovium ordinarii pastores,
» ita gregis sui portionem parochis custodiendam credere
» possunt, ut ex illâ ipsâ aliquot oves demant, quas ipsi per
» se vel per alios pascant. Quidni igitur idipsum Supremo
» Christiani ovilis Pastori liceat, quin inferiores pastores
» illatam sibi suoque muneri injuriam doleant? »

574. Ergo S. Pontifex potestatem habet eximendi a jurisdictione Prælatorum inferiorum. « Est enim, inquit
» D. Bouix (*De Regul.*, t. 2, p. 115), jus illud apud
» catholicos extra omnem controversiam, nec censuram
» effugeret qui *validas* negaret a Romano Pontifice con-
» cessas exemptiones.. Cæterùm, ut ait Bianchi, *ad jus quod*
» *attinet Sedis Apostolicæ, Monasteria ab Ordinariorum*
» *jurisdictione eximendi, non puto ullum existere catholi-*
» *cum qui illud in dubium revocare audeat* (*Potestà della*
» *Chiesa*, t. 4, p. 378, edit. Romæ 1846). »

575. — 2° Sunt rationes sufficientes quæ illum ad sic agendum movere possunt.

Illas rationes in extenso exponere non vacat, indicare sufficiat ; istæ enim sunt : ne regularium congregationum unitas dissolvatur ; ut efficaciùs promoveatur et conservetur disciplina religiosa ; ut provideatur quieti religiosorum et ab ipsis varia arceantur gravamina ; ut fortiori vinculo particulares Ecclesiæ centro unitatis Sedi Apostolicæ devinciantur : ex frequentiori enim, et magis intimâ exemptorum ordinum cum Apostolicâ Sede relatione, è regularium castris procedent ad Domini prælia instructi, qui veritatis hostes strenuè repellant atque prosternant. Vide hæc omnia fusiori calamo elucidata ap. D. Bouix (*De Regul.*, t. 2, p. 110-120). Ergo exemptiones a legitimo exercitio potestatis competentis procedere valent. Ergo, etc.

576. Quærit. 1° Utrum vi exemptionum regulares omnino fuerint subducti jurisdictioni Episcoporum ?

Resp. negativè : multæ enim exceptiones fuerunt inductæ, sive a jure communi ante Concilium Tridentinum, sive ab ipsomet Concilio Tridentino, sive per varias Constitutiones Pontificias post dictum concilium.

577. Sic 1° regulares degentes extra claustra modo permanenti (id est sinè licentiâ superioris, aut in loco ita longinquo ut à superiore puniri non possint nisi post longum tempus, non verò transitoriè, causâ v. g. prædicandi aut confessiones excipiendi, etc.) possunt ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, visitari, puniri et corrigi (S. Liguor., *de Privil.*, n° 82).

Si verò regularis degens intra claustra delictum patraverit extra monasterium, imò intra claustra, ita ut oriatur scandalum in populo, potest Episcopus ipsius superiori præfigere tempus ad delinquentem puniendum, quo præterito, si negligat superior pœnam infligere, ab ipso Episcopo delinquens potest puniri (V. S. Liguor., *ib.;* Ferraris, v° *Regularis*, n[is] 40-42. Vide alia ap. S. Liguor., *ibid.*).

Cùm autem superiores interdum delinquentem extra diœcesim impunitum dimitterent, Clemens VIII in suâ Const. *Suscepti*, omnibus ordinum Præpositis sub pœnâ

privationis officii mandavit ut infra præstitutum ab Episcopo tempus, reum, ubicumque esset, castigarent, et si hoc neglexerint, delinquentem debet punire Ordinarius loci ad quem transmissus est (Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, p. 53; — *Prælect. S. Sulpitii*, n° 461 in fine)[1].

578. Sic 2° regulares apostatæ, ejecti, vel absque scriptâ licentiâ peregrinantes, subsunt jurisdictioni Episcopi. Id constat tum ex Conc. Trid., sess. 25, c. 4, *de reform.*; tum ex S. Congr. Concilii, 21 decemb. 1624.

Sic 3° potest Episcopus coercere et punire regulares qui ipsius jurisdictionis exercitium impediunt (Reiffenst., lib. 1, tit. 31, n° 122).

Sic 4° potest publicè denuntiare regulares qui ob notorium crimen in excommunicationem inciderunt (*ibid.*, n° 123); de hoc tamen controvertitur, juxta S. Liguor. (*de Privil.*, n° 77, in fine).

Sic 5° ut novus conventus erigi valeat necessaria est licentia Episcopi (Conc. Tridentin., sess. 25, c. 3, *de regul.*). Vide infra (2545-2548).

Sic 6° regulares exempti tenentur publicare in suis ecclesiis, si Episcopus mandet, censuras et interdicta ab illo prolata, ac ipsis sese accommodare (Conc. Trid., sess. 25, c. 12, *de ref.*).

579. Sic 7° ad interessendum processionibus publicis cogi possunt regulares ab Episcopo nisi sub strictiori clausurâ degant, aut dimidio milliari distent à civitate, aut habeant privilegium speciale quoad hoc, prout Jesuitæ et nonnulli alii ordines. Vide Conc. Aven. 1849, p. 85.

Controversias omnes *de Præcedentiâ*, relativè ad has processiones et in associandis defunctorum cadaveribus

[1] Olim in Galliâ regulares Ordinariis subjiciebantur quoad delictum scandalosum extra monasterium commissum, nec reus Ordinarius tenebatur ad eorum superiores deferre : « Dans ce royaume, inquit » Ducasse (*Pratique de la jurisdict. cont.*, 2e partie, page 36), nous » tenons comme une maxime constante que dans ce cas il n'y a pas » d'exemption, et qu'un religieux qui délinque hors de son cloître est » sujet à la correction de l'Ordinaire. » Sed constat quòd hæc jurisprudentia mutata fuerit per Concordatum, aut potiùs per Bullam *Qui Christi Domini* anni 1801.

potest Episcopus dirimere (Reiffenst., lib. 1, tit. 31, n° 129; et Concil. Trid., sess. 27, c. 13, *de regul.*).

Ad faciendam processionem intra claustra, aut deficiente spatio, extra ambitum ecclesiæ prope muros, nullâ licentiâ indigent regulares : sed ad faciendam processionem extra ambitum, et non prope muros, licentiâ indigent: sufficit autem licentia parochi; item Episcopi, etiamsi parochus deneget (S. Congr. Conc., 12 jan. 1726 et 3 aug. 1686).

580. Sic 8° regulares Ordinario subjiciuntur pro habendo sacro chrismate et consecrandis ecclesiis (Reiff., *ib.*, n° 131).

581. Sic 9° Superior regularis potest quidem litteras dimissoriales suis subditis concedere; Episcopum tamen diœcesanum adire debet regularis ordinandus; si verò Diœcesanus abfuerit, vel non habiturus sit ordinationem, alius quicumque Episcopus adiri poterit (Reiffenst., *ibid.*, n° 133; – Conc. Trid., sess. 23, c. 10, *de reform.*). —Vide infra dicenda (1994-1998, 2690, 7°).

Si religiosus esset *nullius diœcesis* teneretur adire Episcopum proximiorem, vel illum intra cujus diœcesim existit monasterium; quoad hoc verò duntaxat Episcopis subduntur religiosi *nullius diœcesis*. Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 159.

582. Sic 10° « Animarum curam in sæculares personas » exercentes in ecclesiis quæ monasteriis.... adnexæ sunt, » sive ipsi regulares sint sive sint sæculares, sacri Tridentini » Concilii præscripto (sess. 25, cap. 11, *de regul.*) subesse » debent immediatè, in iis quæ ad dictam curam et sacra» mentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, » visitationi et correctioni Episcopi in cujus diœcesi sunt » sita, exceptis.... iis monasteriis in quibus Abbates gene» rales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem » habent, atque aliis monasteriis... in quibus Abbates aut » alii regularium Superiores jurisdictionem episcopalem » et temporalem in parochos et parochianos exercent. » Bened. XIV, Constitut. *Firmandis*, 6 novemb. 1744. Quomodo autem facienda sit visitatio, et alia, vide apud Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 138; — S. Liguor., *de Privileg.*, n° 79; —Ferraris, v° *Regularis*, art. 2, n° 104; — et infra (905).

583. Sic 11° potest Episcopus sacramentum confirma-

tionis administrare in ecclesiis regularium, etiam non parochialibus (Bened. XIV, *ib.*, § 6).

584. Sic 12° non tantùm regulares parochi Episcopo subjiciuntur quoad curam animarum, sed omnes regulares quoad sacramentorum administrationem, erga sæculares qui non sunt intra septa monasterii et sub regularium obedientiâ (Greg. XV, Const. *Inscrutabili*). Nequit tamen Episcopus pro arbitrio omnes simul unius conventûs confessarios jam approbatos facultate confessiones audiendi privare. Clem. X, Const. *Superna.*—Ferraris, v° *Regularis*, art. 2, n° 5 : « Præterea notetur Episcopum posse regula- » ribus interdicere auditum confessionum in propriis ædi- » bus, sive cellis, juxta decretum.... S. Congr.... anno 1619, » 15 sept., ut videri potest apud... Ferraris (v° *Regularis*, » art. 2). Potest etiam vetare omnibus confessariis audien- » tiam confessionum mulierum aut puellarum extra con- » fessionale, sub pœnâ suspensionis ab audiendis confes- » sionibus, ex decreto Congr., 18 decemb. 1694, apud » eumdem Ferrarium. » S. Liguor., *de Privilegiis*, n° 78.

585. Sic 13° regulares etiam exempti, dies festos ab Episcopo præscriptos observare debent, ritu tamen regularium quoad missas et cætera officia (Conc. Trid., sess. 25, cap. 12, *de reg.*). Vide Reiffenst., lib. 1, tit. 31, n° 127.

586. Sic 14° non licet regularibus, etiam in propriis ecclesiis, SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè exponere, nisi ex causâ publicâ ab Ordinario probatâ, nisi legitimè invaluerit consuetudo contraria : sic decisum à S. Congr. Rit., 20 febr. 1628. V. Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 213.—Licet eis tamen illud exponere ex causâ privatâ et absque Ordinarii licentiâ in ostiolo tabernaculi aut in pixide velatum, ita ut hostia videri nequeat (Reiffenst., *ibid.*, n° 139).

587. Sic 15° prohibere potest Episcopus ne in suis ecclesiis regulares admittant ad celebrationem missæ extraneos sinè ipsius licentiâ (Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 9, cap. 15, n° 9.) Imò ipsimet regulares extranei non possunt exercere functiones ordinum, præsertim in ecclesiis ad propriam Congregationem non spectantibus, nisi priùs Episcopo vel suis Vicariis ostenderint *superiorum suorum*

documenta quibus obtenti ordinis testimonium et libertas ab omni impedimento irregularitatis vel suspensionis perspecta fuerint (Bened. XIV, Const. *Apostolicum*, 30 maii 1753).

588. Sic 16° regulares non possunt absque approbatione Ordinarii confessiones monialium audire etiam sibi subjectarum (Greg. XV, Bulla *Inscrutabili*, § 5). Dubitatur utrum id intelligendum sit de Generalibus et Provincialibus. V. Bouix, *De Reg.*, t. 2, p. 256; — et infra dicenda (1589).

Confessarius tamen monialium regularibus subjectarum eligi debet à Prælato regulari, non autem ab Episcopo (Bulla *Inscrutabili*, modò citata). Si verò Episcopus, ex rationabili causâ quam non tenetur manifestare, existimaret hunc confessarium esse amovendum, monere deberet Superiorem regularem, et tunc confessarius, si à Prælato non revocaretur, posset ab Episcopo removeri.

Item Episcopus potest compellere Superiorem regularem ut saltem semel in anno offerat monialibus sibi subjectis confessarium extraordinarium qui sit sæcularis, vel ex regularibus alterius ordinis (Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 255-262).

Quoad Confessarium virorum regularium aut sæcularium, vide infra dicenda (1550-1587).

589. Sic 17° Episcopi procurare debent observationem clausuræ monialium etiam exemptarum; sed in hoc casu auctoritate Sedis Apostolicæ procedere debent: imò hoc à quibusdam negatur apud S. Lig., *De Privileg.*, n° 80. Vide Concil. Trid., sess. 25, cap. 3, *De Regul.*

590. Sic 18° absque obtentâ Episcopi et Superioris licentiâ, prohibentur regulares colloqui per quodlibet modicum temporis spatium cum monialibus, etiam sibi subjectis (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, c. 15, n° 7).

Sic 19° regulares etiam exempti si delinquerent circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monalium etiam sibi subjectarum puniri possent ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ ad hoc delegato (Greg. XV, Bulla *Inscrutabili*). — Vid. S. Liguor., *De Privileg.*, n° 83.

591. Sic 20° regulares subduntur Episcopis quantùm

ad erectionem et administrationem confraternitatum, item quantùm ad administrationem hospitalium (Ferraris, v° *Regulares*, art. 2, n^{is} 55-57).

Sic 21° nequeunt regulares habitum sui ordinis mulieribus tertiariis conferre absque licentiâ Episcopi, qui illam concedere non debet, nisi sub quibusdam conditionibus à Bened. XIV enumeratis (*De Syn.*, lib. 9, c. 15, n° 11).

592. Sic 22° monasteria monialium Sedi Apostolicæ immediatè subjectarum regi debent quoad *gubernium spirituale*, non verò temporale, ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato (Conc. Trid., sess. 25, c. 9, *de regul.*).

593. Sic 23° regulares etiam exempti, Episcopis non secus ac sæculares subjiciuntur quoad librorum impressionem (743).

594. Sic 24° nequeunt regulares, absque Ordinarii licentiâ, novas indulgentias quas à S. Sede impetrârunt, publicare (Conc. Trid., sess. 21, c. 9; et sess. 27, *decret. de Indulg.*).

595. Sic 25° regulares, etiam exempti, prædicare nequeunt extra ecclesias sui ordinis, absque obtentâ Ordinarii licentiâ, nisi pro duabus aut tribus vicibus, aut nisi Ordinarius absens esset, et religiosus aliquis transeunter adesset; in quibus casibus parochus illis concedere posset licentiam prædicandi ex concessione Greg. XIII — (Vide S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 125). —In ecclesiis verò ordinis sui prædicare possunt, petitâ Episcopi benedictione, modò non contradicat, quia in hoc casu à prædicatione etiam in ecclesiis suis regulares se debent abstinere (Conc. Trid., sess, 5, c. 2; sess. 24, cap. 4, *de reform.*; Bulla *Inscrutabili*, Greg. XV. — Conc. Avenion., anni 1849, p. 85). Id etiam agnoscebatur olim à lege civili : vide edictum anni 1695, art. 9.—Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 263, etc. — Vide infra dicenda (2893).

Prohiberi nequeunt regulares ne in suis ecclesiis prædicent eâdem horâ quâ concio in ecclesiâ parochiali habenda est, *si huic concioni non intersit Episcopus, vel si per semetipsum non prædicet*, nisi in casibus extraordinariis.

Episcopus prohibere potest regularibus ne aliquo die concionentur ut totus populus conveniat ad Cathedralem (S. Cong. Conc.) — Vid. Bouix, *De Regul.* t. 2, p. 268.

596. Juxta S. Liguor. (*De Privileg.*, n° 76) : « Non potest » vetari regularibus ne celebrent missam in suis ecclesiis » ante missam parochialem et non pulsent campanas, uti » declaravit S. Pius V in Constitutione *Etsi mendicantium*, » § 2. » Vide etiam Ferrar., v° *Parochus*, art. 3, n^is 3-6. Attamen D. Bouix, *De Regul.* (t. 2, p. 341, etc.), aliquam difficultatem, quoad Episcopum, non verò quoad Parochum, reperit in aliquibus responsis S. Congr., quas refert (*ibid.*, p. 344). Sed quidquid sit, in Episcopi arbitrio relinquitur ut prohibeat celebrationem missarum in ecclesiis ad regulares non pertinentibus ante missam parochialem, et à fortiori tempore hujusmodi missæ. Vide infra dicenda (619, ad 15^m). «Frequentia populi ad ecclesiam parochialem » turbari non debet per celebrationem solemnitatum in » aliis ecclesiis. Bened. XIV Const. 42, *Etsi minimè*, » § 15. Ante missam parochialem celebrari non debent » missæ in ecclesiis ruralibus parochiæ proximis.... *ibid.*, » § 14.» Ferr., v° *Parochia*, n^is 52-53.

597. Sic 26° regulares etiam exempti, in causâ hæreseos et aliis ad tribunal Sancti Officii spectantibus subjiciuntur tum Inquisitoribus, tum Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis (cap. *Ad abolendum*, § ultim., *de Hæreticis*, etc.—Conc. Trid., sess. 5, cap. 2, *de reform.*). V. Bouix, *De Regul.*, ibid., p. 149.

598. Sic 27° ad synodos diœcesanas « exempti... omnes » qui aliàs, cessante exemptione, interesse deberent, nec » Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur. Ratione.. tamen parochialium aut aliarum sæcularium eccle- » siarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam » gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse. » (Conc. Trid., sess. 24, cap. 2, *de reform.*) — Vid. etiam Conc. Aven., ann. 1849, p. 85.

Attamen non in omnibus regulares obedientiam præstare debent decretis synodalibus, aut etiam provincialibus. In

quibusnam verò ad id teneantur, vide dictum ap. S. Lig., *De Privileg.*, n° 78.

599. Sic 28° nequeunt novitii bonis suis validè renuntiare absque licentiâ Episcopi aut ipsius Vicarii Generalis et infra duos menses ante professionem (Vide etiam Conc. Aven., 1849, p. 85). Si abeat novitius, omnia quæ sua erant debent ipsi a conventu restitui, et, si opus est, ad id censuris regulares ab Episcopo compelli possunt; item ad Episcopum pertinet explorare voluntatem puellarum religionem ingredientium (Conc. Trid., sess 25, cap. 16, *De Regul.*). V. Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 151.

Sic 29° judicium in causis nullitatis professionis pertinet ad Episcopum conjunctim cum superiore religiosorum (Bouix, *ib.*).

600. Sic 30° regulares, quamvis exempti, nequeunt campanas ecclesiæ suæ pulsare Sabbato Sancto, antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ. Leo X, Const. *Sacrc approbante.*

601. Sic 31° potest Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus regulares exemptos compellere ad habendum professorem Scripturæ Sacræ, modò id commodè fieri valeat. Con. Trid., sess. 5, cap. 1, *de reform.*

Episcopus autem non potest cogere regulares etiam confessarios (licet in conventibus suppressis et postea restitutis, in quibus non degunt 12 religiosi de familiâ, habitarent) ut intersint casuum conscientiæ collationibus, nisi curam animarum exerceant (S. Cong., 2 apr. 1729 et 12 mart. 1718). V. Ferraris, v° *Regular.*, art. 2, n^{is} 61 et 124.

602. Sic 32° cœnobia ubi non degunt saltem sex religiosi, granciæ in quibus commorantur conversi pro agrorum culturâ, subsunt visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii (S. Cong. Conc., 15 nov. 1764). Insuper Episcopus habet jurisdictionem super monasteria in quibus non possunt ali 12 religiosi. Vid. S. Lig. *De Privilegiis*, n^{is} 75-88. Sed *V.* infrà n° 2564, in fine.

603. Sic 33° religiosus exemptus subjicitur Ordinario, in reddendâ ratione de executione ultimæ voluntatis quam gessit (Clem. unica, *de testam.*).

Sic 34° administratores monasteriorum monialium exemptarum debent reddere rationem Episcopo administrationis bonorum eorumdem (S. Lig., *De Privil.*, n° 80, ex Greg. XV).

604. Sic 35° Episcopus præsidere potest electioni Abbatissæ (S. Lig., *ibid.*).

605. Sic 36° « Regulares subduntur Episcopis quantùm ad sacras imagines et reliquias ponendas et exponendas in suis regularibus ecclesiis, cùm id debeat fieri, præviâ approbatione Episcopi. Conc. Trid., sess. 25, *de invocatione*, etc. » Vid. Ferraris, v° *Regulares*, art. 2, n° 53.

Sic 37° Iidem subjiciuntur Episcopis quoad tenendam lampadem accensam ante altare in quo est tabernaculum SS. Sacramenti : nec sufficit tenere lampadem accensam in choro, sed tenenda est ante et prope altare (Cong. Rit., 22 aug., 1699). — V. Ferraris, *ibid.*, n° 71.

606. —Sic 38° « Quamvis ex privilegio quis sit exemptus a » jurisdictione Episcopi, adhuc tamen tenetur Episcopo » reverentiam præstare. Hinc cùm Episcopi venerint in re- » gularium exemptorum Ecclesias ad celebrandum, reve- » renter recipiendi sunt. Possunt ipsi, etiam in regularium » ecclesiis quamtumvis exemptis, populo benedicere atque » in Pontificalibus celebrare, sicque uti baldachino. » (Clem. *Archiepiscopo* 2, *de privil.*) Ita Reiffenst., lib. 1, tit. 31, n° 168. Imò ad id regulares censuris compelli possunt. Vide Bouix, *De Regul.*, ibid., p. 154, et alia apud Ferrar., v° *Regulares*, art. 2, n^is^ 9-149.

607. Superiùs enuntiata intelligi debent, modò non adsint in contrarium specialia privilegia, et quidem applicanda non sunt monasteriis Prælatis *nullius diœcesis* subjectis.

Item « In reliquis quæ ad disciplinam domesticam, » observantiam regularum et votorum, modum vivendi, » officia, promotiones, coercitiones religiosorum pertinent, » nequit Episcopus sese immiscere. » (Card. Sogl., *Instit. jur. privat.*, § 32, in fine.)

Per has autem omnes exceptiones, abundè fuit provisum contra abusus oriundos ex nimiâ extensione exemptionum.

608. Notandum est autem 1° quòd in dubio circa aliquod privilegium, decisio ad S. Pontificem spectat, prout fuit declaratum à Clem. IV et aliis SS. Pontificibus.

2° Privilegio exemptionis regulares renuntiare non possunt, sicut habetur in cap. *Cùm tempore, de arbitris;* quia id redundaret in damnum religionis, proinde nulla consuetudo in contrarium potest in hoc prævalere (S. Lig., *De Privileg.*, n° 73).

3° Exemptione gaudent non solùm professi et conversi, sed etiam novitii et servi regularium qui actu famulantur et resident intra claustra, ac vivunt sub obedientiâ (Conc. Trid., sess. 24, cap. 11).—Vid. S. Lig., *ibid.* 74.

4° Dicit idem S. Liguor. (*ibid.*, n° 72) quòd « Prælati » regulares exempti habeant in suis ecclesiis et monasteriis » jurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, » quàm loca, sicut probant Salmantic. »

609. Quærit. 2° Utrum in Galliâ hodiè exemptiones subsistant?

Resp. Vel agitur de Regularibus, vel de Capitulis, aut aliis locis : si priùs, subsistunt exemptiones quoad ordines exemptos virorum, ut sunt Jesuitæ, Dominicani, Benedictini, Capuccini, Carthusienses, etc.: quamvis enim sit dictum in lege organicâ, art. 10 : « Tout privilége portant exemp» tion ou attribution de la puissance pontificale est aboli, » illa lex utpotè merè civilis nullo modo valet derogare privilegiis ab auctoritate ecclesiasticâ concessis.

Item, Decretum Card. Caprara, 4 junii 180., quo regulares utriusque sexûs, etiam exempti, jurisdictioni episcopali subduntur, difficultatem non facit, quia est intelligendum de priscis religiosis pro tempore eorum dispersionis, ut patet ex contextu. V. Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 122.

Trappistæ quidem per decretum S. C. Ep. et Reg. a. 1834 jurisdictioni Episcoporum, tanquam S. Sedis delegatorum, ad tempus suppositi fuerant ; at exemptionem iterum assecuti sunt, imo et congregationem regularem efformant, uti constat ex decreto ejusdem S. C. die 8 decembris 1892.

9°

Quoad verò moniales Galliæ, pluries à Romanis Congregationibus declaratum fuit ipsarum vota esse duntaxat simplicia, proinde ipsas non esse in stricto sensu veras religiosas eorum ordinum quorum regulam sectantur; ergo non verè pertinent ad ordines exemptos. Vid. Conc. Aven., ann. 1849, p. 87. — Bouix, *ibid.*, p. 132, qui secus esse dicendum contendit de moniabilus Belgii, *ibid.*, p. 123-130.

610. Si agatur de Capitulis aut aliis locis, constat nulla hodie esse exempta in Galliâ, excepto solo Capitulo S. Dionysii quod per Breve *Consueverunt* 31 martii 1857, immediatè fuit subjectum Sedi Apostolicæ, simul ac imperialia Gynæcea (*maisons impériales d'éducation pour les filles*), tum id quod in veteri monasterio S. Dionysii, tum ea quæ in locis *Ecouen* et *S. Germain-en-Laye* erecta existunt, itemque domus quæ vulgò appellatur *Quinze-Vingts*. Hodie solius Capituli superest exemptio.

Per hoc tamen Breve nihil detractum fuit juribus parochorum in iis quæ matrimonia eorumque denuntiationes respiciunt, nec etiam quoad funeralia Capitularium, Præsidum, capellanorum, moderatricum, alumnorum, ministrorum, etc. (Vide *Ami de la Religion*, 17 sept. 1857).

Iisdem die et anno, S. Pontifex Pius IX alterum Breve *Quæ supremi principes*, etc., edidit, quo instituit *Majorem Capellaniam* (*la Grande-Aumônerie*) et vi cujus omnes imperiali sacello addicti, familia imperialis, omnesque personæ eidem actu inservientes vel addictæ, ubicumque Imperator ejusque imperialis aula versatur, necnon personæ omnes cujusque ordinis, conditionis ac sexûs quæ degunt in palatiis imperialibus sive Parisiensi sive Versaliensi; vel commorantur *Saint Cloud, Fontainebleau, Compiègne*, *Rambouillet;* vel in castris imperialibus : *Pau*, *Biarritz, Strasbourg*, subjiciuntur Supremo Eleemosynario quoad curam pastoralem et regimen ac celebrationem divinorum officiorum, et sacerdoti ab ipso approbato. V. *Ami de la Religion*, 8 sept. 1857, p. 588; et D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 524-532. Hæc amplius hodie non vigent.

611. Quærit. 3° Quænam sint exemptiones quoad jura parochialia ?

Resp. In quibus exempti sunt regulares ab episcopali jurisdictione, a fortiori eximuntur à jurisdictione parochiali. Quædam hic sunt specialiter designanda : 1° Non tantùm religiosi professi, sed novitii et postulantes eximuntur à jurisdictione parochiali : imò ex Conc. Trid. (sess. 24, cap. 11) famuli qui degunt *intra septa* et *actu inserviunt conventui*, possunt in ecclesiâ aut conventu regularium communionem paschalem, viaticum, extremam-unctionem recipere. Exigit quidem S. Synodus quòd famuli vivant *sub regularium obedientiâ ;* sed ex pluribus declarationibus S. Congr. Conc. colligi potest quòd sic vivere censeantur qui actu conventui deserviunt ; item omnes oblati, donati seu tertiarii, qui intra septa monasterii commorantur. Ita Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 200-204 ; Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n° 66, qui addit (n° 70) quòd hoc privilegio non gaudeant advenæ qui in monasterio infirmantur, ex decreto S. Cong. Conc., 17 sept. 1670 ; et si ibi decedant, non sepeliri debent in eorum ecclesiis.

« Neque censendi (sunt) habitare intra septa et domum qui » domicilium intra quidem ambitum monasterii (habent), » sed a propriè dicto regularium habitaculo sejunctum. » V. Bouix, *De Regul.*, ib., p. 200, ex Ben. XIV, qui citat unam decisionem S. Cong. Conc.—Vid. etiam *Analecta juris pontif.*, avr. 1855, col. 1389-1393.

612. 2° Quoad juvenes in collegiis regularium admissos et puellas in conventibus monialium educationis causâ degentes, jus non patet : afferuntur enim auctoritates pro et contra : unde cautè procedendum est, et attendendæ sunt locorum consuetudines; quibus in hâc re, inquit D. Bouix (*ibid.*, p. 207), multùm est deferendum : porrò istæ generaliter regularibus suffragantur præsertim quoad puellas in conventibus degentes. Vid. infra (620).

Benè autem possunt, ait idem Bouix (*ib.*, p. 208), hospitalia, collegia, aut alia pia loca, per solam Episcopi auctoritatem eximi ab obligatione recipiendi in parochiâ communionem paschalem, viaticum aut extremam-unctionem. Et reverà solent Episcopi capellanum monialium non exemptarum deputare qui omnia sacramenta, etiam in articu

mortis, eis ministret[1]. Seclusâ tamen consuetudine legitimâ in contrarium aut concessione Episcopi, ad parochum spectat monialibus non exemptis viaticum aut extremam-unctionem ministrare. Ferraris, v° *Capellanus monialium*, n° 18; — Bouix, *De Parocho*, p. 651; — *Analecta*, janv. 1858, col. 503. At mos Galliæ, quod hæc à Capellan. fiant, servandus (S. C. C.).

613. Nullibi præcipitur in jure communi primam communionem esse accipiendam à parocho, vel in propriâ parochiâ. Ita Bouix (*ibid.*, p. 210) : « Quâ verò ætate, inquit Cate- » chismus Romanus (de Eucharistiæ Sacram.), pueris sacra » mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit » quàm pater et sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad » illos enim pertinet explorare et a pueris percontari an » hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acce- » perint et gustum habeant. »

In hâc tamen Provinciâ Avenionensi sic statutum fuit a Synodo provinciali, anno 1849 (p. 55 et 56) : « Pueri ad » primam communionem in ecclesiâ parochiali accedant, » quando rudimenta fidei à parocho edocti fuerint, » et tempus congruum advenerit : attamen in domibus » utriusque sexûs institutioni destinatis, ubi pro officiis » ritibusque sacris est sacellum præpositusque sacerdos, » admittantur ad primam communionem pueri qui eru- » diuntur et instituuntur, sed interni tantùm a tribus sal- » tem mensibus in domo commorantes. » Similia habent Concilia Aquense 1850, Senonense, Rhothomagense, Burdigalense, Rhedonense : unde hoc videtur esse jus receptum in totâ Galliâ. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 216.

614. 3° Licet processiones fieri non possint generaliter a regularibus extra claustra sinè licentiâ Episcopi; sufficit tamen illa licentia absque parochi assensu; imò per Octavam Corporis Christi, etiam in Dominicâ infra eamdem, possunt processionem facere extra limites conventûs, non

[1] Ita in hâc diœcesi Valentinensi (*Ordonn.*, p. 184, etc.); in paginâ verò 229, loquendo de Communitatibus additur : « Nous autorisons » toutes les personnes professes ou novices, qui composent les com- » munautés, ainsi que les tourières et les domestiques, à faire leurs » Pâques dans la maison. »

petitâ parochi veniâ (Const. *Cùm interdum*, Gregorii XIII). V. Bouix, *De Parocho*, p. 523.

615. 4° Regulares approbati ad confessiones possunt, toto anno, etiam tempore paschali, sæcularium confessiones excipere; possunt etiam infirmos audire, sed eorum confessione exceptâ, certiorem debent facere parochum (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 11, cap. 14, n^is 3-5). Vide Bouix, *ibid.*

5° Item possunt regulares in suis ecclesiis Eucharistiam distribuere sæcularibus, excepto solo die Paschatis (*De Syn.*, n° 5).

616. 6° Cogere nequit parochus ut sui subjecti præcepto audiendi missam satisfaciant in ecclesiâ parochiali; præceptum enim implere possunt etiam in ecclesiis regularium (*De Syn.*, n° 7).

7° Omnes Hebdomadæ Sanctæ functiones liberè a regularibus in ipsorum ecclesiis peragi possunt (Bouix, *De Parocho*, p. 524).

8° Non omnino patet utrum regularibus liceat in suis ecclesiis benedictionem impertiri mulieribus post partum (Bouix, *ib.*, p. 509). Negat de Herdt, qui legendus est, p. 6, n° 11, V. Bouix.

617. 9° Impedire nequit parochus quin regulares, in suis ecclesiis horâ sibi benè visâ, prædicent et annuntient festa, vigilias et jejunia sequentis hebdomadæ (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 17, n° 16). Vide Leuren., apud Bouix (*ibid.*, p. 524).

618. Ut autem intelligi possint variæ aliæ exemptiones quæ præsertim confraternitates concernunt, utile erit hic subjicere decretum S. Congr. Rit., 10 decemb. 1703.

« Ad debitum imponendum finem controversiis quæ
» inter parochos et confraternitates sæculares eorumque
» capellanos et officiales super juribus parochialibus et
» functionibus ecclesiasticis, nonnullisque præeminentiis
» seu prærogativis frequenter exoriri solent, in S. Rit.
» Congreg. ab Emin. et Rever. DD. Cardinali Colloredo,
» propositis infra scriptis dubiis, videlicet :
» 1° An confraternitates laicorum legitimè erectæ in ec-
» clesiis parochialibus, habeant dependentiam a parocho

» in explendis functionibus ecclesiasticis non parochia-
» libus?
» 2° An dictæ confraternitates erectæ in capellis vel ora-
» toriis tam publicis quàm privatis, adnexis parochialibus
» ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam depen-
» dentiam à parocho quoad dictas functiones?
» 3° An confraternitates erectæ in aliis ecclesiis publicis
» habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam
» a parocho intra cujus parochiæ limites sitæ sunt eccle-
» siæ?
» 4° An confraternitates erectæ in oratoriis tum publi-
» cis tum privatis, sejunctis ab ecclesiis parochialibus,
» quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam
» dependentiam à parocho?
» 5° An benedictiones et distributiones candelarum,
» cinerum et palmarum sint de juribus merè parochialibus?
» 6° An benedictiones mulierum post partum, fontis
» baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de
» juribus merè parochialibus?
» 7° An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ sint de
» juribus merè parochialibus?
» 8° An celebratio missæ solemnis Feriâ V, in Cœnâ
» Domini, sit de dictis juribus parochialibus?
» 9° An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto
» sit de dictis juribus parochialibus?
» 10° An celebratio missarum solemnium per annum,
» sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis juribus
» parochialibus?
» 11° An expositio 40 horarum et benedictio quæ fit su-
» per populo sit de dictis juribus parochialibus?
» 12° An expositio quæ fit cum reliquiis et sacris imagi-
» nibus et benedictio quæ cum eis fit super populo, sit de
» dictis juribus parochialibus?
» 13° An functiones in præcedentibus octo dubiis, vide-
» licet a dubio 5 ad 12 expressæ, peragi possint in orato-
» riis privatis, contradicente parocho?
» 14° An in dictis oratoriis privatis confraternitatum
» per confratres statis horis, recitari possint horæ cano-

» nicæ cum cantu vel sinè, absque aliâ licentiâ parochi?
» 15° An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio
» missæ privatæ, assentiente Ordinario loci et contradi-
» cente parocho?
» 16° An capellani confraternitatum possint populo
» denuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdo-
» madâ, absque licentiâ parochi?
» 17° An parochus, invitis confratribus, docere possit
» doctrinam Christianam in prædictis ecclesiis et oratoriis
» publicis vel privatis a parochiali divisis et separatis?
» 18° An in sæpe dictis ecclesiis publicis confraterni-
» tatum possint haberi publicæ conciones, etiam per
» totum cursum Quadragesimæ vel Adventûs cum licentiâ
» Ordinarii et absque licentiâ parochi?
» 19° An in iisdem ecclesiis possit celebrari missa sive
» lecta sive cantata, ante missam parochialem sive lectam
» sive cantatam?
» 20° An ad parochum spectet facere officium funebre
» super cadaveribus sepeliendis in sæpe dictis ecclesiis et
» oratoriis publicis confraternitatum?
» 21° An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri
» possint processiones juxta cujusque confraternitatis
» institutum, absque interventu vel licentiâ parochi?
» 22° An eædem processiones fieri possint extra ambi-
» tum dictarum ecclesiarum, absque licentiâ illorum paro-
» chorum per quorum territorium transeundum est?
» 23° An in dictis processionibus, capellani confra-
» ternitatum possint deferre stolam?
» 24° An Episcopo accedente ad ecclesias publicas con-
» fraternitatum quæ non sint regularium, neque proprium
» rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit asper-
» sorium à parocho in cujus territorio sunt sitæ dictæ
» ecclesiæ?
» 25° An earumdem ecclesiarum et confraternitatum
» rectores et capellanos possit parochus, cessante speciali
» ac legitimo titulo et ex solo jure parochialitatis, com-
» pellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiæ
» parochialis?

» 26° An in sæpe dictis ecclesiis confraternitatum neque » parochialibus neque regularibus, retineri possit Sanctis» simum Eucharistiæ Sacramentum sinè speciali indulto » Sedis Apostolicæ?

» 27° Præsuppositâ facultate retinendi, an possit infra » annum publicè exponi sinè licentiâ Ordinarii?

» 28° An possit parochus se ingerere in administratione » oblationum, eleemosynarum in sæpe dictis ecclesiis re» collectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ » clavem retinere?

» 29° An in ecclesiâ parochiali confratres, vel eorum » capellani immiscere se valeant, invito parocho, in ejus» dem ecclesiæ functionibus sive parochialibus sive non pa» rochialibus?

» 30° An confraternitates, sive sint erectæ in ecclesiâ » parochiali sive extra illam, possint pro libitu et juxta » uniuscujusque peculiaria statuta, congregationes suas » facere absque interventu vel licentiâ parochi?

» 31° An possint bona propria administrare ac de illis » disponere, absque ullâ dependentiâ a parocho?

» 32° Quando parochus eisdem congregationibus interest » de mandato Ordinarii et tanquam ejus delegatus, an » possit suffragium decisivum ferre? Et quatenus affir» mativè:

» 33° An etiam suffragium duplex?

» Sacra eadem Rituum Congregatio, re maturius dis» cussâ, respondendum esse censuit:

619. » Ad 1^{m} affirmativè; ad 2^{m} affirmativè; ad 3^{m} ne» gativè[1]; ad 4^{m} negativè; ad 5^{m} negativè; ad 6^{m} negativè, » sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri

[1] In hâc diœcesi Valent., ex *Ordonn.* (p. 117), in hoc casu Parocho subjiciuntur, sed hoc contradicit Concilio Avenionensi anni 1849, ubi dicitur: « Quæ verò confraternitates oratoria habent extra parochialis » ecclesiæ mancipium, jurisdictioni Ordinariorum immediatè subjiciun» tur qui eas sacerdoti cui libuerit administrandas committant, salvis » tamen de jure parochorum attributionibus. Unde cavebunt summo» pere sodalitates ne missæ, officia piaque exercitia eâdem horâ » celebrentur quâ missa parochialis et officium vespertinum. » P. 92.

» debere a parochis[1]; ad 7m negativè prout jacet; ad 8m
» negativè prout jacet, sed spectare ad parochos; ad 9m
» negativè prout jacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem, ad formam Const. Leonis X 22, § 14; ad 10m negativè prout jacet, sed licere confratribus duntaxat in
» festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiæ, vel oratorii, ut in Brundusinâ sub die 1 julii 1601; ad 11m negativè; ad 12m negativè, et quoad benedictiones cùm
» reliquiis et imaginibus serventur decreta; ad 13m satis
» provisum in superioribus; ad 14m affirmativè, nisi aliter
» Ordinarius statuat ex rationabili causâ; ad 15m affirmativè[2]; ad 16m affirmativè; ad 17m negativè; ad 18m
» affirmativè; ad 19m negativè, nisi aliter Episcopus disponat (vide etiam notam 2am supra dictam); ad 20m affirmativè, quandò tumulandus est subjectus parocho intra
» cujus fines est ecclesia vel oratorium; ad 21m affirmativè;

[1] Edictæ sunt tamen declarationes contrariæ à S. Cong. Concilii, 7 decemb 1708 et 1720 pro casibus particularibus. V. Bouix, *De Parocho*, p. 509. *Analecta juris pontificii*, avril 1855, col. 1396, ad 10m.

[2] In hâc diœcesi Valentinensi sic statuitur (*Ordonn.*, p. 81) : « Nous » défendons à tous les prêtres qui sont dans le diocèse de prêcher ou » de laisser prêcher dans aucune église, sous quelque prétexte que ce » soit, pendant la messe du prône et même une heure auparavant. » Sed hæc intelligi non possunt de ecclesiis regularium exemptorum. V. supra (595.)

« Nous défendons à toutes les Confréries, Congrégations et réu» nions quelconques de fidèles, sauf aux communautés religieuses, » de chanter des offices, ou de faire d'autres exercices de piété pen» dant la messe du prône, ou même une demi-heure avant qu'elle com» mence; le tout sous peine d'interdit pour l'association et pour la » chapelle où se ferait l'exercice.

» Nous défendons... de sonner ou de laisser sonner aucune messe » une heure avant la messe de paroisse.... On ne sonnera également » aucune messe particulière dans aucune église avant la fin de l'ins» truction qui se fait à la messe de paroisse. » (596.)

Nequit Episcopus sinè sufficienti causâ prohibere ne pluries in die celebrentur missæ in oratorio publico jam erecto : S. Cong. C., 8 aug. 1789 ; sed potest prohibere ne in talibus oratoriis celebretur nisi finitâ missâ parochiali, dummodo tamen missa in ecclesiâ parochiali, horâ opportunâ, celebretur. S Congr. in causâ S Agathæ Gothorum. V. *Univers*, 9 janvier 1860 ubi aliæ decisiones referuntur. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 323; Ferraris vo *Confraternitates*, art. 3, no 22.

» ad 22m negativè, nisi adesset licentia Episcopi [1]; ad
» 23m negativè, extra propriam ecclesiam; ad 24m negativè;
» ad 25m negativè [2]; ad 26m negativè; ad 27m negativè;
» ad 28m negativè; ad 29m negativè; ad 30m affirmativè,
» dummodo non impediant functiones et divina officia; ad
» 31m affirmativè; ad 32m negativè; ad 33m negativè.

» Et ita (salvis tamen conventionibus et pactis in erec-
» tione confraternitatum forsan factis, concordiis inter
» partes initis et à S. Sede approbatis, indultis, consti-
» tutionibus synodalibus et provincialibus, et consuetudi-
» nibus immemorialibus vel saltem centenariis) declaravit
» ac decrevit... die 10 decemb. 1703. »

Confirmatum fuit hoc decretum à Clement. XI, Constitutione *Ad debitum*. Vide circa hæc omnia relationem factam S. Congr. Concilii, et responsionem ab eâ datam 24 aug. 1850, apud *Corresp. de Rome*, 20 sept. 1850, nº 41 (2e édition), et apud diarium *Univers*, 9 janv. 1860.

620. His addendum est quòd, sive ex privilegiis apostolicis sive ex consuetudine sive ex dispositione Ordinariorum, pleraque hospitalia eximantur à jurisdictione parochiali pro administratione Viatici, Extremæ-Unctionis, nec non pro celebrandis funeribus, non tamen pro matrimoniis inibi celebrandis. V. D. Bouix, *De Parocho*, p. 666; — Lequeux, nis 396 et 397.

Eximi etiam possunt ab Episcopo quoad hæc omnia seminaria, ut constat ex S. Congr. Conc., in decis. 12 mart. 1757, quæ sic se habet : « An sit locus exercitio jurium » parochialium in seminario Colimbriensi, seu potiùs

[1] Non ideo tamen jus habet parochus deferendi per processionem SS. Sacramentum, sed hoc jus pertinet juxta, rubricas, ad sacerdotem qui missam antea celebravit. S. C. Conc., 29 jan. 1859. V. *Analecta juris pontificii*, 33e liv., col. 1753.

[2] Confratres Sodalitatis Confalonis et SS. Sacramenti tenentur in hâc diœcesi Valentinensi ad interessendum processionibus præscriptis. V. *Ord.*, p. 159, 164; et Concil. Avenionense anni 1849, p. 92. Huic suffragatur Ferraris dicens : « Confratres ad conveniendum solitis proces- » sionibus compellere potest Episcopus sub pœnis ejus arbitrio impo- » nendis, stante possessione illos vocandi per edicta. S. Cong. Conc., » 21 jan. 1622, et 8 maii 1627. » (Vº *Confraternitas*, art. 6, nº 20.)

» constet de libertate ejusdem seminarii in casu. » Congr. respondit : « Negativè ad primam partem ; affirmativè ad » secundam. » Vid. *Analecta juris pontificii*, oct. 1854, col. 1110.—D. Boissonnet, *Dictionnaire des décrets*, v° *Séminaire*. (Contradicunt tamen *Anal.* n° 65, col. 1092, etc.)

Idem dicendum est de aliis communitatibus quæ censentur publica Instituta, de communitatibus monialium et religiosorum non exemptorum. *V.* Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 348 et 349 Hoc tolerari potest. (S. C. C., ap. *Revue des sc.*, XI, 276.)

CAPUT IV.

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS EORUM QUI HABENT JURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM.

621. Jurisdictio ecclesiastica supponit necessariò in eis qui illam possident varia jura et prærogativas, videlicet jus ad reverentiam et obedientiam ex parte subditorum. Cùm insuper jura hujusmodi in inferiorum potiusquam in superiorum gratiam fuerint istis collata, exinde enascuntur obligationes superiorum quæ duplicis sunt generis : *positivæ* nempè, quæ in certis actibus præstandis consistunt, v. g. residentia, etc.; *negativæ* verò, scilicet in excessibus vitandis.

De obligationibus *positivis* dicemus præsertim in sequenti dissertatione, exponendo quidquid pertinet ad singula officia. Ibidem tractabimus de specialibus juribus singulorum jurisdictionem habentium. Sufficiat igitur hic sermonem facere de juribus Superiorum ecclesiasticorum in genere, et de illorum obligationibus *negativis,* sive de excessibus ab ipsis vitandis.

ART. I.

DE JURIBUS ET PRÆROGATIVIS SUPERIORUM ECCLESIASTICORUM IN GENERE.

622. Jura Superiorum ecclesiasticorum sunt generatim jus ad obedientiam et reverentiam.

1° Obedientia exigit ut inferior suscipiat et exequatur

mandata sui Superioris in his quæ pertinent ad ejus jurisdictionem : hoc enim promisit sacerdos in suâ ordinatione. De vi hujusmodi promissionis vide S. Liguor., lib. 6, n° 828 : « Agnoscimus presbyterum, inquit Bened. XIV » (Const. *Ex quo dilectus*, 14 jan. 1748), hujusmodi pro- » missionis vigore eâ lege inter alias astrictum teneri, ut » a servitio ecclesiæ cui addictus fuerit discedere nequeat » sinè licentiâ Episcopi. » Ad hanc obedientiam tenetur etiam in dubio utrum præceptum sit justum nec ne, quia pro superiore est præsumptio. Non tamen obediendum est, si malum sit quod præcipitur (Can. *Si is qui præest* 101, causa 11, q. 3). Quando verò ex duobus superioribus unus præcipit unum et alius contrarium, in rebus quæ verè ad utriusque jurisdictionem pertinent, majori superiori deferendum est : unde « ipsi Episcopo contra *jus commune* » præcipienti non est obtemperandum, inquit Lequeux » (n° 141 *bis*) : lex enim communis superior est Episcopo » particulari. »

623. Attamen clericus magis tenetur obedire suo Episcopo quàm Metropolitano, quia iste non est superior nisi in casu appellationis aut visitationis; similiter monachus magis tenetur obedire suo Prælato quàm Episcopo (Reiffenst., lib. 1, tit. 33, n° 23).

« Mandato superioris etiam oneroso humiliter est obe- » diendum, et piâ devotione tolerandum jugum quod impo- » nitur etsi vix ferendum (can. *In memoriam*, dist. 19) : » atque insuper patientissimè toleranda est correctio etiam » injusta (can. *Contra morem*, dist. 100), nisi quis ratio- » nabilem causam prætendere possit, eamque debitâ cum » reverentiâ assignet cur mandatum Superioris adimplere » non possit. Cap. *Si quando* 5, *de Rescriptis*. » (Reiffenst., *ibid.*, n° 21.)

Item obedientia exigit ut inferior deferat superiori in judicio subeundo. Cap. *Ex litteris*, et cap *Cùm dilecti* 6, *de dolo et contum.*, nisi, per legitimam appellationem aut recusationem, ejus judicium declinare valeat.

624. 2° Reverentia debetur superioribus, id est, inferiores exhibere debent superioribus externa signa æstima-

tionis et venerationis, coram ipsis assurgendo, primum locum tribuendo, etc.

DE PRÆCEDENTIA.

625. Utile ducimus hic, propter affinitatem, præcipuas regulas præcedentiæ exponere : illæ autem regulæ aliæ sunt generales, aliæ verò speciales.

REGULÆ GENERALES PRÆCEDENTIÆ.

626. Quinque vulgò numerantur præeminentiæ causæ :

1° *Prærogativa ordinis* : sic diaconus major est subdiacono, et sacerdos diacono (cap. *Statuimus* 15, *de major. et obed.*).

2° *Prærogativa consecrationis* : sic Episcopus consecratus major est electo nondum consecrato (cap. *Quanto, de consuet.*).

3° *Dignitas, aut jurisdictio sive potestas*; sic Cardinalis major est alio Prælato propter suas relationes cum Summo Pontifice qui omnibus Dignitatibus præeminet. Item Archiepiscopus, etsi junior et recentiùs consecratus, major est simplici Episcopo propter majorem potestatem; Archidiaconus major Archipresbytero, etsi sit inferior ordine, quia majorem possidet jurisdictionem (cap. *Ad hæc* 7, *de Offic. et Archidiac.*).

4° *Antiquitas* : sic, cæteris paribus, prior habetur qui priùs fuit ordinatus (cap. 1, *de major et obed.*). Huc etiam referri potest regula 54 juris in 6° : « Qui prior est tempore, potior est jure [1]. »

5° *Prærogativa Ordinantis* : sic ordinatus à Papâ potior habendus est aliis ejusdem ordinis et dignitatis (cap. *Per tuas* 7, *de major. et obed.*). Vide Reiffenst., lib. 1, tit. 33, n[is] 3-8.

His addi potest privilegium certorum insignium : sic

[1] Quod dicitur de antiquitate habet locum in processionibus, non verò semper in Conciliis et aliis actibus publicis. V. Bullam Gregorii XIII apud Ferraris, v° *Præcedentia*, n° 44. Loquitur verò Pontifex solùm *de regularibus*.

Abbas mitrâ insignitus major est habendus aliis non mitratis (cap. *Ut Apostolicæ* 6, *de Privil.*, in 6°).

627. Nota etiam 1° quòd ii, qui in ritibus sacris et precibus publicis vestiti sunt sacris paramentis, præcedunt eos, etiam superiores, qui vestes communes gestant.

2° « Episcopus diœcesanus, in suâ ecclesiâ et diœcesi in » consecrationibus et actibus pontificalibus exercendis, » præferendus est aliis Archiepiscopis et Episcopis etiam » anterioribus, excepto Metropolitano ejusdem, licet aliàs » debeat advenas honorare. Congr. Rit., 10 jan. 1609. » Ita Gavantus, v° *Præcedentia*, additio n° 1.

3° His autem exceptis, præcedentia semper dignioribus est danda, juxta S. C. Rit, 1 sept. 1607. V. Ferraris, v° *Præcedentia*, n° 1.

REGULÆ SPECIALES PRÆCEDENTIÆ.

628. *Quoad Episcopos* : — « Præcedentia inter Episcopos nullâ aliâ ratione regulatur nisi electionis seu » provisionis, ut qui prius electus seu provisus fuit de » aliquo episcopatu, alteri postea electo seu promoto » præcedat. S. C. Rit., 31 mart. 1609. » Vid. *Analecta jur. pontif.*, 45e livr., col. 903-916.

« Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus » statuenda est juxta tempus ordinationis, non autem » secundùm dignitatem Ecclesiarum. S. Congr. Conc., » 9 apr. 1596. » Ferraris, v° *Præcedentia*, nis 3 et 4; et apud *Analecta* (ibid.).

Episcopus Canonicus debet præcedere omnibus aliis Canonicis, et sedere in primo stallo supra omnes. S. C. R., 16 mart. 1833 (Bouix, *De Capitulis*, p. 518). Circa præcedentiam Episcoporum, vide insuper infra dicenda (1080 et 1087).

629. *Quoad Vicarios Generales* : — Sic habet Ferraris, v° *Vicarius Generalis* : «... 7° Vicarius Generalis, absente » Episcopo, debet habere primum locum super omnes Dignitates et Canonicos, non obstantibus consuetudinibus » aliisque in contrarium. S. Cong. Rit., 7 aug. 1610...

» 8° Vicario Generali habitu Vicarii [1] in processionibus

[1] Ille habitus est subtana cum mantelletto nigro. S. Cong. Rit. apud

» incedenti danda est præcedentia super omnes Dignitates
» et Canonicos et etiam super illas Dignitates et Canonicos
» qui habitu Protonotarii incedunt. S. Cong. Rit., 16
» jul. 1605..

» 9°. Dummodò Canonici non incedant parati. S. C. Rit., 3
» aug. 1602 (ab illâ regulâ excipitur Hebdomadarius. S. C.
» Rit., 27 febr. 1847, apud D. Bouix, *De Capitul.*, p. 524.).

» 10° Vicarius Generalis *Canonicus*, cùm sedet uti *Canonicus*, debet sedere in loco suæ receptionis et in habitu
» canonicali, aliàs non lucratur distributiones quotidianas.
» S. C. Rit., 10 decembr. 1601 (Ferraris, *ibid*, n° 12.). Si
» verò velit præcedere uti Vicarius, debet habitum canoni-
» calem dimittere. S. Cong. Rit., 4 febr. 1600...

»... 18° Vicarius Generalis non præcedit Dignitatibus et
» Canonicis paratis, consuetudine in contrarium non obs-
» tante. S. C. Rit., 6 sept. 1603. »

Attamen, citatâ aliâ decis. S. C. Conc., 16 sept. 1649, sic addit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 3, cap. 10, n° 4) : « Quæ
» tamen decisio est intelligenda nisi Vicario assistat con-
» suetudo *etiam tunc præcedendi*, aut nisi ipse pariter sit
» indutus habitu prælatitio, rocheto videlicet et mantel-
» lettâ, *juxta alias ejusdem Congregationis* Declarationes
» relatas à Massobrio. »

Vicarius Generalis debet præcedere Gubernatorem non prælatum in temporalibus, etiam præsente Episcopo. S. Cong. Rit., 28 apr. 1607 (Gavant., v° *Præcedentia*, n° 229).

« Locus (autem) Vicarii Generalis debet esse secun-
» dùm consuetudinem ecclesiæ, quæ non est mutanda. »
S. C. Rit., 15 martii 1663. Vide alia apud Ferraris, *ibid.*, et apud D. Bouix, *De Capitulis*, p. 523.

630. *Quoad Vicarium Capitularem :* — « Vicarius
» Capitularis non potest occupare sedem Archidiaconi in
» ecclesiâ, sed sedere debet in aliâ sede portatili. S. Cong.
» Rit., in Nucer., 10 apr. 1601.

» Archidiaconus seu alia Dignitas major post pontifica-

Ferraris, *ibid.*, n° 22. Juxta Gardellini, n° 3085 : « Est subtana cum
» mantello et birreto : si non est Protonotarius ei non licet uti subtanâ
» cum caudâ et mantelletto. » V. Bouix, *De Capitulis*, p. 524.

» lem præfertur Vicario Capitulari, etiamsi dictus Vicarius
» non sit Canonicus. Barbosa.... cum aliis. » Ferraris,
v° *Vicarius Capitularis*, art. 1, n^{is} 52-54.

Vicarius Capitularis præcedentiam habet supra omnes, post dignior. de Capitulo; sedere proinde debet post 1^{m} Dignit. (Gardell., 866, 910, 1810, 2256, 2861).

In processionibus debet incedere à sinistris Dignitatis repræsentantis Capitulum, ità ut censeatur inferior toto corpore Capituli. Bouix, *de Capitulis*, p. 526; — et Ferraris, v° *Canonicus*, art. 7, n^{is} 46-47.

631. *Quoad Capitula et Canonicos:* — « ... 5° Præce-
» dentia semper debetur Canonicis Ecclesiæ Cathedralis
» supra Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, etiam in associan-
» dis funeribus propriis ipsi Collegiatæ. S. C. Rit., 18 aug.
» 1618....

» ... 7°. Præcedentia debetur Canonicis Ecclesiæ Colle-
» giatæ supra collegium parochorum et aliorum presbyte-
» rorum.... S. C. Rit., 12 mart. 1616. » Ferraris, v° *Præcedentia*. — Etiamsi curati essent cottâ et stolâ induti (S. C. Rit., 30 jul. 1616.)—Vide tamen controversiam quoad parochum ecclesiæ in casu funerum, ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 497; et apud Ferraris, v° *Canonicus*, art. 7, n° 60.

Capitulum et Canonici, non solùm in viâ sed etiam in propriâ ecclesiâ parochiali, præcedere debent ipsi parocho in funeribus et aliis functionibus. Officium tamen in ecclesiâ faciendum est à parocho defuncti (S. R. Congr., 28 apr. 1703). Vide etiam *Ordonn. du diocèse de Valence*, p. 18.

« In funeribus seu cadaveris ad ecclesiam deductione,
» si adsit Capitulum Collegiatæ, debetur præcedentia Capi-
» tulo supra parochum (Gardell., n° 4730).

» Canonici Cathedralis uti singuli non præcedunt parocho
» in ipsius ecclesiâ (Gardell., n^{is} 79 et 2508).

» Si tamen aliquis Canonicus, etiam honorarius tantùm,
» procedat cum Episcopo suo, præit parocho in parochi
» ecclesiâ etiam in alienâ diœcesi; quia tunc non procedit
» tanquam privatus, sed tanquam membrum cum capite
» suo. S. Congr. Rit., 19 maii 1838.

» Canonici Cathedralis deputati ad seminarii administra-
» tionem præferendi sunt aliis deputatis de Clero, etsi hi
» primùm fuerint electi (Gardell., n° 3934).

» Canonici Cathedralis existentes uti singuli in locis diœ-
» cesis, nequeunt assumere habitum canonicalem, vel præ-
» tendere præcedentiam et locum distinctum (Gardell.,
» n° 3742). » Vide tamen infra (2449).— V. Bouix, *de Capitulis*, p. 528, etc.

Canonici capitulariter et processionaliter procedentes præferuntur Abbatibus benedictis. S. Cong. Rit., 8 jul. 1602. Canonicus priùs factus debet præcedere aliis post ipsum admissis etiamsi sint doctores. S. R. C., 19 nov. 1603.

« Ubi præbendæ sunt distinctæ (in Capitulis), servandus
» est in sedendo et in gradiendo ordo præbendarum....
» Ubi omnes præbendæ sunt presbyterales..., canonicus
» presbyter præcedit Canonicum Diaconum vel Subdiaco-
» num licet possessione antiquiorem; et quando ille dia-
» conus vel subdiaconus fit presbyter, non recuperat
» præcedentiam super presbyterum possessione minùs
» antiquum qui ratione sacerdotii præcedebat. S. Cong.
» Rit., 16 decemb. 1828.

» Coadjutor Dignitatis debet sedere post Dignitates supra
» omnes Canonicos (Gardell., n[is] 4799 et 4821).

» Canonicis non licet occupare sedes Dignitatum absen-
» tium vel præsentium. S. C. Rit. (Gardell., n° 3444.)

» Canonici semper præcedunt beneficiatis, dummodò
» hi non sint parati sacris indumentis (Gardell., n° 776).

» Canonicus hebdomadarius solâ cappâ canonicali indu-
» tus præcedentiam habet in eâ parte chori à quâ incboatur
» officium, etiam supra Dignitates (Gardell., n° 2374).

» Canonici nullatenus inservire debent in munere dia-
» coni et subdiaconi portionariis et aliis inferioris ordinis,
» quâcumque non obstante consuetudine (Gardell., n[is] 27
» et 345). V. ap. D. Bouix, *De Capitulis*, p. 519, etc.

632. » *Quoad Parochos*. — Canonicus supranumera-
» rius simul parochus in funeribus, præsente capitulo, si
» procedat cum stolâ, digniorem locum habet (Gardell.,
» 4972, ad 1[m]). » V. Bouix, *De Capit.*, p. 528.

Parochi assistentes functionibus Cathedralis sedere debent post Canonicos et ante beneficiatos, si sint de gremio Cathedralis : alioquin etiam post beneficiarios. Gardell., n[is] 1746 et 1851. — Vide etiam Ferraris, v° *Canonicus*, art. 7, n[is] 12 et 13.

«.... 8. Præcedentia inter curatos ecclesiarum parochia» lium, non ratione regulæ (si parochus sit regularis), sed » ratione antianitatis seu prærogativæ ecclesiæ parochialis, » curatis danda est (S. Cong. Rit., 21 martii 1609)...

».... 28. Præcedentia quæ debetur parochis perpetuis, ea» dem debetur parochis et curatis amovibilibus ad nutum, » quia etiam hi gaudent prærogativis parochorum perpetuo» rum, ut respondit S. C. Conc..., 27 martii 1706.

» Et hoc procedit etiam in eorum substitutis et subro» gatis. S. Cong. Rit., 20 jan. 1691... » Quoad dominum loci, vide infra (1441). Pro funeribus vide (1424).

633. *Quoad alios clericos sæculares.*—Protonotarius præcedit Canonicis uti singulis, non autem capitulariter. S. Cong. Rit. 16 maii 1601. — Ferraris, V° *Canonicus*, art. 7, n[is] 12 et 13. Nisi esset Proton. *ad instar* (Rev. des sc., t XVI. p. 346.)

« ...25. Protonotarius ratione hujus Dignitatis non præ» cedit in choro et in functionibus aliis presbyteris an» tianis... S. Cong. Rit., 24 jan. 1688...

» 26. Secùs tamen si incederet in habitu Protonotarii. » S. C. Rituum, 13 sept. 1670... » (Ferraris, V° *Præcedentia.*)

634. « Vicarius foraneus ratione sui vicariatûs nullam » habet præcedentiam in choro, sessionibus et processio» nibus et aliis actibus et functionibus ecclesiasticis supra » alios parochos, Canonicos et presbyteros ipso antiquiores » et digniores; sed debet ipse Vicarius stare, sedere et ince» dere in loco suæ receptionis et Dignitatis, ac si non esset » Vicarius foraneus, tam cum cottâ quam sinè illâ, *non » obstante quâcumque ordinatione Episcopi in contrarium*, » præterquam in congregationibus quæ de mandato Epis» copi singulis mensibus fiunt, in quibus tanquam Epis» copi delegatus præcedere debet, non tamen in proces» sionibus, missâ et aliis quæ fiunt ante congregationem. »

Ferraris, V° *Vicarius foraneus*, ubi citantur multæ S. C. Rit. decisiones in quibus dicitur : *quâcumque consuetudine contrariâ non obstante*. S. C. Rit., 24 sept. 1605, etc. [1].

635. « ...10. Præcedentia inter presbyteros sumitur ex an- » tianitate ordinis, non ex gradu doctoratûs quia presbyte- » ratûs ordo dignior est quàm gradus doctoratûs. S. C. » Rit., 29 nov. 1603.» Ferraris, v° *Præcedentia*. Nisi presbyteri minores suppleant vices et munus parochi (S. R. Cong., 13 aug. 1701) et in iis tantùm in quibus supplent parochum. S. R. Cong., n° 4698, ad 7, apud Gardell.—V. *Dictionnaire des décrets*, D. Boissonnet, v° *Préséance*.

« Sacerdos priùs ordinatus præferendus est presbytero » postea ordinato, licet capellaniæ possessionem priùs ac- » ceperit qui postea ordinatus est. S. Cong. Rit., 16 junii » 1606. » Ferraris, v° *Sacerdos*, n° 51.

636. *Quoad seminarium.*—Seminarium non est de clero Ecclesiæ Cathedralis, ideoque in processionibus generalibus præcedentiam cedere debet Canonicis et curatis, non verò clericis extraneis non sacerdotibus nec beneficiatis in Ecclesiâ Cathedrali. S. Cong. Rit., 213, 433, 891, etc., apud D. Boissonnet, *Dictionnaire des décrets*, v° *Séminaire*. — Professores seminarii non faciunt unum corpus cum suis alumnis ideoque si sint merè sacerdotes incedunt cum cæteris sacerdotibus sinè ullâ præeminentiâ (*ibid.*, ex Gardell., n° 4512, ad 2^m^ et 3^m^).

637. *Quoad regulares.* — Sic habet Ferraris, v° *Præcedentiâ* : «... 9. Præcedentia semper debetur clero sæculari » supra regulares, etiam in ipsorum regularium ecclesiis. » S. C. Rit., 31 martii 1618....

» ...17. Præcedentiam fratrum prædicatorum quoad alios » fratres mendicantes, post clerum sæcularem et antiquos » ordines monachales statuit S. Pius V, Const. *Divina*, » 27 aug. 1578.

» ...19. Præcedentia inter monachos servatur juxta Bullam

[1] Secus decernunt statuta diœcesis Valentinensis quoad Archipresbyteros (*Ordonn.*, p. 19; qui sunt quoddam genus Vicariorum foraneorum, et similia statuta valere decrevit S. C. C. in Patavina, 12 dec. 1891.

» Gregor. XIII. S. C. Rit., 16 maii 1614 (hanc reperies ap. » Ferraris, *ib.*, n° 44).

» 20. Præcedentiam habent monachi Cistercienses reformati ordinis B. Mariæ Fuliens... ante ordines mendicantes. Clem. VIII, Const. *Regis*, nonis Febr. 1599.

» 21. Præcedentiam monachis semper et ubique tribuere debent fratres mendicantes. S. C. Rit., 23 mart. » 1619.

» 22. Præcedentiam habent fratres minores S. Francisci » *de observantiâ* ante fratres minores conventuales. Leo X, » Const. *Licet*, 6 decemb. 1517.

» 23. Præcedentia inter fratres etiam observantes et tertiarios S. Francisci servatur juxta Bullam Gregor. XIII, » ut ii præferantur qui priùs in *loco controversiæ monasterium et locum* obtinuerunt. S. C. Rit., 3 oct. 1613...

»... 30. Præcedentia inter regulares utriusque sexûs incipit à die professionis, non habitûs, non obstante quolibet » prætextu et contrariâ consuetudine. S. C. Episc. et Reg., » 12 sept. 1588. »

Quoad præcedentiam novitios choristas inter et laicos professos non est uniformitas inter varios ordines. V. Ferraris, *ib.*, n[is] 40-41.

«... 46 S. Congr. Episc. et Regul. (6 oct. 1645) censuit » servandas esse litteras Gregor. XIII et Urban. VIII... ut » qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant, et ubi » non constat de possessione, præcedant ii qui sunt antiquiores in loco controversiæ... et sic refert Lantuscha... » et Matthæucci... ubi subjungit : cæterùm ubi est consuetudo quòd regulares præcedant inter se ratione originis religionis, et non fundationis conventûs, est servanda, ut respondit S. C. Episc. et Regul., 23 febr. 1693.

»... 56. Regulares in processionibus incedent post confraternitates laicorum, et post eos, in digniori loco, clerus » sæcularis. S. C. Rit. 7, aug. 1621.

» Regulares in processionibus nec cum clero sæculari » mixti incedere valent. S. C. Rit., 30 aug. 1595. » — Ferraris, *ib.*

638. *Quoad confraternitates* : « Confraternitates laicorum

» in processionibus procedere et præcedere debent inter » se juxta Bullam Gregor. XIII, incip. *Exposcit*... Sic S. C. » Rit... 10 maii 1608... Unde confraternitas, quæ priùs saccum induit præcedere debet aliis quæ postea induerunt. » S. C. Rit..., 7 aug. 1628... Excipitur tamen confraternitas SS. Sacramenti, cui debetur præcedentia supra » omnes alias confraternitates in illis processionibus, in » quibus defertur SS. Sacramentum, prout declaravit S. C. » Rit... 18 jun. 1695 [1]. In aliis verò processionibus confraternitas SS. Sacramenti debet procedere et præcedere » juxta suam antianitatem sicut cæteræ aliæ. S. C. Rit., » 18 jul. 1628 [2]. Jus præcedentiæ non attenditur in regressu » a processionibus. S. C. Rit. 18 jul. 1695. » Ferraris, v° *Confraternitas*, art. 6, n[is] 15-19.

639. *Quoad magistratus sæculares* : hæc habet idem Ferraris, v° *Magistratus*, n[is] 1-14.

« Magistratus non debet occupare locum Capituli et » cleri qui in concionibus sedere debent immediatè apud » suum Episcopum. S. C. Rit., 25 jan. 1602.

» Magistratus aut judices non debent proprias Dignitatum et Canonicorum sedes, seu stalla in choro seu presbyterio occupare, quamvis aliquando id eis permissum » fuerit. S. C. Rit., 14 febr. 1600.

» Magistratus et Officiales civitatis thurificandi sunt post » Dignitates et Canonicos, æquis ductibus. S. C. Rit., 10 jul. » 1600..; non obstante usu in contrarium per 15 annos » servato. S. C. Rit., 24 oct. 1609.

» Magistratus sæcularis, quando non est de majoribus » et perpetuis, debet cedere in omnibus et per omnia canonicis Ecclesiæ Cathedralis, et concionator debet priùs Canonicos quàm magistratum salutare. S. C. Rit., 3 oct. 1651.

» Magistratus quando est de majoribus debet incensari » ante Canonicos post assistentes Episcopo. S. C. Rit., 2 » mart. 1602.

[1] V. *Ordonn. du dioc. de Valence*, p. 98

[2] « Ea confraternitas locum honoris teneat cujus institutio antiquior » est, aut cui tribuit consuetudo jus præcedentiæ; mulieres tamen nunquam præcedant viros. » Ita Conc. Aven., anni 1849, p. 92.

» Magistratus laicus non potest habere locum in choro » sive in presbyterio, sed extra illum, ut sæpè declaravit » S. Rit. Congr... et præsertim... 2 jul. 1639. Unde ea- » dem S. Rit. Congr... 16 mart. 1697, confirmata 12 sept. » 1699, mandavit aptandum esse locum Magistratui extra » presbyterium juxta designationem porrectam à magistro » cæremoniarum, non obstante quòd Magistratus reperi- » retur in possessione, et allegaret alterius loci congrui » deficientiam. » Vide insuper *Analecta jur. pontif.*, 45e liv., col. 824.

Magistratus nequit exigere à celebrante reverentiam ante initium et in fine missæ. (S. R. C. nis 1308, 3069); sed, si mos vigeat, salutandus est ex urbanitate, in accessu et regressu. S. R. C. no 2667. In associatione servandum est CÆREMONIALE EPISCOPORUM, lib. 1, c. 15, et Magistratus civilis incedere debet immediatè ante Episcopum. S. R. C. no 3120.

In processionibus verò SS. Sacram., Gubernator et Magistratus incedere non debent post baldachinum. S. R. C. 27 aug. 1826, no 4645 : nisi adsit consuetudo. S. R. C. 4 apr. 1615.

640. *Variæ quædam observationes circa præcedentiam.*

« Gravis est quæstio an sit servanda consuetudo per » quam minus dignus præfertur magis digno. — Varii in » varias abierunt sententias : Rota verò processit hâc cum » distinctione ut si agatur de præferendo minus digno » magis digno *in aliquibus tantummodo actibus*, recedi haud » possit ab hâc consuetudine. 10 mart. 1743, 17 jun. 1746.

» Sed dubitari non immeritò potest an hæc distinctio » locum sibi vindicare queat, ubi ex dispositione expressâ » Ritualis, vel Cæremonialis Episcoporum, magis dignus » obtinere debeat præcedentiam supra minus dignum in » actu particulari : sacrum tribunal Rotæ etiam in hoc » casu admittere videtur mox dictam distinctionem... Sed » præter causæ.. necessitatem, nam præcedentia in illo casu » (proposito) non descendebat ex Rituali vel Cæremoniali : » magis arridet sententia eorum qui hoc in casu tenent » servandam haud esse consuetudinem, ex decreto irri-

» tante quo munitæ sunt Constitutiones Confirmatoriæ
» Ritualis et Cæremonialis. » Ferraris, v° *Præcedentia*, n[is] 89-95.

641. Præcedentiarum controversias in funeralibus et processionibus componere potest Episcopus brevi manu, summariè et de plano, sinè strepitu et figurâ judicii. S. Cong. Conc., Ferraris, *ib.*, n° 1.

« Controversiæ omnes de præcedentiâ inter ecclesias-
» ticos sæculares et regulares, in processionibus et *aliis*
» *casibus* componantur ab Episcopo, amotâ omni appella-
« tione. Trid., sess. 25, cap. 13, *de Regular.*» Gavantus, in *Manuali Episc.*, v° *Præcedentia*, n° 1.—Vide etiam Bouix, *De Capitulis*, p. 517.

642. Pro ordine servando in thurificatione, vide *Cæremoniale Episcopor.* lib. 1, cap. 23, n[is] XXVII-XXXII. Pro ordine verò servando in dando pacis osculo, vid. *ib.*, cap. XXIV et XXIX; tandem pro ordine servando in Synodo, vid. *ib.*, cap. XXXI; et Ferraris, v° *Synodus diæcesana*, n° 115.

Consuli etiam possunt de hâc materiâ *Acta* et *Statuta* Synodi Nanciensis 1856. Cap. 10, p. 68; et Bened XIV, de *Syn.*, lib. 3, cap. 10.

ART. II.

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM SEU DE ABUSU JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

643. Quærit. 1° Quid intelligatur per abusum jurisdictionis et quomodo contingere possit ?

Resp. Abusum jurisdictionis in genere, esse usum illius malum seu illicitum; sed hic illum non intelligimus nisi quatenus, aliquo modo saltem, lædat jus alienum.

Quinque præcipuos hujusmodi abusus recenset Lequeux, n° 143, etc.

« Primus abusus est quòd quis sibi vindicet jurisdictionem in subditos alterius : «Nullus... alterius parochianum
» judicare vel ordinare, aut excommunicare præsu-
» mat : quia talis judicatio aut ordinatio nullas vires habe-
» bit : unde et Dominus loquitur (Deut., 29) : *Ne trans-*

» *grediaris terminos antiquos*, *quos posuerunt patres tui.* » (Cap. *Nullus,* causa 9, q. 2.)

« Secundus abusus est, si extendatur jurisdictio ad materiam alienam : quod contingeret, si parochus, potestate *fori interni* tantùm gaudens, jurisdictionem fori contentiosi etiam in proprios parochianos vellet exercere, vel si Episcopus negotia merè sæcularia, propriâ auctoritate dijudicaret.

» Tertius est, si superior, qui non est immediatus, sinè causâ a canonibus probatâ, ad suum trahat tribunal causam quæ in primâ instantiâ erat à judice (inferiori) immediatè dijudicanda; sic 1° cap. *Dilecti filii* 66, *de appellat.* « Cùm, omisso diœcesano Episcopo, fuisset ad Archie» piscopum appellatum, in causâ ipse de jure procedere » non debebat. » Sic 2° ipsi Romani Pontifices curaverunt ne indiscretis appellationibus ad se aut ad suos legatos minueretur Episcopalis jurisdictio. Cap. 30, caus. 11, q. 3. In Galliis, proferri potest Concordatum inter Franciscum I et Leonem X, tit. 11, *de appell. frivolis :* « Quòd si quis » offensus, coram suo judice, justitiæ complementum ha» bere non possit, ad immediatum superiorem per appella» tionem recursum habeat, nec ad aliquem superiorem » etiam ad Nos, *omisso medio.* »

» Quarto loco, esset abusus quòd primi superiores sinè causâ sufficenti injustè auferrent et restringerent jura inferiorum; sed huic abusui, si quando contingeret, soli primi Superiores seu SS. Pontifices obviare possent.

» Quintus abusus est quodcumque *novum gravamen* quod absque causâ sufficienti subditis imponitur, ut si novus census exigeretur indebitè; si subditi inhonestè tractarentur; si leges canonicæ in judiciis, in censuris aliisve pœnis decernendis, non observarentur; etc. Cap. *Pervenit, de excessib. Prælat. et subdit.* » Hùc etiam referri potest canon *Esto subjectus* 7, dist. 95, ubi dicitur : « Esto sub» jectus Pontifici tuo; quasi animæ parentem suscipe... Sed » Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos : » honorent clericos quasi clericos, ut et ipsis, à clericis » quasi Episcopis honor deferatur. »

Pariter reputantur in jure *excessus* omnes illi actus per quos indebitè restringuntur privilegia exemptorum.

Vide etiam Reiffenst., lib. 5, tit. 31, n[is] 2-6.

644. Quærit. 2° Quæ remedia canonica subditis suppetant adversùs Prælatorum excessus?

Respondeo cum Lequeux (n° 151) quatuor posse indicari:

1° *Supplicationem,* seu humilem repræsentationem exhibitam *ipsi Superiori excedenti,* ut re cognitâ aliud decernat. Leges romanæ insinuabant quòd pateret recursus *à principe malè informato ad principem meliùs informatum*, et ut dicebant, ab *Alexandro dormiente ad vigilantem.* In monumentis ecclesiasticis hoc ipsum pluries commendatur. « Apostolica Sedes, ait S. Bernardus (epist. 170), hoc habet » præcipuum ut non pigeat retractare quòd à se fortè de- » prehenderit fraude elicitum. » Igitur si res fiat cum debitâ reverentiâ, eoque fine ut *rationes* priùs incognitæ adducantur, utiliter fiet ista reclamatio. At verò meritò S. Sedes rejicit eorum expostulationes auctorum quorum libri damnantur eò quòd lædant sanam doctrinam et qui queruntur se non fuisse auditos. Non enim tales causæ pendent ab intentione scribentis.

2° *Appellationem simplicem* seu propriè dictam; quæ definitur : *actus quo læsus seu gravatus sententiâ judicis inferioris causam defert ad judicem superiorem.*

Certum est hoc remedium ab innumeris canonibus expressè esse concessum. De hujusmodi appellatione specialiter dicemus infra (5974-5995).

3° *Querimoniam*, seu *appellationem extrajudicialem*, quo nomine intelligi potest actus quilibet per quem subditus læsus extrajudicialiter a judice inferiore recurrit ad superiorem. Hanc facultatem plurimi canones supponunt: « Sacri canones etiam extra judicium passim appellare » permittunt; nec solent hujusmodi dici appellationes, » sed provocationes ad causam. » (Cap. *Cùm sit Romana*, *de Appell.*)

Et verò hodie istud remedium eò majoris est momenti quòd rariùs contingat propriè dictum judicium.

4° *Recusationem* judicis, cujus reus declinat jurisdic-

tionem propter eas causas quæ a canonibus admittuntur. Huic remedio affinis est *oppositio nullitatis sententiæ*.

De his omnibus fusiùs dicemus in libro tertio (5974, etc.).

645. Quærit. 3° Quibusnam in casibus detur appellatio?

Resp. Generaliter, nisi expressè jus aliquam personarum vel causarum speciem excludat, potest appellari à quocumque gravamine, sive judiciali, sive extrajudiciali, etiam futuro, si sit extrajudiciale; si verò sit judiciale, non potest ab eo appellari nisi jam sit comminatum, ut dicturi sumus (5974). In hâc admittendâ regulâ concordant omnes doctores, et constat ex dicto capite *Cùm sit Romana*, et cap. *Concertationi* 8, tit. 15, lib. 2, in 6°; et est admittenda etiam in causis minoribus et levioribus, ex capit. 11, tit. 28, lib. 2, decret., ubi Alexander III dicit: « De appel» lationibus pro causis minimis interpositis volumus te » tenere, quòd eis (*pro quâcumque levi causâ fiant*) non » minùs est, *quàm si pro majoribus fierent*, deferendum. » Unde, ait D. Bouix (*de Judiciis*, t. 2, p. 249): « Ut constet » aliquem posse in tali casu determinato appellare, necesse » non est ut jus expressè... concedat, sed satis est ut appel» lationis denegatio, quoad hunc casum, in jure expressa » non reperiatur... »

646. Porrò appellatio, sive judicialis, sive extrajudicialis, fieri debet intra decendium, ex cap. *Concertationi* suprà citato, et ex cap. *Quod ad consultationem* 15, tit. 27, lib. 2 Decret.; secus dicendum de querelâ nullitatis quæ proponi valet per 30 annos sed non ultrà, cùm omnis actio dicto tempore præscribatur (Bouix, *De Judic.*, t. 2, p. 411).

647. Diximus *nisi expressè jus aliquas causas excludat*: nam à jure excipitur 1° Casus quo Episcopus *extrajudicialiter* prohibet alicui ascensum ad ordines, aut suspendit à jam susceptis, quia Conc. Trident (cap. 1, sess. 14, *de reform.*) dicit quòd in illo casu nulla licentia taliter prohibito vel suspenso suffragare potest; unde ei solummodò relinquitur ad Sedem Apostolicam recursus. Vide infra dicenda (6015).

648. —2° Appellatio à censuris *jam inflictis* effectum non habet suspensivum sed devolutivum tantùm. Ita com-

muniter et constat ex cap. *Is qui*, *de sentent. excomm.*, in 6°; et cap. *Ad hæc, de appell.* Secus si non fuerint *jam inflictæ* (cap. *Præterea* 4, *de appellat.*).

Si censuræ infligerentur post interjectam appellationem, nullæ essent casu quo essent latæ ad puniendam inobedientiam erga sententiam à quâ fuit appellatum (cap. *Ad præsentiam* 16, *de appell.*): secus si infligerentur ante interjectam appellationem. Vid. D. Bouix, *De Judic*, t. 2, p. 253-255.

Appellatio à suspensione, quæ non est à divinis vel ab ordine, sed solùm a beneficio vel à Dignitate ut puta ab usu pallii aut à pontificalibus, effectum etiam suspensivum habet. Vide Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 419.).

649. — 3° Quando quis appellat contra legem quæ ipsi applicatur (nisi injusta videatur, quod supponi potest de lege particulari, v. g. diœcesanâ, vel nisi ob periculum aut grave incommodum desinat obligare), tunc ipsius appellatio non est admittenda utpote frivola (cap. *Reprehensibilis* 26, *de appell.*).

650. — 4° In actibus visitationis et correctionis, licet quidem appellare a sententiâ extrajudiciali Antistitis; at appellatio non habet effectum suspensivum, sed tantùm devolutivum Conc. Trident., sess. 22, cap. 1, *de reform.*; sess. 24, c. 10, *de ref.*; sess. 13, cap. 1, *de ref.*; et cap. *Irrefragabili* 13, *de Offic. Jud. ordin.*

« S. C. Concilii consulta an, in causis visitationis et
» correctionis, appellari possit post definitivam, respondit
» posse, ita tamen ut appellatio non suspendat executionem
» contra quod sancitum est. Sess. 24, cap. 10, et sess. 22,
» cap. 1. Item consulta num decretum illud capit. 10,
» sess. 24, sustulerit appellationem devolutivam, censuit
» non sustulisse, sed suspensivam tantùm. » Ap. Bouix, *De Jud.*, tom. 2, p. 260.

Si verò Episcopus judicialiter procedat in casu visitationis, appellatio effectum habet suspensivum; ita S. Cong. Epis. et Regul. approbata a Clemente VIII, anno 1600, § 90. V. Bouix, *De Judic.*, t. 2, p. 292; — et infra dicenda (912).

Item appellatio à synodalibus Constitutionibus, non

suspensivum, sed devolutivum habet effectum. Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 13, cap. 5, nº 12.

651. — 5º A sententiis interlocutoriis non licet appellare ante definitivam sententiam, nisi hujusmodi sententiæ vim definitivæ habeant, vel nisi *gravamen per definitivam sententiam* reparari vel ab ipsâ definitivâ appellari non possit (Conc. Trident., ses. 13, cap. 1, *de ref.*). Juxta Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 403), prohibitio Concilii Trident. locum non habet in causis ecclesiasticis merè civilibus.

652. — 6º In causis notoriis non datur appellatio. Ita DD. communiter ex cap. *Cùm sit* 5, ex cap. *Pervenit* 13 et ex cap. *Consuluit*, tit. 28, liv. 2, Decretalium : « Cùm appella- » tionis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed » ad præsidium innocentiæ institutum (cap. *Cùm speciali* 61, » *de appell.*). » Excipitur casus in quo delictum notorium aliquo modo defendi posset, ut si quis occidisset in publico, sed allegaret occidisse ad suî defensionem.

653. — 7º Si causa fuisset decisa ope juramenti, vel decisa fuisset ope juramenti suppletorii, seu uni litigantium à judice in supplementum probationum delati, et tunc locus esse posset appellationi ; vel fuisset decisa ope juramenti *decisorii*, id est quod una pars alteri defert, et tunc appellari nequiret. V. Bouix, *De Jud.*, t. 2, p. 266.

654. — 8º Vicario generali, notario, nuntio curiæ, aliisve officialibus, ob malè gestum officium à judice condemnatis, non conceditur appellatio ad effectum suspensivum. V. Bouix, *De Jud.*, t. 2, p. 226.

655. — 9º « Generaliter in omnibus iis quæ pertinent ad » curam animarum et rectam sacramentorum administra- » tionem, adversùs visitationem, correctionem, coerci- » tionem, et quascumque alias provisiones Episcopi Diœ- » cesani, etiam quoad exemptos, sive sæculares sive regu- » lares, » appellatio non habet effectum suspensivum. V. Bullam *Ad militantis Ecclesiæ*, Bened. XIV, § 9 (in hâc Bullâ accuratè enumerantur varii casus in quibus appellatio non suspendit mandata vel judicia Episcoporum.)

656. — 1º A sententiâ etiam definitivâ contra reum contumacem prolatâ appellatio non est recipienda (Decret.

S. Cong. Episcop. et Reg. anni 1600). Pro controversiis circa præcedentiam, vide dicta supra (641); vide alia insuper ap. Ferraris, v° *Appellatio*, et Conc. Remense anni 1849, p. 129.

657. *Nota* quòd clausula, *omni appellatione remotâ*, appellationem non impediat quoad effectum devolutivum, sed tantùm quoad suspensivum; constat ex Decretali *Pastorali* 53, *de Appell.* in quâ dicitur quòd, eo casu, si appellans fuerit gravatus injustè, *gravamen hujusmodi per Superiorem poterit emendari.* A fortiori prædicta clausula non impedit *supplicationem, petitionem restitutionis in integrum* (5995, 6065, etc.), et alia remedia (6059); unde, ait D. Bouix (*De Judic.*, t. 2, p. 265) : « Immeritò Sedes » Apostolica insimulatur, eò quòd causas quandoque judi- » candas committat cum dictâ clausulâ, *omni appellatione* » *remotâ.* » Vide alia apud eumdem (*ibid.*, p. 263-266).

658. Quærit. 4° Utrum liceat appellare a quocumque judice?

Resp. Regulariter illud licere, quia appellatio est species defensionis quæ oppressis datur contra injuriam judicis : sunt tamen exceptiones : sic 1° non licet appellare à sententiâ Papæ etiam ad Concilium Generale, nec etiam à Concilio Generali Papæ unito, quia appellatio nequit locum habere, nisi ab inferiore ad Superiorem, et Papa non est Concilio Generali inferior [1].

2° A sententiâ totius Collegii Cardinalium, aut Congregationum Romanarum, et ab ultimâ Rotæ Romanæ sententiâ non datur appellatio : obtineri tamen potest ut negotia contentiosa pluries examinentur a Sacris Congregationibus. Casu autem quo data fuerit decisio cum hâc clausulâ, *et ampliùs*, peti non potest ut denuò decisio causæ examinetur, nisi ab Emin. Præfecto Congregationis

[1] Appellantes ad futurum Concilium Generale excommunicantur et respectivè interdicto subjiciuntur. Bened. XIV. Constit. *Pastoralis*, § 2. V. Bullan. *In Cæna Domini*, 2a except.; Extrav. *Suscepti Regiminis*, Julii II; et Bulla *Execrabilis* Pii II, anno 1459 : « Sentire quòd à Papâ » ad Concilium appellari possit, est hæreticum », dicit S. Antoninus, p. 3, *Summ.*, tit. 23, *de Appell. Papæ*, § 3 (V. Card. Soglia, *Inst. jur. publ*, § 39 in fine). Hic casus specialiter S. Sedi reserv. per C. *Apostol. Sedis*.

priùs obtenta fuerit de hoc licentia. V. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 424, et infra (786).

3° A sententiâ *arbitrorum compromissariorum*, id est, quos sibi partes concorditer elegerunt, appellari nequit; secus, si ex præscripto legis eos eligere coacti fuerunt. Bouix, *De Judic.*, t. 2, p. 267, etc.

659. Quærit. 5° Ad quem appellatio fieri possit aut debeat?

Resp. Extra casum appellationis ad Papam, appellandum est à judice inferiori ad immediatum Superiorem, non autem, eo prætermisso, ad mediatum. Constat ex cap. *Dilecti* 66, *de appell.*, et ex capite *Romana* 3, *de appell.*, in 6. Proinde 1° A Vicario foraneo vel alio subjecto Episcopi, ad Episcopum, vel ipsius Vicarium Generalem, vel, Sede vacante, ad Capitulum aut Vicarium Capitularem appellandum est. 2° Ab Episcopo, vel Vicario Generali, aut, Sede vacante, à Capitulo aut ipsius Vicario, appellandum est ad Archiepiscopum. 3° Ab Archiepiscopo, successivè ad Primatem, Patriarcham et Papam. 4° Cùm Episcopus et Vicarius Generalis idem tribunal efficiant, non est appellandum à Vicario Generali ad Episcopum, nec propter eamdem rationem, à Congregationibus Romanis ad Papam. 5° A delegato appellandum est ad delegantem. V. alia ap. D. Bouix, *De Judic.*, t. 2, p. 271.

660. Diximus *extra casum appellationis ad Papam*, quia S. Pontifex, propter suam plenitudinem potestatis, potest quascumque appellationes admittere [1]. Excipiendus est tamen casus in quo S. Sedes per concordatum indulsit alicui regioni ut ad ipsam non appelletur, omissis judicibus intermediis, prout concesserat Galliæ Leo X per suum Concordatum cum Francisco I initum; sed hoc privilegium videtur fuisse suppressum à Pio VII per Constit. *Qui Christi Domini*, quâ exstinctæ fuerunt omnes sedes Episcopales et Archiepiscopales Galliæ simul cum earum omnibus juribus et

[1] Si quis cuperet habere brevem monumentorum seriem quibus constat a primævis Ecclesiæ sæculis fuisse de toto orbe ad Sedem Apostolicam appellatum, videat Devoti. *De Judiciis*, tit. 15, § 28, in notis.

privilegiis ; et de facto nunc à Sede Apostolicâ admittuntur appellationes è Galliâ venientes, etiam omissis judicibus intermediis. Vid. Bouix, *ib.*, p. 273.

Dixit autem DD. Bouvier (*Tract. de Ecclesiâ*, p. 109, 1ª editio) : « Simplices sacerdotes non habere jus recur- » rendi directè ad S. Pontificem : hoc fuit statutum ne » ultrà modum multiplicarentur appellationes. » Sed ubinam hoc fuerit statutum, hic auctor non dixit; et reverà à nemine hoc fuit statutum saltem modo generali : « Roma- » num Pontificem appellare, non modò Episcopis licet, » inquit Card. Soglia (*Inst. jur. publ.*, p. 278), sed etiam » presbyteris aliisque clericis inferioribus, quia superior » omnium judex est. » De hoc ampliùs dubitari non licet, Vaticano Concilio sic habente : « Declaramus eum » (Romanum Pontificem) esse judicem supremum fide- » lium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum » spectantibus, ad ipsius posse judicium recurri. » (Sess. IV c. 3.)

661. Imprimis hîc notandum quòd appellatio notificari debeat ei à cujus sententiâ appellatur, alioquin neque suspensivum neque devolutivum effectum habet. Constat variis capitibus juris canonici (*Ut debitus* 50, *de appell.*; Clement. *Si à judicibus*, tit. 12, libr. 2, etc). Quidam excipiuntur casus, pro quibus vide D. Bouix, *De Judiciis*, p. 268, etc.

Si in eodem negotio una pars appellaverit ad Papam, altera verò ad Superiorem immediatum, qui ad Papam appellaverit, suam appellationem superiori immediato notificare debet, ne iste ulteriùs procedat; alioquin, quod ipse appellationem ad Papam ignorans perageret, validum esset. Ita cap. *Si duobus* 7, *de appellat* : ex quo patet licere appellationem immediatam ad Sedem Apostolicam, eamque omni alteri appellationi prævalituram fore, modò tamen fuerit notificata. V. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 446.

662. Nuntii verò S. Sedis non gaudent privilegio ut ad ipsos possit appellari, omisso medio (Stremler, *ib.*, p. 451 et 452).

De apostolis à judice *à quo* obtinendis, post appellationem, vide infra dicenda (5982-5986).

Insuper attentè legendæ sunt decisiones S. Cong. Episc. et Reg. de hâc materiâ, anno 1600, editæ. Vide apud D. Bouix, *De Judic.*, t. 2, p. 290.

663. Quærit. 6° Ad quem sit appellandum, quandò Episcopus processit vi delegationis datæ à Conc. Tridentino sub his verbis: *tanquam delegatus Sedis Apostolicæ?*

Resp. huic quæstioni fuisse satisfactum supra (286 et 287). V. etiam Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 444 et 445).

664. Quærit. 7° An fideles Archidiœcesis à sententiâ Officialis diœcesani possint appellare ad sententiam Officialis metropolitani ejusdem Archiepiscopi?

Resp. pluribus abhinc annis invaluisse apud nos consuetudinem quòd sic fieri valeat, ut constat, quoad Archidiœcesim Parisiensem, tum ex dictis t. 8, part. 2, col. 2555-2558, *Collect. des procès-verbaux du Clergé de France* anno 1775; tum ex iis quæ peracta sunt anno 1810, occasione nullitatis matrimonii Napoleonis I cum Josephinâ. Multa tamen, inquit auctor *Prælectionum S. Sulpitii* (n° 666), suadent ne hujusmodi appellatio interponatur. Quia ex cap. 2, *de consuet.*, in 6° : « Irrationabilis (est) consuetudo » quòd ab Officiali Episcopi ad eumdem valeat appellari, » ne ab eodem ad seipsum appellatio interposita videatur. » Si ergo ab Officiali uno ad Episcopum non liceat appellare, quomodo legitimè appellari posset ad alterum ejusdem Archiepiscopi Officialem, supposito quòd uterque sive diœcesanus, sive metropolitanus sit propriè Vicarius Generalis, non verò merus delegatus? — Si enim essent meri delegati, sicut à delegato potest appellari ad Episcopum delegantem, ita ad alterum delegatum potest appellari. Undè supradicta consuetudo Galliæ non videtur rationabilis, et praxi communi cæterarum Ecclesiarum adversatur. Ita præfatus auctor, nec invenimus quid possit contra has rationes peremptoriè allegari. Idem sentit Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 444.

665. Quærit. 8° Quandonam deserta censeri debeat appellatio?

Respondet Schmalzgrueber (lib. 2, tit. 28, n° 79) : « Ad » appellationem prosequendam et finiendam (à quocumque

» gravamine, etiam extrajudiciali, appellatum fuerit) con-
» ceditur annus, et ex justâ causâ, biennium (Lequeux
» autem, nº 1291, dicit appellationes in Galliâ perimi solùm
» post triennium), intra quod tempus, si appellans, justo
» impedimento cessante, appellationem suam non fuerit
» prosecutus, illa deserta censebitur. » (Cap. *Cùm sit* 5, et cap. *Ex rationabili* 8, *de Appellat.*)—Vid. Bouix, *De Judiciis*, t. 2, p. 283;—Lancelot, lib. 3, tit. 17, § 24;—D. André, vº APPEL, *désertion*; — et Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 436.

Dictus terminus currere incipit à die interpositæ appellationis; sed si fuerit appellatum à gravamine inferendo, incipit currere tantùm à die quo de facto gravamen fuit illatum (Clement. 3, *de appellat.*).

De *fatalibus* appellationum seu de temporibus, quibus elapsis, non ampliùs conceduntur, vel concessæ extinguntur, vide infra dicenda (5988, etc.).

DE APPELLATIONE AB ABUSU.

666. Præter appellationem simplicem, de quâ modò locuti sumus et quæ est remedium canonicum, seu ab Ecclesiâ institutum ad sanandos Potestatum ecclesiasticarum abusus, invectum est aliud appellationis genus, non ab Ecclesiâ, sed contra Ecclesiam institutum et cui inditum fuit nomen *Appellatio ab abusu.* In eo consistit quòd *ad sæcularem potestatem, recursus habeatur ad se tuendum contra excessus Superiorum ecclesiasticorum.*

667. Quærit. 1º Utrum hujusmodi appellatio sit licita?

Resp. Eam licitam esse contendunt illi Gallicani qui *parlamentarii* nuncupantur, qualis fuit Fevretus qui ait (*De l'Abus*, lib. 1, ch. 1, nº 21) : « L'on peut dire avec vérité
» que celui qui le premier en introduisit la façon, devrait,
» comme Archimède, s'écrier deux ou trois fois : *Je l'ai*
» *trouvé.* » Sed omninò negativè respondere multa cogunt, videlicet :

1º Ecclesia est societas perfecta, omninò independens à societate temporali, quod quidem est de fide, et probari potest ex Bullâ Bonifacii VIII *Unam sanctam*. Porrò Ecclesia non omninò esset independens a sæculari potestate, si

per recursum ad principem temporalem, actus Superiorum ecclesiasticorum retractari deberent. Et verò sæcularibus intoleranda usurpatio videretur, quòd actus civilis administrationis ab Episcopis reformarentur. Ergo à fortiori monstruosum quid et damnabile haberi debet quòd actus Superiorum ecclesiasticorum reformentur à sæcularibus magistratibus. Nonne enim sicut monstruosum esset quòd anima subderet corpori, sic est quid absurdum quòd spiritualis societas temporali subjaceat? Cui enim dictum fuit: « Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in » cœlo » (Matth., c. 18, v. 18)? Cui hæc verba directa sunt: « Pasce oves meas, pasce agnos meos» (S. Joann., v. 15-17. c. 21)? Regibus aut principibus sæcularibus? An potius Petro et Apostolis ac eorum Successoribus? Quinam positi fuerunt à S. Spiritu regere Ecclesiam Dei (Act. Apost., c. 20, v. 28)? Episcopi? an magistratus civiles? — Dedit quidem Christus Ecclesiæ suæ *Apostolos*, *Evangelistas*, *Pastores* et *Doctores*, *ut non circumferamur omni vento doctrinæ* (Ad Eph., c. 4, v. 14), numquid et ad hunc finem dedit etiam reges et principes?

Et verò Gallicani, ex his verbis: *Regnum meum non est de hoc mundo* (S. Joan., c. 18, v. 26), concludi volunt superiores ecclesiasticos nullam habere potestatem in temporalia; et cur non etiam exinde concludunt magistratus sæculares nihil prætendere debere in spiritualia, quæ de hoc mundo non sunt, nec proindè temporali et mundanæ potestati subdi valent?

Sed quod maximè lugendum est, ipsimet clerici aliquando non erubescunt ad probrosas hujusmodi appellationes recurrere ut suas contrà Prælatos rebelliones tueantur, non verentes sic pedibus conculcare suæ matris Ecclesiæ leges quæ talia prohibet, imò suis anathematibus plectit[1]. Dicunt sic se agere virtute *libertatum gallicanarum:*

[1] Non sinè ingenti gaudio legimus hodiè in diario l'*Univers*, 29 sept. 1858, quòd, dum in urbe Santiago capite regionis Americæ Chili nuncupatæ, duo Canonici ad gubernium appellassent de sententiâ contra eos ab Archiepiscopo ejusdem civitatis latâ, et gubernium non solùm suscepisset eorum appellationem, sed abusivam declarasset

audiant ergo ipsam Ecclesiam Gallicanam, ore suorum Antistitum coram Ludovico XIV. anno 1666, de hoc sic lamentantem : « Cette jurisprudence, Sire (verba faciebat » nomine omnium suorum Collegarum Episcopus Apa- » miensis), s'est maintenant portée à un tel excès, qu'elle » détruit absolument l'autorité de l'Église ; elle y renverse » tout l'ordre judiciaire; *elle nourrit la rébellion des ecclé- » siastiques qui vivent dans le déréglement ; elle leur ac- » quiert un privilége d'impunité;* elle réduit les Prélats à » l'impuissance de maintenir la discipline, puisqu'elle les » arrache de leurs siéges; et, *au lieu que J.-C. les avait » établis juges*, elle les rend de misérables solliciteurs de » procès. Sire, les rois, prédécesseurs de Votre Majesté, » n'ont jamais autorisé cette nouveauté dans ses commen- » cements; ils s'y sont même opposés dans ses progrès ; » mais la pente du siècle infecté de la plus étendue et de » la plus libertine de toutes les hérésies tournait trop de ce » côté-là.... Il n'y a plus de règle certaine; on donne le » nom d'abus quand on veut à toutes sortes de procédures ; » et ceux qui sont véritablement juges et parties, attirent, » sous ce faux prétexte, toutes sortes de causes à leur con- » naissance.... Nous lisons, Sire, que les empereurs Théo-

sententiam Archiepiscopalem, et ipsum Archiepiscopum in exilium damnasset. efformaverint sacerdotes sæculares associationem sub invocatione S. Thomæ Cantuariensis, cujus omnia membra juramento se astringunt ad nunquam invocandam auctoritatem sæcularem contra ecclesiasticos Superiores, et ad omnia sufferenda pro tuendis juribus et libertate Ecclesiæ. S. Pontifex Pius IX, in epistolâ 27 nov. 1856, de hoc Archiepiscopum congratulatur; ipsius et horum sacerdotum zelum laudat; de duobus verò Canonicis, sic ait : « Vous pourrez facilement com- » prendre..., Vénérable Frère, quelle douleur nous a causée la conduite » de ces deux chanoines... et la pensée des peines canoniques qu'ils ont » encourues, en ne craignant pas de recourir au jugement et à l'autorité » du pouvoir laïque en des matières spirituelles ; quoique des abus de » ce genre se soient introduits depuis longtemps dans votre pays ou » ailleurs, il n'est pas possible que les dits Chanoines aient l'esprit et la » conscience tranquilles, puisque, par leur position même, ils connais- » sent mieux que personne que les lois de Dieu et de l'Église ne sont » soumises à aucun pouvoir laïque. » Utinam autem in solo Chili imperio similia scandala data fuissent, aut utinam semper apud nos Clerus similes contra talia infanda protestationes emisisset!

» dose, Charlemagne et Louis le Débonnaire ont permis à » leurs sujets, qui plaidaient devant leurs juges pour des » causes même temporelles, de demander le jugement ou » l'arbitrage paternel de leurs Évêques; mais nous ne » trouvons point qu'il ait été jamais permis d'appeler d'une » cause spirituelle aux tribunaux temporels, principale- » ment dans les causes ecclésiastiques » (*Mém. du clergé*, t. 7, col. 1526). Similes sui doloris clamores pluries jam antea ediderat Clerus Gallicanus, videlicet anno 1605 coram Henrico IV, et annis 1614, 1635 (*Mém. du clergé*, t. 7, col. 1516, 1519). His consonant quæ dixit Fleury (*Opuscules* publiées par M. Emery, *Discours sur les libertés de l'Église gallicane*) : « Si quelque étranger, zélé pour les lois de » l'Église, et peu disposé à flatter les puissances tempo- » relles, voulait faire un traité des servitudes de l'Église » gallicane, il ne manquerait pas de matière; il ne lui » serait pas difficile de faire passer pour telles les *appella-* » *tions comme d'abus*, etc. »

Non ergo mirandum quòd Leo XII hæc scripserit ad Ludovicum XVIII : « On médite d'ouvrir de nouvelles plaies » dans le sein de l'Église, en remettant en vigueur les » *Appels comme d'abus*, inconnus à la vénérable anti- » quité, source de désordres éternels et de vexations con- » tinuelles contre le Clergé, usurpation manifeste des » droits les plus sacrés de l'Église. » André, v° *Appel comme d'abus*.

2° Hi recursus ad potestatem sæcularem prohibentur a canonibus et quidem gravissimis pœnis. Constat ex can. *Benè quidem*, dist. 96, ubi vetatur « quibuslibet laicis » quamvis religiosis vel potentibus, in quâcumque civitate, » quolibet modo aliquid decernere de facultatibus eccle- » siasticis, quorum solis sacerdotibus disponendi indiscussè » à Deo cura commissa docetur. »

In Decretali *Qualiter* 17, *de judiciis*, sic loquitur Innocent. III : « Nec pro defectu justitiæ, clerici trahantur à » laicis ad judicium sæculare, quòd omninò fieri prohi- » bemus. »

Martinus V, in suâ Const. *Ad reprimendas insolentias*,

latæ excommunicationis pœnam infligit judicibus, officialibus laicis, ecclesiasticis personis sæcularibus vel regularibus, cujuslibet Dignitatis, quæ directè vel indirectè trahunt ad forum seu judicium laicale. *V.* infrà (1636, 7°).

Eâdem pœnâ plectuntur per Bullam *Cœnæ* qui prætextu frivolæ appellationis causas ecclesiasticas transferunt ad sæculare forum. Cf. Const. *Ap. Sed.* exc. 6, 7, 8.

Hujusmodi pœnæ vigent in Galliâ, ut constat ex oratione supra citatâ Cleri Gallicani, anno 1666 (*Mém. du Clergé*, t. 7, col. 1526), ubi dicitur : « Si enfin par la décision de » tant de Conciles et par la créance universelle de tous les » fidèles, durant tant de siècles, tous les ecclésiastiques, » qui pour se soustraire à la juridiction de leurs Evêques, » appelaient au juge séculier, *encouraient l'anathème* avec » ceux qui recevaient leurs appellations... *en quel état sont » les prêtres et les juges qui violent tant de canons qui » n'ont jamais été révoqués ?* » Vide insuper *Ordonn. du diocèse de Valence*, p. 327, 7°; — *et Statuts de la Province de Vienne*, t. 4, art. 1, n° 3, p. 98. Ergo illicita omninò et damnabilis est praxis *appellationum tanquam ab abusu*, talesque appellationes prorsùs nullæ et invalidæ sunt. Vide alia ap. D. Bouix, *De Judiciis*, t. 1. p 93, et prop. 41 *Syllabi*

Objicitur 1° Ad principem christianum et magistratum sæcularem pertinet protegere Ecclesiam et procurare observationem legum canonicarum. Ergo ad ipsos licet recurrere, quando hujusmodi leges ab ipsismet Superioribus ecclesiasticis infringuntur.

Resp. Negando consequens et consequentiam : ex eo quòd enim principes christiani et magistratus ab ipsis constituti, teneantur Ecclesiam tueri, et ipsius legum observationem procurare, minimè sequitur quòd ad ipsos liceat recurrere, quando leges ecclesiasticæ et canones non observantur à Superioribus et judicibus ecclesiasticis; quippe ipsæmet leges Ecclesiæ et canones hujusmodi recursum prohibent, sanciuntque ut tunc potiùs habeatur recursus ad tribunal ecclesiasticum gradûs superioris ; alioquin factum esset de independentiâ et libertate Ecclesiæ. Proindè ex eo quòd principes christiani sint protectores

et defensores Ecclesiæ ac ipsius legum, hoc unum sequitur quòd procurare debeant ut illæ observentur juxta placitum Superiorum ecclesiasticorum, et in casu illarum violationis, ut inferioribus liber sit recursus ad eos Superiores qui, juxta canones, talibus infractionibus mederi valent : alioquin, si quid ultrà facere voluerint, nihil aliud erit quàm sacrilegè thuribulo manum adjicere, et jurisdictionem solis ministris Ecclesiæ à Christo attributam damnabiliter usurpare.

Objic. 2° Magistratibus civilibus maximè incumbit subjectos contra vim et oppressionem defendere. Ergo si ipsis superior ecclesiasticus injuriam inferat, fas erit oppresso ad principem aut magistratum ab eo institutum confugere, qui tali injuriæ remedium opportunum afferat. Ergo, etc.

Resp. Debet quidem princeps et ipsius nomine magistratus, subjectos tueri contra vim et oppressionem, sed ita tamen ut non usurpet jurisdictionem Ecclesiæ, quam independentem à sæculari potestate Christus instituit; porrò si in negotio ecclesiastico, princeps aut magistratus appellantes à judice ecclesiastico susciperet, manifestè usurparet jurisdictionem ipsius Ecclesiæ, ut patet. Ergo contra oppressionem iniquæ sententiæ, princeps non aliter debet protegere suos subjectos quàm procurando ut sententia reformetur a judice competente ecclesiastico. Diximus *in negotio ecclesiastico*, nam si ageretur *de negotio* evidenter *temporali, et nullatenus pertinente ad forum ecclesiasticum*, posset magistratus sæcularis de eo liberè disponere, non obstante *abusu notorio* potestatis ex parte judicis Ecclesiæ.

Objic. 3° Canonem *Nos si incompetenter*, causa 2, q. 7, in quo Leo IV sic Imperatori Ludovico scribit : « Nos si » *incompetenter* aliquid egimus, et in subditis justæ legis tra» mitem non observavimus, vestro ac missorum vestrorum » volumus emendari judicio. » Ergo, etc.

Resp. Si Leo IV voluit ut quod *incompetenter egisset et ultra justæ legis tramitem*, ab Imperatore aut ejus missis emendaretur, minimè sequitur quòd ad recipiendam hujusmodi emendationem cogi potuisset, casu quo ei noluisset subjici. Unde ex hoc canone nihil deduci potest contra nostram thesim.

Objic. 4° Canonem *Filiis* 31, causa 16, q. 7, in quo sic decernit Concilium Toletanum 9. « Quòd si talia Episcopus » agere tentet, Metropolitano ejus hæc insinuare procu» rent : si autem Metropolitanus talia gerat, *Regis hæc » auribus intimare non differant.*» Ergo licitus est recursus ad principem sæcularem.

Resp. Diversimodè intelligi hunc canonem quin tamen exindè sequatur causas ecclesiasticas deferendas esse ad principem sæcularem ; sufficiat dicere quòd Synodus vult quidem, in casu de quo agebatur, nempè *dissipationis bonorum Ecclesiæ*, accusationes *regis auribus intimandas esse*, ut tanquam Ecclesiæ defensor curet eas à judicibus legitimis dirimi, non autem ut per se judicet : si ultrà aliquid statuerit, correctus fuit canon per leges pontificias.—Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 97.

Objic. 5° Caput *Si quis* 2, *de regular.*, in quo supponitur, circa quamdam causam ecclesiasticam recurri posse *ad Principem* aut proprium Episcopum, vel ad missum Dominicum.

Respondent *Glossa* et post ipsam canonistæ, ibi per principem Papam intelligi.

668. Etsi illicitæ et nullæ sint appellationes *ab abusu*, ut modò probavimus, quia tamen ad eas non verentur recurrere quidam depravati et suspectæ fidei sacerdotes, et apud nos admittantur à sæculari potestate, necesse est cognoscere quænam à legibus civilibus circa hujusmodi appellationes statuantur. Sic ergo legitur in lege organicâ :

« Art. 6. Il y aura recours au Conseil d'État dans tous » les cas d'abus de la part des supérieurs et autres per» sonnes ecclésiastiques.

» Les cas d'abus sont : l'usurpation ou l'excès de pou» voir; la contravention aux lois et règlements de la répu» blique; l'infraction des règles consacrées par les canons » reçus en France ; l'attentat aux libertés, franchises et » coutumes de l'Église Gallicane, et toute entreprise et tout » procédé qui, dans l'exercice du culte, peut compro» mettre l'honneur des citoyens, troubler arbitrairement » leur conscience, dégénérer contre eux en oppression, ou » en injure, ou en scandale public.

» Art. 7. Il y aura pareillement recours au Conseil
» d'État, s'il est porté atteinte à l'exercice du culte et à la
» liberté que les lois et les règlements garantissent à ses
» ministres.

» Art. 8. Le recours compétera à toute personne inté-
» ressée. A défaut de plainte particulière, il sera exercé
» d'office par les Préfets.

» Le fonctionnaire public, l'ecclésiastique ou la per-
» sonne qui voudra exercer ce recours, adressera un mé-
» moire détaillé au Conseiller d'État chargé de toutes les
» affaires concernant les cultes (aujourd'hui au Ministre
» des cultes), lequel sera tenu de prendre, dans le plus
» court délai, tous les renseignements convenables; et,
» sur son rapport, l'affaire sera suivie et définitivement
» terminée dans la forme administrative, ou renvoyée,
» selon l'exigence des cas, aux autorités compétentes. »

Duplex sententiarum genus indicatur in hoc articulo : interdum enim Consilium Statùs *definitivè* pronuntiat, declarando, v. g. nullum esse abusum, vel pronuntiando illum è contra adfuisse, ac proindè præcipiendo, v. g. alicujus scripti suppressionem ; interdum verò causam *remittit* ad aliud tribunal, sive sæculare, si de delicto aut negotio sæculari agatur; sive ecclesiasticum, si ad hujusmodi forum spectare judicet. Vide Lequeux, nº 1295.

669. Contra præfatos articulos reclamavit Sedes Apostolica; sic enim aiebat Cardin. Caprara in suâ epistolâ 18 aug. 1803 ad D. de Talleyrand :

« Un des cas d'abus est l'usurpation ou l'excès de pou-
» voir; mais en matière de jurisdiction spirituelle, l'Église
» en est seul juge : il n'appartient qu'à elle de déclarer *en*
» *quoi l'on a excédé* ou *abusé des pouvoirs* qu'elle seule peut
» conférer. La puissance temporelle ne peut connaître de
» l'*abus excessif* d'une chose qu'elle n'accorde pas.

» Un second cas d'abus est la *contravention aux lois et*
» *règlements de la république*, mais si ces lois, si ces
» règlements sont en opposition avec la doctrine chré-
» tienne, faudra-t-il que le prêtre les observe de préfé-
» rence à la loi de J.-C. ?..

» On range encore dans la classe des abus l'infraction
» des règles consacrées en France par les Saints Canons...
» Mais ces règles ont dû émaner de l'Église ; c'est donc à
» elle seule de prononcer sur leur infraction, car elle seule
» en connaît l'esprit et les dispositions.

» On dit enfin qu'il y a lieu à l'appel comme d'abus *pour
» toute entreprise qui tend à compromettre l'honneur des
» citoyens, à troubler leur conscience, ou qui dégénère contre
» eux en oppression, injure ou scandale public.*

» Mais si un divorcé, si un hérétique connu en public
» se présente pour recevoir les sacrements, et qu'on les lui
» refuse, il prétendra qu'on lui a fait injure, il criera au
» scandale ; il portera sa plainte ; on l'admettra d'après la
» loi ; et cependant le prêtre inculpé n'aura fait que son
» devoir, puisque les sacrements ne doivent jamais être
» conférés à des personnes notoirement indignes.

» En vain s'appuierait-on sur l'usage constant des
» *appels comme d'abus*. Cet usage ne remonte pas au delà
» du règne de Philippe de Valois, mort en 1350 [1]. Il n'a
» jamais été constant et uniforme ; il a varié selon les
» temps ; les parlements avaient un intérêt tout particu-
» lier à l'accréditer : ils augmentaient leurs pouvoirs et leur
» attribution. Mais ce qui flatte n'est pas toujours juste :
» ainsi Louis XIV, par l'édit de 1695, art. 34, 35, 36,
» 37, n'attribuait-il aux magistrats séculiers que l'examen
» *des formes*, en leur *prescrivant* de renvoyer le fond au
» Supérieur ecclésiastique. Or, cette restriction n'existe
» nullement dans *les articles organiques :* ils attribuent
» indistinctement au Conseil d'État le jugement de la forme
» et celui du fond... » etc.

In Concordato anni 1817 stipulatum fuit art. 3 : « Les
» *articles* dits *organiques*, qui furent faits à l'insu de Sa
» Sainteté, et publiés sans son aveu, le 8 avr. 1802, en
» même temps que ledit Concordat du 15 juillet 1801,

[1] « Appellationes *ab abusu* in Galliis non sunt antiquæ : nec eas
» ante tempora Francisci I vel Ludovici XII reperire facilè est. Antea
» fiebat nonnunquam *protestatio de nullitate sententiæ aut mandati.* »
Lequeux, nº 156.

» sont abrogés en ce qu'ils ont de contraire à la doctrine
» et aux lois de l'Église. »

Sed hodie causa finita est cùm Vatic. Conc. dixerit *Sedis Apost...judicium à nemine fore retractandum* (S. IV, c. 3).

DISSERTATIO SECUNDA.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN SPECIE.

670. « Cùm (jurisdictionis Hierarchia) pendeat ab im-
» perio in subditos, neque hoc imperium in omnibus Epis-
» copis unum idemque sit, facilè intelligitur dispares
» eorum gradus esse oportere. Quare alia est jurisdictio
» Episcopi qui unam diœcesim regit, alia Metropolitæ qui
» provinciæ, alia Patriarchæ qui pluribus provinciis præest,
» alia denique Summi Pontificis quem Christus toti Eccle-
» siæ præfecit. » Devoti (lib. 1, tit. 2, § 4).

CAPUT I.

DE S. PONTIFICE.

671. « Ordiamur à S. Pontifice, cujus in ecclesiasticâ
» Hierarchiâ supremus gradus et summa potestas est. Is
» vocatur *Papa* à græco verbo παππας latinè *pater*, quod
» nomen initio proprium fuit omnium Episcoporum; quin
» etiam sæpè ad minores quoque clericos translatum est.
» Sed jamdiu solus Romanus Pontifex eo nomine desi-
» gnatur. »

Papa non potest sibi successorem eligere, et si elegerit, electio, juxta multos auctores à Ferrario (V° *Papa*, n° 1) relatos, etiam jure divino erit irrita : de hoc tamen controvertitur ut videre est ap. D. Bouix (*De Curiâ Romanâ*, p. 125). — Objicitur quidem S. Petrum elegisse S. Clementem; sed de hoc parùm constat; et nihil indè concludi potest ex eodem Ferrario (*ib.*, n[is] 5, 8). — Pontifices alii quidam designârunt quem digniorem Summo Pontificatu existimabant, sed ipsimet electionem non perfecerunt (*ib.*,

n° 10). — Potest tamen Papa formam observandam in electione S. Pontificis determinare (V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 124), nam hæc forma non fuit determinata a jure divino (*ib.*, p. 130).

672. Diximus supra, quomodo fieri debeat hujusmodi electio : hic addendum superest quòd, postquam S. Pontifex fuerit electus et coronatus, ad ipsius consecrationem, si caractere episcopali nondum fuerit insignitus, sit procedendum; quæ fit hodiè per Decanum Sacri Collegii, inter missarum solemnia post hymnum angelicum (R. de M., tom 1, p. 261; et Ferraris, v° *Papa*, n° 70).

673. Præter ornamenta episcopalia, Papa *orario* seu *stolâ* semper utitur; cingit *tiaram* tribus circumdatam coronis [1], quibus triplex ipsius *magistri*, *legislatoris* et *judicis* monarchica potestas significatur. Baculo verò pastorali non utitur, quia baculum curvum limitatam et ab alio participatam designare videtur potestatem (vid. cap. *de sac. unct.*, in fin,).

Ex cap. *Ad honor.*, *de auctorit. et usu pallii*, « *solus Romanus Pontifex in missarum solemniis pallio semper utitur et ubique*, quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur : alii autem eo nec semper nec ubique, sed in Ecclesiâ suâ... certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in *partem* sollicitudinis, non in *plenitudinem* potestatis. »

Quòcumque se conferat Papa, crux deferri debet ante eum; quâ facultate destituuntur ipsi Patriarchæ in Urbe et in loco quo præsens est S. Pontifex aut ejus Legatus insignibus apostolicis utens (cap. *Antiqua*, *de Privileg.*). Insuper SS. Sacramentum in longis peregrinationibus secum portare solet. Vide *Inst.*, R. de M., t. 1, p. 261.

Quæ adhuc dicturi sumus de S. Pontifice in tres articulos dividemus : in 1° dicemus de ipsius Primatu, in 2° de juribus huic Primatui annexis, in 3° tandem de ipsius Ministris.

[1] « Tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit... Urbanus V, duplicis verò Bonifacius VIII. » Ap. Ferraris, *nota* ad n^m 13, art. 2, v° *Papa*.

ART. I.

DE PRIMATU S. PONTIFICIS.

674. Duplex distinguitur Primatus : *honoris* videlicet et *jurisdictionis*. *Honoris* quidem per quem ita primum locum obtinet quis ut nullam in alios auctoritatem habeat. *Jurisdictionis* verò per quem aliquis auctoritate et potestate aliis constituitur superior. Quæritur hìc utrum S. Pontifex Primatum, et qualem Primatum habeat in universalem Ecclesiam? Respondetur stabiliendo propositionem sequentem[1].

675. *Propositio.* — S. Pontifex habet jure divino, non tantùm Primatum honoris, sed etiam jurisdictionis in totam Ecclesiam. — De fide est (Billuart, *Tr. de fide*, diss. 4, art. 4, suppono 1°), definita à Conc. Vatic., sess. IV, c. 3. Est contra Protestantes et Græcos schismaticos. — Item contra Richerium qui asseruit Christum priùs Ecclesiæ claves seu jurisdictionem dedisse, ita ut Papa et Episcopi tantùm sint Ecclesiæ ministri, et jurisdictionem non exerceant nisi ipsius nomine et consensu. — Contra Jansenistas et Quesnellum cujus una propositio damnata, 90ª nempè, sic habet : « Ecclesia potestatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per Primos Pastores, de consensu saltem præsumpto ipsius corporis. » Card. Soglia, *Inst. jur. publici*, § 13.

Constat thesis modò : 1° S. Petrus habuerit à Christo, non honoris tantùm, sed etiam Primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam; 2° duraturus sit ille Primatus usque ad finem mundi; et 3° Pontifex Romanus Petro successerit in hunc Primatum. Atque hæc tria certissima sunt.

I. *Non honoris tantùm sed jurisdictionis in totam Ecclesiam Petrus accepit à Christo Primatum:* — Probat 1° Ex S. Scripturâ : Legitur enim apud S. Matthæum, cap. 16, v. 18 : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » His verbis Christus instituit Petrum tanquam

[1] Ad meliorem quæstionis præsentis intelligentiam relege dicta supra circa celebrem Cleri Gallicani declarationem (219-222).

Ecclesiæ fundamentum, seu sustentaculum, et quidem ita solidum ut contra Ecclesiam sic sustentatam portæ inferi, seu potestates infernales nunquam sint prævalituræ. Sed nemo ædificii socialis prout est Ecclesia, fulcimen inconcussum esse potest, nisi per plenam auctoritatem seu jurisdictionem, quam in eam exercere valet; auctoritate enim mala removentur et promoventur bona; sicque ædificium sociale sustentatur. Ergo ex eo quòd Petrus fuerit à Christo constitutus petra fundamentalis Ecclesiæ, eò ipsò ab eo accepit Primatum jurisdictionis in eam exercendæ.

Et verò non solùm Christus instituit Petrum fundamentum Ecclesiæ, sed illi promisit *claves regni cœlorum*, ita ut *quodcumque ligaverit super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solverit super terram erit solutum et in cœlis* (S. Matth., c. 16, v. 19); quibus verbis aliud non potest intelligi nisi plena potestas Petro tradita faciendì in Ecclesiâ quidquid utile judicabit; sed talis potestas manifestè includit Primatum jurisdictionis in eamdem Ecclesiam. Ergo, etc.

Legitur insuper ap. S. Joannem (c. 21, v. 15 et 17). « Simon Joannis, diligis me plus his?.. Pasce agnos meos... » pasce oves meas. »

Per *agnos suos* et *oves suas*, certè Christus non intellexit nisi suos fideles qui ovile Ecclesiæ ingressi vel ingressuri sunt. Ergo Christus commisit Petro curam pascendi fideles suos, et quidem omnes sinè restrictione, quippe nullos excepit[1]: sed officium pascendi omnes fideles sinè ullâ exceptione, manifestè includit plenam auctoritatem, seu Primatum jurisdictionis in universalem Ecclesiam. Ergo à Christo Petrus accepit potestatem in universalem Ecclesiam. Ergo ex Scripturâ constat Primatum jurisdictionis fuisse datum Petro pro totâ Ecclesiâ.

[1] *Præter agnos et oves* in Ecclesiâ nihil est, inquit S. Eucher (*Sermo Nat. Petri et Pauli*). « C'est à Pierre, inquit Bossuetius, qu'il est » ordonné de paître et de gouverner et les agneaux et les brebis, et les » petits et les mères, et les pasteurs même : pasteurs à l'égard des » peuples, et brebis à l'égard de Pierre. » (*Sermon sur l'unité.*)

2° Ex Conc. Vatic. : « Si quis dixerit... B. Petrum Apos-
» tolum à Christo Domino constitutum non esse Aposto-
» lorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis
» visibile caput ; vel eumdem honoris tantùm, non autem
» veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem D.
» N Jesu Christo directè et immediatè accepisse ; anathema
» sit. » (Sess. IV, c. 1.)

II. *Permansurus est Petri Primatus usque ad consummationem sæculi:* — Constat ex textu S. Matthæi supra memorato : *Tu es Petrus*, etc. ; tamdiù enim permansurus est Primatus sub figurâ Petræ fundamentalis designatus, quamdiù duraturum est ædificium ab ipso sustentatum. Porrò illud ædificium, Ecclesia videlicet, duratura est usque ad finem mundi ; siquidem adversùs eam *portæ inferi non sunt prævalituræ.* Ergo, etc. Unde Philippus, S. Cœlestini Legatus, in Concilio Ephesino, nullo reclamante, sic aiebat : « Nulli dubium, imò sæculis omnibus
» notum est quòd S. Petrus, Apostolorum Princeps et
» Caput, fideique columna, et Ecclesiæ catholicæ funda-
» mentum, à D. N. J. C. claves regni cœlorum accepit.., *qui*
» *ad hoc usque tempus* et *semper* in Successoribus vivit et
» judicia exercet. » Definitum à Vatic. sess. IV, c. 2. *V.* p. 345.

III. *Pontifex Romanus Petro in dictum Primatum successit:* — Innumera quidem testimonia in probationem afferri possent; sufficiat referre sequentia :

« Definimus, inquit Concilium Florentinum œcumeni-
» cum, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Ponti-
» ficem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum
» Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Prin-
» cipis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque
» Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doc-
» torem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi
» ac gubernandi universalem Ecclesiam, à D. N. J. C.
» plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam
» in gestis œcumenicorum Conciliorum et sacris canonibus
» continetur. » Pariter definitum à Vaticano. *V.* p. 345.

Unde damnata fuit a Leone X propositio 25ª Lutheri sic se habens : « Romanus Pontifex Petri successor non est
» Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab

» ipso Christo in Beato Petro institutus ; » et a Concilio Constantiensi sequens Wicleffi propositio : « Non est de » necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse » Supremam inter alias Ecclesias. » Ergo omninò credendum est Romanum Pontificem verè successisse Petro in Primatum jurisdictionis super totam Ecclesiam.

Ex his sequitur regimen Ecclesiæ esse *monarchicum*, id est tale quòd unus in eâ supremam habeat auctoritatem; et hoc de fide est habendum, juxta ipsammet Facultatem Parisiensem, quæ sequentem Marci Antonii de Dominis propositionem damnavit : « Monarchiæ formam non fuisse » immediatè a Christo institutam : *hæc propositio*, inquit » Facultas, *est hæretica*, *schismatica*, *ordinis hierarchici* » *et pacis Ecclesiæ subversiva.* » Vide *Exposition des principes du droit canon*, par le Cardinal Gousset, p. 65.

676. Diximus *de fide esse Summum Pontificem habere jure divino Primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam.*

Objici potest quòd etsi hæc propositio ut certissima sit habenda, propter argumenta supra allata et multa alia quæ adduci in probationem potuissent, attamen haberi non debeat tanquam de fide : ad hoc enim requireretur quòd à Deo seu Christo constitutum fuisset Romanum Pontificem debere esse Petri successorem : porrò hoc à Christo non fuit determinatum, sed solùm à Petro qui, si semper Antiochiæ sedisset, Episcopus Antiochenus illi legitimè in Supremum Pontificatum successisset. Ergo, etc.

Huic objectioni dupliciter respondet Melchior Cano (*de loc. theolog.*, lib. 6, cap. 8) : 1° inquit, dici potest Romanum Pontificem *ex divinâ institutione fuisse Petri in Ecclesiæ totius Pontificatu successorem :* hoc constat ex traditione : « Hujus rei illud est evidens argumentum quòd » non ante Phocam modò et Constantinum.... verùm etiam » ante quemcumque post Neronem Imperatorem.... ante » quoscumque post Petrum Pontifices maximos, semper a » viris ecclesiasticis, Romanus Episcopus Petri successor » est agnitus. » Citat deindè plures hujus traditionis testes [1],

[1] Sufficiat hîc referre S. Innocentii I et Gelasii testimonia : primus in suâ epistolâ ad Concil. Carthagen. et Milevitanum sic ait : « Congru-

et postea addit : « Nec verisimile fit ut, rem tam necessa-
» riam ad Ecclesiæ unitatem continendam, Christus Domi-
» nus Apostolis suis non revelârit »; quòd probat variis analogiis.

2° Etsi ex solo suo arbitrio Petrus Romæ sederit, et ibi commoratus fuerit usque ad mortem, sicque ipsius Successor in Romanâ Sede primatum in totam Ecclesiam habuerit, non ideo negandum de fide esse Romanum Pontificem habere præfatum Primatum ; nam, inquit idem Cano, sciendum « Non illud modò ad doctrinam catholicam per-
» tinere, quod Apostolis expressè revelatum est ; verùm
» hoc etiam quod alterâ ex propositione revelatâ et alterâ
» certâ in lumine naturali, syllogismo collectioneque evi-
» denti conficitur » quod pluribus explicat, et hoc præsertim modo qui magis quæstioni præsenti congruere videtur, videlicet : « Concilium Nicænum, in fide non errasse, aut
» Chalcedonense aut Ephesinum, nec in sacris libris, nec
» in Apostolorum traditionibus explicatum est ; sed id
» solùm, Concilia in Spiritu Sancto legitimè congregata
» errare non posse ; at quòd Concilium Nicænum, Chalce-
» donense, Ephesinum, legitimè fuerint coacta, ex divinâ
» revelatione non creditur, creditur tamen ex humanâ fide
» et traditione historiæ fide dignæ.... (Attamen) hæreticus
» erit qui negârit earum synodorum scita ac decreta, non
» aliter ac si negaret Evangelium.... Ad eumdem profectò
» modum, qui negaverit Romanum Pontificem eamdem
» habere potestatem quam Petrus a Christo accepit, fidei
» adversarius censendus est. » Ita Melchior Cano (*ibid.*).

Nihilominus de hâc sententiâ Cano sic habet Billuart (*De Fide*, diss 4, art. 4, suppono 2°) : « *hoc saltem est probabilius.* »
— Suarez verò (*De Fide*, diss. 10, sect. 3, v. 9) : « *Nihil est*
» *de fide certum.* » DD. autem Bouvier (*De Ecclesiâ*, pars 3,

» Apostolicæ Sedis arcana consulitis, *antiquæ* regulæ formam secuti,
» quam toto *semper* ab orbe, nostis esse servatam, præsertim quoties
» ratio fidei ventilatur. »
Secundus autem in Concil. Romano sic habet : « Sancta Romana
» Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed
» *evangelicâ voce Domini* et Salvatoris nostri Primatum obtinuit. »

cap. 1, art. 2, versùs finem): « Hæc propositio : *Pontifex*
» *Romanus canonicè electus, legitimus est B. Petri successor,*
» *et jure divino Primatum jurisdictionis in totâ Ecclesiâ*
» *habet*, multis videtur de fide, quia ex promissionibus
» B. Petro factis, ex perpetuâ traditione, ex unanimi
» Conciliorum et Patrum consensu constat, et cum pro-
» positionibus de fide essentialiter est conjuncta. Quidam
» (tamen) judicant illam *non esse de fide, quia immediatè non*
» *est revelata;* verùm juxta omnes, est saltem conclusio
» theologica cui internus mentis assensus debetur. »

His tamen non obstantibus, illud de fide esse non ampliùs potest dubitari, utpote definitum à Vaticano sequentibus verbis : « Si quis ergò dixerit non esse ex ipsius Christi
» institutione, seu jure divino, ut Beatus Petrus in primatu
» super universam Ecclesiam habeat perpetuos successo-
» res; aut Romanum Pontificem non esse Beati Petri in
» eodem primatu successorem, anathema sit. » (Sess. IV, c. 2.)

677. Quærit. 1° Quo jure Primatus adnexus fuerit Sedi Romanæ?

Resp. Modò diximus quid de hâc re senserit Melchior Cano (676) : sic autem quæstionem expendit Cardin. Soglia (*Inst. jur. publ.*, § 16) : « Quanquam catholicis omnibus
» certum exploratumque sit, Romanos Pontifices, divino
» jure, in Primatum S. Petri succedere, quia Christus Pri-
» matum ipsum perpetuò in Successoribus Petri perman-
» surum instituit, quæstio tamen est quonam jure, divino
» aut humano, Supremus Pontificatus Romanæ Sedi ad-
» nexus sit, et idcircò an prærogativa Primatûs ipsius a
» Romanâ Sede evelli, et in aliam sedem transferri pos-
» sit? — Putant aliqui.... in Petri potestate fuisse quam
» mallet sedem eligere.... Quemadmodum ergo.... ex facto
» Petri quod humanum est, Primatus.... in Romanâ Sede
» relictus fuit, sic poterit ex dispensatione humanâ, nempe
» Ecclesiæ, iterum ab eâ Sede separari.

» Aliqui contra affirmant Romanam Sedem electam et
» successoribus Petri constitutam fuisse, non ex unius
» Petri, sed etiam ipsius Christi voluntate : ex quo conse-

» quitur Primatum eidem Sedi divino jure ita adnexum » esse, ut nullâ auctoritate humanâ possit ab eâdem sepa» rari. »

Tertiam autem sententiam amplexus fuit Benedictus XIV (*De Syn.*, lib. 2, cap. 1, n° 1.). « Quamvis, inquit, posset » in aliquo sensu dici supremam Ecclesiæ monarchiam, » jure tantùm humano, esse annexam Sedi Romanæ, quia » nimirum utriusque unio... ortum habuit ex facto Petri, » attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui » asseruerunt præfatam annexionem ita esse de jure hu» mano, ut possit ab Ecclesiâ dissolvi, et una ab alterâ » separari. » Et reverà videtur quòd non sinè maximo periculo schismatis talis separatio fieri posset; huicque periculo verisimillimè obviare debuit æterna Sapientia, non permittendo Ecclesiæ præfatam separationem attentare. Juxta hanc sententiam videtur pronuntiasse Pius IX, damnando institutiones juris ecclesiastici D. Nepomucenæ Nuytz : « M... Nuytz, ayant, dans *ses institutions de droit ecclésias-* » *tique*, avancé, entr'autres erreurs, que *l'avis d'un Concile* » *général*, *ou le fait de tous les peuples pourrait transférer* » *le souverain Pontificat de l'Évêque et de la ville de Rome* » *à un autre évêque et à une autre ville*, Pie IX, dans un » bref dogmatique du 22 août 1851, a foudroyé cette » proposition, et proclamé la doctrine contraire comme » celle qui doit être tenue par tous les fidèles. » Ita Dom Guéranger, *Du Naturalisme dans l'histoire* (*Univers*, 4 juillet 1859). Vide etiam Guillois, t. 1, p. 406. Sed hodie amplius dubitari nequit qu jure divino primatus jurisdictionis super universam Ecclesiam adnexus fuerit Sedi Romanæ, expresse hoc definiente Concilio Vaticano, sess. IV, c. III : « Docemus, inquit, et declaramus Ecclesiam » Romanam *disponente Domino*, super omnes alias, ordi» nariæ potestatis obtinere principatum. » Supremus ergo Pontificatus transferri nequit de Romana sede ad sedem aliam. De his v. prop. 35 Syllabi.

678. Quærit. 2° Utrum omnino constet Petrum Romam venisse, ibique fuisse defunctum ?

Resp. Affirmativè, ex innumeris testimoniis Patrum et

Conciliorum qui ideò tribuunt Primatum Romano Pontifici, et qui citantur à Melchiore Cano, *De locis theolog.*, lib. 6, cap. 8 *Deinde*, etc., et cap. 4;—et à Billuart, *Tract. de Fide*, dissert. 4, art. 2, etc.

Inter citatos Patres adsunt :

1° Papias Apostolorum discipulus : 2° S. Irenæus qui (lib. 3, cap. 3), adversus hæreses sic ait : « Quoniam.. longum » est... omnium Ecclesiarum enumerare successiones; » maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ à gloriosissi- » mis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatæ et consti- » tutæ Ecclesiæ ; » etc. — Deinde facit enumerationem Petri Successorum quorum primus fuit Linus, deinde Anacletus, postea Clemens, etc.

3° Tertullianus qui lib. *Scorpiaci* hæc habet : « Orientem » fidem primus Nero cruentavit : tunc Petrus ab altero » cingitur cùm cruci astringitur. »

4° Hegesippus qui secundo sæculo, in libro *De Excidio Jerosol.*, cap. 1, asserit « Petrum Romæ cruci adjudicatum » inversis vestigiis. »

5° Sic habet S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum : Simon Petrus, « post episcopatum Antio- » chensis Ecclesiæ... Romam pergit, ibique 25 annis » cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis; » quo anno, martyrio coronatus est. » Deinde, relatâ ipsius crucifixione capite inverso, subdit : « Sepultus Romæ, » juxta *Viam Triumphalem*, totius orbis veneratione coli- » tur. »

Vide etiam testimonium Eusebii in Chronicâ ad annum Christi 44.

Tali evidentiâ fulget nostra thesis ut nequidem Protestantes, saltem doctiores, eam in dubium vocaverint. Sic enim habet Pearsonius (dissert. 1, *de Success. primorum Romæ Episcop.*, cap. 6 et 7.) : « Nunquam non habitum pro certo » Romanam Sedem a Petro institutam et Romanos Ponti- » fices Petri successores esse. Ita ut de Petri in Urbem ad- » ventu et obitu, ambigi non possit, quin omnia humanæ » fidei et auctoritatis fundamenta convellantur. » V. Card. Soglia, *Inst. jur. publ.*, § 14.

Quidam tamen inter Protestantes audent negare Petrum Romam venisse : alii illum Romam venisse concedunt, sed negant Episcopum fuisse Romanum; alii tandem dicunt quòd non rexerit Sedem Romanam usque ad suum obitum. Vide Billuart, ut supra.

679. Quærit. 3° Utrum omnia quæ fiunt à Romano Pontifice, tanquam a Capite fiant?

Respondeo negativè cum Benedicto XIV qui (*Tract. de Syn. diœces.*, lib. 2, cap. 1) ait : « Non inde tamen quòd » Romanus Pontifex insitam sibi habeat dignitatem et » prærogativam Supremi Capitis totius Ecclesiæ, conse- » quitur omnia quæ ab eo fiunt, fieri tanquam ab Eccle- » siæ Capite, siquidem aliquando operari potest... non » tanquam Christi Vicarius, sed tanquam Patriarcha Occi- » dentis, illa duntaxat jura exercendo, quæ cæteris Pa- » triarchis competunt; aliquando solùm gerit personam » vel Primatis Italiæ, vel Metropolitæ Romanæ Provinciæ; » quandoque se tantùm exhibet Episcopum urbis Romæ... » Aliquando demùm suam supremam explicat Dignita- » tem... ut Christi in terris Vicarius. »

Porrò « Episcopalis fortè non ultra centesimum ab Urbe lapidem in ambitu porrecta est : Archiepiscopalis suburbicarias decem provincias complectitur; Patriarchalis per Occidentem latè diffunditur; suprema denique Dignitas universo Christiano orbi præsidet. » V. Piacewitch, *De Primatu Romanæ Ecclesiæ* (*Cursus complet. theol.*, D. Migne, t. 5, col. 793). — Devoti, lib. 1, tit. 3, § 21, not. 1; — Bened. XIV, lib. 2, cap. 2, *De Syn. diœces.*

680. Quærit. 4° Utrum jurisdictio S. Pontificis in universalem Ecclesiam sit mediata vel immediata?

Resp. quosdam non agnoscere in S. Pontifice nisi potestatem mediatam in fideles aliis Episcopis subditos. Ita Febronius (*Antifebronius vindicatus*, diss. 4, cap. 4, n° 1), et multi Gallicani. Vide Lequeux, n^is 65 et 172. Sic autem loquitur Bailly, *Tract. de Pœnitentiâ* (resp. ad 2^am object., proposit. 2, art. 2, *de præcepto confessionis*) : « Non potest » ordinariè S. Pontifex, *invitis Episcopis*, consueta Epis- » coporum munera in eorum diœcesibus exercere, nec

» ministros ordinare, nec sacerdotes ad confessiones exci» piendas approbare, *quia non est pastor in alienis diœce» sibus immediatus* » (cui dictum fuit à Christo : *pasce agnos meos, pasce oves meas*, non est pastor immediatus juxta Bailly !), « sed tantùm mediatam in iis habet jurisdictio» nem. »

Sed hos omnes errare certum est : etenim per jurisdictionem *mediatam* intelligunt eam quam superior nequit exercere in subditos nisi certis casibus specialibus quos leges ecclesiasticæ determinant; et per *immediatam* intelligunt eam quam superior generaliter et independenter à casu necessitatis potest per se vel per suos delegatos exercere in subditos; porrò non prioris generis, sed posterioris est jurisdictio S. Pontificis in omnes fideles. De fide est.

Probatur 1° Ex Scripturâ : « *Pasce oves meas, pasce agnos* » *meos* » (S. Joann., c. 21, v. 15), qui constituitur pastor sinè limitatione, non tantùm *mediatâ*, id est, exercendâ solùm in quibusdam casibus, sed immediatâ, id est, semper et independenter à casu necessitatis exercendâ in gregem suum donatus fuit, alioquin non posset suum munus pastoris semper adimplere; atqui verbis modò memoratis S. Pontifex in personâ Petri, sinè limitatione fuit constitutus Supremus Ecclesiæ pastor. Ergo, etc.

Probatur 2° Ex Traditione : S. Leo (serm. 3, *de suî Assumpt.*) sic habet : « De toto mundo unus Petrus eligitur, » qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apos» tolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut » quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique » pastores, omnes tamen *propriè* regat Petrus, quos princi» paliter regit et Christus. » Certè qui habet potestatem *propriè* regendi omnes etiam Apostolos et Patres Ecclesiæ, *immediatam* habet in eos jurisdictionem; atqui ex S. Leone, Petrus, ac proinde S. Pontifex, etc. Ergo, etc.

Concilium Lateranense IV sub Innocentio III dicit (cap. 5): « Romana Ecclesia, disponente Domino, *super omnes* » *alias ordinariæ potestatis obtinet principatum.* » Potestne ordinaria esse potestas sinè restrictione, quin simul immediata sit? Ergo iterum, etc.

Probatur 3° Ex Clero Gallicano : Anno 1683 Facultas theologiæ Parisiensis « Antiquæ suæ in Sedem Aposto-
» licam reverentiæ esse duxit hìc breviter præfari, diser-
» tèque repetere quod olim non semel professa est, Roma-
» num Episcopum esse jure divino Summum in Ecclesiâ
» Pontificem, *cui omnes Christiani parere tenentur*, et qui
» *immediatè à Christo*, non honoris tantùm, sed potestatis
» et jurisdictionis Primatum habeat in totâ Ecclesiâ.» Ergo falsa est opinio eorum qui somniârunt S. Pontificem nihil posse in Ecclesiâ nisi defectu aliorum pastorum. Ergo, etc.

Jam anno 1252 eadem Parisiensis Facultas celebre ediderat decretum sic conceptum : « Consulti sumus utrum,
» *sacerdote parochiali contradicente aut invito*, parochiani
» ejusdem, Papæ vel Pœnitentiariis ejus, vel suo Episcopo
» et Pœnitentiariis ejus peccata sua *universaliter* valeant
» confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis
» excipere. Dicimus *unanimiter consentientes* prædicta
» licitè fieri posse et debere. » Vide Lequeux, n° 266.

Unde meritò Concilium Vaticanum sequentem protulit definitionem : « Si quis... dixerit Romanum Pontificem...
» habere tantum potiores partes non verò totam pleni-
» tudinem... supremæ potestatis; aut hanc ejus potesta-
» tem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes
» ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores
» et fideles; anathema sit. » (Sess. IV, cap. 3.) Ergo de fide est Papæ jurisdictionem esse immediatam in omnem Eccles.

681. Quærit. 5° Utrum S. Pontifex possit abdicare?

Resp. Affirmativè, ex cap. *Quoniam* 1, *de renuntiat.* in 6°. Ipsius autem renuntiatio fieri debet apud Collegium Cardinalium, cùm ad ipsum duntaxat spectet Papæ successoris electio. V. Ferraris, v° *Papa*, art. 2, n° 36, et supra dicta (507).

682. Quærit. 6° Utrum Papa in hæresim lapsus, ipso jure, à Pontificatu decidat?

Resp. cum R. de M. (in suis *Inst. jur. canon.*, t. 1, p. 265) : « Duæ sunt opiniones, ait Azor... quarum una
» affirmat esse quidem jure divino privatum pontificatu,
» sed Ecclesiæ sententiâ postea declarandum ob crimen

» hæresis a Pontificiâ dignitate cecidisse; hanc sententiam
» tuentur Paludanus, etc... Hæreticus est extra Ecclesiam
» ac proinde Ecclesiæ membrum non habetur : quomodo
» igitur caput Ecclesiæ potest esse qui membrum Ecclesiæ
» non est?... Idem videtur deduci ex cap. *Quòd autem;*
» cap. *Acacius;* cap. *Audivimus*, caus. 24, q. 1, etc.

» Secunda opinio negat generatim Papam factum hære-
» ticum esse jure divino suâ potestate... amotum, sed amo-
» vendum : quæ sententia est Cajetani, etc.... Non enim
» cæteri Episcopi statim ac sunt hæretici, ipso jure...
» dejecti censentur. Donec... saltem eorum crimen decla-
» ratur, interim... valent quæ agunt... A Concilio Generali
» amovendus esset Papa si in hæresim laberetur. » Vide
insuper infra dicenda (6123).

De casu electionis simoniacæ S. Pontificis, vide dicenda
infra (6193).

ART. II.

DE JURIBUS PRIMATUI S. PONTIFICIS ADNEXIS.

§ I.

De Juribus in spiritualia.

683. Omnia jura Primatui S. Pontificatûs adnexa ab illo imprimis principio dimanant quòd S. Pontifex sit totius communionis catholicæ centrum necessarium. Hoc ergo fundamentale punctum ante omnia est hîc probandum : sit igitur.

684. *Propositio* : — Romanus Pontifex totius communionis catholicæ centrum est necessarium. Propositio est de fide (Concil. Vatic. cap. III et IV).

Per centrum communionis catholicæ intelligitur, et unicè intelligi potest persona quâcum omnes Ecclesiæ particulares et singula Ecclesiæ membra communicare et unitatem, in iis quæ ad fidem et religionem pertinent, servare debent. Porrò hæc communio cum Romano Pontifice omnino requiritur. Ergo, etc.

Minor probatur 1° Ex scripturâ : ex textibus nempe supra relatis (675) : *Tu es Petrus*, etc., *Pasce agnos meos*, etc., omnes enim partes ædificii socialis communicare debent cum ipsius fundamento, omnesque oves directionem Supremi Pastoris in omnibus sequi tenentur. Ergo, etc.

Probat. 2° Ex SS. Patribus : sic habet S. Irenæus, lib. 3, contra hæreses : « Ad hanc Ecclesiam propter potiorem » principalitatem, *necesse est* omnem convenire Ecclesiam, » hoc est eos qui sunt undique fideles. » Ergo, etc.

S. Hieronymus, epist. 14 ad Damasum : « Ego... Beati» tudini Tuæ, id est, Cathedræ Petri communioni consocior : » super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicum» que *extra* hanc domum agnum comederit, profanus » est. *Quicumque tecum non colligit*, *spargit*. » Ergo, etc.

Probat. 3° Ex professione fidei quam præscripsit Bonifacius in epistolâ ad Eulalium Carthaginensem Episcopum, cui subscribere debuit Joannes Constantinopolitanus Episcopus post defectionem Acacii, ut Ecclesiæ Romanæ reconciliaretur; quam Hormisdas Papa ad Episcopos Hispaniæ misit ut secundùm illam schismatici ad unitatem reintegrarentur; quam Adrianus Papa dedit ad Synodum octavam generalem, et quam tandem nemo respuere debet juxta Bossuet (*Def. Declar.*, lib. 10, cap. 7), qui dicit eam à totâ Ecclesiâ Catholicâ comprobatam (*ibid.*) : hæc est autem illa professio : « Prima salus est rectæ fidei regulam » custodire, et à constitutis Patrum nullatenus deviare. Et » quia non potest D. N. Jesu Christi prætermitti sententia » dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo* » *Ecclesiam meam :* et hæc, quæ dicta sunt, rerum pro» bantur effectibus, quia in Sede Apostolicâ extra macu» lam semper est catholica servata religio ; *anathematiza*» *mus omnes qui contra Sanctam Romanam et Apostolicam* » *Ecclesiam suas erigunt cervices ; sequentes in omnibus* » *Apostolicam Sedem, in quâ est integra et vera christianæ* » *religionis et perfecta soliditas ;* profitemurque seques» tratos a communione Ecclesiæ Catholicæ, *id est non* » *consentientes Sedi Apostolicæ*, eorum nomina inter sacra » recitanda non esse mysteria, qui videlicet sanctæ Ro-

» manæ et Apostolicæ Ecclesiæ privilegia cassare nituntur. » (*Cursus complet. Theologiæ*, t. 1, col. 431.)

Huic doctrinæ adhæsit ipsemet Clerus Gallicanus in comitiis anni 1681 : « Le Pape est le chef de l'Église, *le » centre de l'unité*, et il a sur nous une autorité de pri» mauté et de juridiction que J.-C. lui a donnée dans la » personne de Pierre. Si on ne convenait pas de ces vérités, » on serait schismatique, je puis même dire hérétique. » (*Procès-verbaux du clergé*, t. 5, p. 355.)

Ex hâc propositione et ex dictis præcedentis articuli multa deducuntur :

685. *Corollarium I.* — Vera Christi Ecclesia, meritò *Romana* est nuncupanda, quippe *omnes fideles ad Romanam Ecclesiam convenire debent.*

686. *Corollarium II.*—Non collectio Pontificum Romanorum duntaxat ut indefectibilis est habenda, prout vult Bossuetius, sed unusquisque Romanus Pontifex est verè infallibilis quoties *ex Cathedrâ* docet, id est, quando tanquam Caput Ecclesiæ ex supremâ ipsius potestate loquitur [1]. De fide est, ex Vaticano.

Etenim ex propositione præcedenti à Gallicanis ipsis admissâ, de fide est Romanum Pontificem esse centrum necessarium totius communionis catholicæ, id est, cum ipso necessariò servanda est unitas præsertim in fide. Sed absurdum esset necessariò unitatem esse servandam cum eo qui in errorem labi posset; quippe exinde sequeretur necessariò debere nos posse aliquandò in errorem induci; ergo in errorem labi non potest Romanus Pontifex prout est caput Ecclesiæ et suâ supremâ potestate utitur; ergo saltem sub eo respectu est infallibilis.

Et verò si in errorem labi posset Romanus Pontifex, ergo ab aliquo ad gremium veritatis reducendus esset : proinde non Romanus Pontifex esset centrum unitatis necessarium, sed ille vel illi duntaxat à quo vel à quibus

[1] Quando verò loquitur ut Doctor privatus, communiùs tenetur illum posse errare : quamvis etiam tunc quidam illum habeant ut infallibilem. V. Ferraris, v° *Papa*, art. 2. n° 62.

Pontifex reduci deberet ad rectæ fidei tramites; sed non aliud admittitur centrum communionis catholicæ in Ecclesiâ præter Romanum Pontificem. Ergo, etc.

Unde meritò infallibilitatem S. Pontificis ex cathedra docentis sic definivit Conc. Vaticanum: «Itaque nos traditioni à
» fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad
» Dei Salvatoris Nostri gloriam, religionis christianæ exal-
» tationem, et populorum christianorum salutem, sacro
» approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dog-
» ma esse definimus Romanum Pontificem, cum ex cathe-
» drâ loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris
» et Doctoris munere fungens, pro supremâ suâ apostolicâ
» auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universâ Ec-
» clesiâ tenendam definit, per assistentiam divinam, Ipsi in
» B. Petro promissam, eâ infallibilitate pollere, quâ divinus
» Redemptor Ecclesiam suam in definiendâ doctrinâ de fide
» vel moribus instructam esse voluit; ideòque ejusmodi Ro-
» mani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu
» Ecclesiæ, irreformabiles esse. — Si quis autem huic Nos-
» træ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præ-
» sumpserit, anathema sit. » (Sess. IV, c. 4.)

687. **Quærit.** In quibusnam **infallibilis** sit Pontifex docens *ex Cathedrâ?*

Respondeo eum esse infallibilem 1° et præcipuè, circa doctrinam fidei et regulas morum; ratio patet: nam circa hæc duo præsertim Papa est centrum unitatis, fundamentum Ecclesiæ et Supremus Pastor, cui commissa est plena potestas pascendi, docendi et regendi universalem Ecclesiam.

Discimus insuper ex cap. 22, v. 41 S. Lucæ, quòd Christus pro Petro *rogavit ut non deficeret fides ipsius* quominus fratres suos valeret confirmare, quod etiam Successoribus ejusdem est applicandum. Ergo, etc.

Videri potest apud Theologos dogmaticos (*Tract. de Ecclesiâ*) quomodo sint solvendæ variæ objectiones contra inerrantiam S. Pontificis, quæ desumuntur sive ex putato lapsu Liberii, sive ex agendi ratione Honorii in Monothelismi negotio, sive aliunde.

2° Infallibilis est Papa in Canonizatione Sanctorum et pprobatione Ordinum religiosorum : hæc enim duo ad S. Pontificem specialiter pertinent. Porrò infallibilis est Ecclesia in Sanctis canonizandis et Religionibus approbandis, ut demonstratur in *Tractatu de Ecclesiâ*. Ergo et Papa est etiam in his duobus infallibilis. — Quoad facta dogmatica, vide Theologos.

688. *Corollarium III.* — Romanus Pontifex potest fidei decreta edere et condere leges quæ cunctos obligent christianos.

Hæc propositio manifestè fluit ex his duobus principiis : 1° quòd Papa habeat Primatum jurisdictionis in universalem Ecclesiam; 2° quòd sit centrum communionis catholicæ necessarium : huic conformis est praxis Ecclesiæ a suis primordiis usque ad diem hodiernam, ut constat perpetuâ omnium sæculorum traditione. Vide insuper dicta superiùs (28, 29, etc.).

689. *Corollarium IV.* — Romanus Pontifex jus habet ncilia etiam œcumenica convocandi, iis præsidendi, que confirmandi.

° *Jus convocandi :* Ad quem enim alium pertinere posset illud jus nisi ad eum qui Primatum jurisdictionis plenam et supremam auctoritatem habet in totâ Ecsiâ ?

2° *Jus iis præsidendi :* Eumdem enim Præsidem seu aput habere debet Ecclesia congregata ac Ecclesia dispersa, cùm eadem ejusdemque conditionis sit alterutra; alioquin congregata non perfectè repræsentaret dispersam. Ergo sicut Romanus Pontifex vi sui Primatûs præest Ecclesiæ dispersæ, prout tanquam de fide supra probavimus (675, etc.), sic Ecclesiæ congregatæ seu Concilio œcumenico præesse pariter debet.

3° *Jus ea confirmandi :* Quod tanquam certum de fide haberi debet, juxta Suarez (*de Fide*, part. 1, disp. 11, sect. 3, n° 11). — Vid. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 120.

Ratio est quia decreta Conciliorum generalium sunt actus totius corporis Ecclesiæ docentis, vel legem conden-

tis. Porrò minimè possent dici actus totius corporis Ecclesiæ docentis, etc, si Caput non assentiret, ea decreta approbando, etc. Ab hâc sententiâ non recedunt etiam Gallicani, juxta Bossuet (*Gallia orthodoxa*, nº 84): « Parisienses, inquit, ultra consentiunt ex antiquissimis regulis, Synodos generales absque Romano Pontifice nullas esse et irritas. » Unde nec Ariminense nec Basileense Concilia, saltem in maximâ suî parte, fuerunt œcumenica.

690. *Corollarium V.*—Corpus Episcoporum quatenus a Papâ sejunctum, non habet supremam in Ecclesiâ potestatem : — Nam « Fidei dogma est, Episcoporum auctoritatem et jurisdictionem subjectam esse S. Pontificis auctoritati, ut subesse debeant Sedis Apostolicæ statutis. » Ita Pius VI ad Archiepiscopum Coloniensem. Vide id multis argumentis probatum, apud D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 114, etc.

691. Quærit. Utrum Summus Pontifex sit supra Concilium generale, an verò Concilium generale supra S. Pontificem ?

Quæstio hæc, tanto æstu agitata Gallicanos inter et cæteros theologos, vix concipi potest nisi agatur de casu Pontificis dubii vel notoriè hæretici (pro quo, si lubet, consule *Instit. juris canon.*, R. de M., p. 265, etc); etenim vel Concilium generale intelligitur hìc quatenus est verè œcumenicum, id est, convocatum, celebratum et confirmatum à S. Pontifice, et tunc quærere utrum S. Pontifex sit supra aut infra Concilium, nihil aliud est quàm quærere utrum Papa sit supra vel infra seipsum, quod est prorsus absonum ac absurdum. Vel hìc consideratur Concilium generale, quatenus Episcopi seu membra dissentiunt à S. Pontifice seu à Capite; et tunc quomodo dici posset membra seu Episcopos esse supra caput? Numquid id potest contingere in corpore benè composito? Et si id contingere queat, exinde sequetur quòd Ecclesia congregata non idem habebit caput ac Ecclesia dispersa, et proinde non eadem Ecclesia erit; quomodo adhuc *una* vocari poterit Ecclesia? Quomodo Papa erit Ecclesiæ centrum necessarium?—Ad hæc certè non videntur posse afferri respon-

siones congruentes. Unde nullo modo dici potest Concilium generale esse supra Papam; sed Papa est supra Concilium in eo sensu quòd in Concilio generali sit Caput, prout est Caput pariter in Ecclesiâ dispersâ. Et ita fuit declaratum in Concilio Lateranensi V, sess. 11, in quâ decretum Concilii Basileensis fuit reprobatum, et solemniter recepta fuit constitutio Leonis X *Pastor æternus*, quæ hæc habet: « *Solum Romanum Pontificem tanquam super omni Concilio* » *auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum,* » *transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potes-* » *tatem habere*, nedum ex S. Scripturâ tantummodo, » dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, » sed propriâ eorumdem Conciliorum confessione, mani- » festè constat. » Vide ap. S. Liguor., *De Romano Pontifice*, nº 124. Hoc pariter definitum fuit à Vaticano, sess. IV, c. 3.

Reverà Concilium Constantiense, sess. 4, definivit suis decretis obedientiam deberi à quocumque, etiamsi fuerit *Dignitatis Papalis;* et Clerus Gallicanus, in suo cœtu anni 1682, declaravit non approbare eos qui ad tempus schismatis, in casu Pontificis dubiæ auctoritatis, Constantiense Decretum restringunt (art. 2); sed hæc declaratio Cleri Gallicani solemniter fuit improbata à Sanctâ Sede, simul ac *quatuor in eâ contentæ propositiones : nulla, irrita, viribusque et effectu penitus et omninò vacua, declarata* per Bullam *Inter multiplices* Alexandri VIII, anno 1690. Unde dici potest, imò et debet Concilium Constantiense intelligendum esse duntaxat de casu Pontificis dubiæ auctoritatis [1], qualis exstitit tempore *Magni Schismatis*, cui finem imposuit dictum Constantiense Concilium. Si enim non sic intelligatur hoc Concilium et velut œcumenicum habeatur in præfatâ 4 sessione, ut prætendit declaratio 1682 (art. 2), concludi debebit non tantùm Romanos Pontifices, sed totam Ecclesiam, Gallicanis exceptis, aliter sentire ac Concilium œcumenicum; proinde Romanum Pontificem errare cum majori parte Ecclesiæ, quod nunquam posse contingere conce-

[1] Attamen non omninò constat quòd in casu Papæ dubii ad corpus Episcoporum pertineat illum deponere aliumque eligere. Vide Bo' *De Episcopo*, t. 1, p. 123.

dunt tamen ipsimet Gallicani, alioquin portæ inferi adversùs Ecclesiam essent prævaliturae, contra divinam promissionem.

692. *Corollarium VI.* — Romanus Pontifex potest dispensare in omnibus etiam Conciliorum generalium legibus. — Hoc evidenter sequitur ex plenâ ipsius potestate gubernandi universalem Ecclesiam, ipsiusque superioritate supra ipsa Concilia œcumenica. Hanc generalem dispensandi facultatem in SS. Pontificibus agnoscunt ipsimet Gallicani, ut videre est ap. Bossuet (*Def. Declar.* part. 3, l. 11, cap. 16) : dicunt tamen ad id requiri justam causam, alioquin non tantùm illicita esset dispensatio, sed etiam, juxta ipsos, invalida (Lequeux, n° 17); sed addunt cum Bossuetio (*Ibid.*, c. 22) : «Papam nihil non posse cùm necessitas id » postulàrit. »

693. Quærit. An Papa possit dispensare in rebus juris divini?

Respondet S. Liguor. (lib. 6, n° 1119) : « In iis in qui» bus jus divinum ortum habet a voluntate humanâ, prout » in votis et juramentis, certum est apud omnes Papam » habere facultatem dispensandi. Tunc enim, licet ipse » non auferat jus divinum, aufert tamen fundamentum » obligationis quam homo sibi imposuit actu humano : quo » sublato, cessat juris divini obligatio...

» Majus dubium est an Papa possit dispensare in jure » divino quod ex solo divino arbitrio derivat. — Triplex » est sententia : *Prima* affirmat.... Sanchez meritò eam » rejicit. *Secunda*, quam tenent Sanchez, etc., dicit Papam » non posse dispensare in universum jus divinum, sed » tantùm in aliquo casu particulari, in quo non expediat » observantia præcepti. » (Juxta ipsos Papa non potest dispensare in præcepto fornicationis, in materiâ et formâ sacramentorum, et similibus, quia in his transgressionibus est omnimoda indecentia, cuicumque causæ præponderans; potest autem dispensare in residentiâ Episcoporum, in matrimonio rato, etc.) « *Tertia* demum » sententia communiùs et probabiliùs dicit nunquam » posse Papam dispensare in iis quæ sunt *de absoluto jure*

» *divino*; hanc tenent Pontius.... Suarez... Sylvius ex » D. Thomâ.... » Quia requireretur specialis commissio a Deo quæ non habetur ex verbis *Quodcumque solveris*, etc., quæ sunt generalia et non specialia. « Tanto magis » quòd hujusmodi dispensationes in jure divino essent » nocivæ unitati et stabilitati Ecclesiæ. Valde autem pro- » babiliter dicunt Suarez... et alii plures... posse Pontificem, » in aliquo casu particulari, non dispensare, sed declarare » quòd jus divinum non obliget, quia hæc potestas fuit » necessaria propter humanarum rerum varietatem, aliàs » Deus bono regimini Ecclesiæ non satis providisset. » Vide etiam Reiffenst., part. 2, lib. 1, t. 2, n[is] 455-457.

694. *Corollarium VII.* — Potest Romanus Pontifex omnes suscipere appellationes, nec ab ipso potest, ut jam diximus (658), appellari ad Concilium œcumenicum, ad ipsumque reservantur omnes causæ quæ vocantur *majores*: totidem sunt hæc consectaria quæ fluunt ex ipsius Primatu.

De *causis majoribus* fit mentio in Concordato Leonis X, cap. 10, *de Causis*. Eas esse Sedi Apostolicæ reservandas confitentur ipsimet Præsules Galliæ in suâ ad Innocentium X epistolâ: « *Majores causas*, inquiunt, ad Sedem » Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est. »

Quænam sint præcisè hujusmodi causæ? Non una est DD. sententia; ut tales autem haberi debent: *quæstiones* fidem seu dogma respicientes; Sanctorum beatificatio, et à fortiori Canonizatio; approbatio Religionum; creatio Episcopatuum; delimitatio, dismembratio et unio diœcesium; institutio, translatio et depositio Episcoporum; judicium de validitate et dissolutione fœderis conjugalis, quando agitur de Principibus sublimioribus; hocque etiam in Galliâ olim admittebatur: « L'Eglise Gallicane (inquit Fevretus, » *De l'Abus*, lib. 5, c. 5) a toujours gardé cet usage, de » traiter les causes de mariage par devant des juges *com-* » *mis par Sa Sainteté*, *in partibus*, s'il s'agissait du ma- » riage des grands. » Hoc fuit observatum in causâ dissolutionis matrimonii Ludovici XII cum Joannâ Franciæ. Item in causâ dissolutionis matrimonii Henri IV cum Margaritâ Valesiâ. Optandum autem fuisset hoc fuisse etiam observa-

tum in causâ dissolutionis matrimonii Napoleonis I cum Josephinâ Tascher, anno 1810.

Circa *causas majores* vide Card. Gousset in opere *Exposition des principes*, etc., n[is] 290, 291, Glossam super caput *Sicut unire*, *de excess. Prælatorum.*

Coram quonam judice causæ Episcoporum personales sint primò vel in instantiâ deferendæ, dictum fuit supra (540-550).

695. *Scholium.*—Duplex distinguitur potestas in S. Pontifice: *Ordinaria* nempe et *extraordinaria* : « Quando Papa » in procedendo sese accommodat dictis Prædecessorum » suorum vel generalium Conciliorum decretis, quæ certum » ei agendi modum indigitant, dicitur procedere *de jure* » *ordinario*. Quandò verò præscriptiones illas non servat, » dicitur *de jure extraordinario* procedere. » Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 325.

Non autem censetur Papa voluisse *de jure extraordinario* procedere nisi id constiterit : non enim sic agere solet quin suam mentem declaret : unde rescripta in quibus aliquid juri communi invenitur contrarium sinè clausulis indicantibus tunc ipsum agere ex *plenitudine suæ potestatis, vel non obstantibus contrariis Prædecessoreum nostrorum decretis*, aut similibus, meritò tanquam *subreptitia* vel *obreptitia* habenda sunt (Bouix, *ib.*, p. 326).

Non tamen Papa censetur agere ex *potestate extraordinariâ* quando derogat Concilio Tridentino, cùm ipsimet Tridentini Patres sua condendo decreta voluerunt ut *in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur*. Sess. 25, c. 21.

§ II.

De juribus S. Pontificis in temporalia.

696. Circa potestatem S. Pontificis erga temporalia quatuor prodierunt opiniones, inquit D. Bouv. (*Tract. de Ecclesiâ*, part. 3, c. 1, art. 4, § 2, sect. 1, edit. 1834).

« *Prima* tenet S. Pontificem ut talem jure divino plenis-

» simam habere potestatem in universum orbem terrarum, » tum in ecclesiasticis tum in politicis, ita ut dominium » temporale ab uno principe ad alterum pro arbitrio trans- » ferre possit.

» *Secunda* docet... 1° Pontificem Romanum ut Pontificem » nullam habere potestatem temporalem, et nullo modo » principibus sæcularibus imperare posse... 2° Nec Ponti- » ficem Romanum nec alios Episcopos accipere potuisse » dominium in provincias, aut in urbes, quocunque titulo » eas obtinuerint; quia, aiunt... jus divinum prohibet ne » gladius spiritualis et gladius temporalis simul in eodem » uniantur. Ita post Wiclefistas et Hussistas Calvinistæ » aliique hæretici.

» *Tertia* sententia eorum est qui affirmant Pontificem » Romanum nullam jure divino habere potestatem tempo- » ralem directam et immediatam, sed tantùm spiritualem: » at simul contendunt eum, ratione spiritualis potestatis, » indirectam habere potestatem et quidem summam in » temporalia omnium principum christianorum et » omnium fidelium: sicque Pontifex de hujusmodi bonis... » disponere potest quando bonum Reipublicæ spiritualis » sibi commissæ id postulare videtur. Ita... Bellarminus » cum aliis pluribus theologis...

» *Quarta* sententia... tenet Pontificem Romanum nullam » jure divino habere potestatem directam nec indirectam » ad sensum Bellarmini, in temporalia regum aut aliorum » christianorum. Nihilominus patroni hujus sententiæ » volunt illum plenissimam habere potestatem spiritualem » in principes, sicut in simplices fideles, eos docere, » corripere et pœnis spiritualibus plectere posse, atque » dubia ad conscientiam illorum et subditorum attinentia » apostolicâ auctoritate solvere. » (Sic saltem Gallicani mo- deratissimi qui, sic tribuendo Papæ potestatem solvendi omnia dubia ad conscientiam pertinentia, necessariò ipsi tribuunt potestatem indirectam in temporale; nisi dicant temporalia nunquam spectare ad conscientiam, quod manifeste est falsum. Sunt autem alii Gallicani præser- tim Parlamentarii qui dictam potestatem solvendi omnia

dubia temporale respicientia non concedunt. Vide Bouix, *De Jure Liturgico*, p. 94, 97, 141, etc.). — « Prima sen-» tentia ab ipso Bellarmino solidissimis rationibus con-» futatur; secunda ab omnibus catholicis habetur non » tantùm ut falsa, sed etiam ut hæretica. » (Bouvier, *ibid.*) Tertia et quarta controvertuntur Gallicanos inter et cæteros theologos.

697. Ut meliùs tota controversia clarescat, dicendum est quid intelligi debeat per *temporale* et *spirituale*, et quid insuper per *potestatem directam* et *indirectam in temporalia.*

Porrò *temporale* est illud quod primariò et per se tendit ad salutem seu bonum corporis et pacem publicam, proinde id omne cujus finis proprius et immediatus est temporalis, qualia sunt bona terrena. *Spirituale* verò est quod primariò et per se conducere potest ad salutem animæ et bonum religionis, seu cujus finis proprius et immediatus est spiritualis, ut sunt preces, divina eloquia, sacramenta, etc., etc.

Res autem temporales, non ita usibus vitæ præsentis limitantur, quin in multis casibus prodesse vel etiam nocere possint saluti animarum : unde sub hoc respectu, relationem videntur posse habere cum auctoritate spirituali, quæ, si reverà habeat in hujusmodi casibus potestatem in illas, potestas hæc non est directa sed indirecta, quia non directè, ratione finis eorum proprii et ordinarii illas attingit, sed indirectè et ob finem extraneum qui in illis accidentaliter reperitur. Potestas ergo directa in temporale est illa quam quis in illud habet propter ipsius finem temporalem; dum indirecta est ea quam quis habet in temporale propter finem spiritualem qui in eo reperiri potest : seu est illa quæ non attingit temporalia, nisi in quantum necesse est ut finis alterius ordinis, quem sibi proponit et necessariò debet assequi, reverà obtineatur, puta finis spiritualis. His expositis, stabilitur sequens :

698. *Propositio.*— Societas temporalis quamvis distincta à societate spirituali, non est ab eâ omninò independens; sed Ecclesia, proinde S. Pontifex, indirectam habet po-

testatem in temporalia. Est contra 1 articulum Declarationis Cleri Gallicani 1682. Vide supra (220).

Probatur 1ª pars, et quidem ratione et auctoritate. 1° *Ratione* : Vel societas temporalis non est à spirituali omninò independens, vel dicendum societatem spiritualem, Ecclesiam videlicet, subjici potestati sæculari, quod est hæreticum, cùm esset annihilare auctoritatem Ecclesiæ, quæ non aliud esse potest quàm suprema interpres legis divinæ, id est justi et injusti, et unica distributrix omnium bonorum spiritualium. Probo consequentiam : conflictus, ut experientiâ constat, exoriri possunt inter utramque potestatem spiritualem et temporalem, et tunc suos limites excedere unam aut alteram necesse est : porrò ad dirimendam litem, vel nullus judex à Deo est institutus, et in hâc hypothesi manifestè sequitur, non tantùm ex institutione divinâ adesse bellum irremediabile inter utramque potestatem, proinde discordiam potiùs quàm ordinem à Deo fuisse institutam, sed etiam Ecclesiam suæ potestatis posse ignorare limites, consequenter in dubium posse revocari, nullamque proinde auctoritatem habere, deponique absque usurpatione posse ac alteri subjici, quod certè dici nequit ; vel aliquis judex hujusmodi discriminum à Deo fuit constitutus ; et tunc, nisi adversarii concedant Ecclesiam esse hunc judicem, ipsius auctoritas prorsus denuò evertitur omninòque subjacet sæculari potestati : quippe principes sæculares, sua jura determinando, eo ipso Ecclesiæ juribus limites præscribunt ; præterea cùm nullus alius judex legitimus possit esse quàm auctoritas quæ jus habet judicandi de justo et injusto, Ecclesia non potest talem judicem extra se agnoscere, quin eo ipso profiteatur se illum non esse, nec proinde esse auctoritatem spiritualem, cùm judex justi et injusti sit necessariò auctoritas spiritualis, proinde quin seipsam occidat. Ergo dici nequit Ecclesiam non fuisse à Deo institutam judicem conflictuum qui inter potestatem sæcularem et spiritualem oriri possunt. Ergo jure divino auctoritas temporalis non est omnino independens à societate spirituali. V. *Syllabi* p. 19, 20, 39, 42, 54.

Et verò societas temporalis haud dici potest omninò inde-

pendens a societate seu auctoritate spirituali, quin simul dicatur independens à lege divinâ in temporalibus, cùm omnis lex divina sit necessariò promulganda ab auctoritate spirituali quæ ad hoc fuit instituta. Porrò horrenda consectaria ex hoc principio dimanant : si enim sæcularis potestas sit independens à lege divinâ, tunc nefanda quæque perpetrari et imperari poterunt. Sic justificatur Henricus VIII auctor lugendi schismatis Angliæ sæculo XVI, et simul cum eo omnes tyranni et persecutores Ecclesiæ justificantur. Sic pariter justificantur Minister Juriæus et J.-J. Rousseau dicentes : « Le souverain n'a pas besoin de rai- » son pour valider ses actes. »

Exinde insuper concludi potest nullam esse auctoritatem temporalem : nulla enim est potestas, quæ à Deo non procedit; sed potestas quæ à lege divinâ est independens, à Deo procedere nequit. Ergo nulla est, et erga illam subjectio est erga purum hominem subjectio, ac proinde nihil aliud quàm turpis servitus. Ergo ratione constat societatem temporalem non esse jure divino omninò independentem à societate spirituali.

Nec objiciatur esse duplicem potestatem distinctam, temporalem nempe et spiritualem; atqui non essent duæ distinctæ, sed una duntaxat potestas, si una alteri esset subjecta. Ergo, etc.—Nam respondetur quòd sint duæ potestates distinctæ quoad *proprietatem*, etsi non sint duæ quoad respectivam *subordinationem* : in exemplum invocari potest potestas paterna, quæ patri competit in filios et progubernatione familiæ. Hæc potestas non venit à rege, sed à Deo per legem naturalem et divinam, unde à potestate regiâ distinguitur; attamen subordinatur Regi in quantum postulat bonum societatis, et sub hoc respectu seu quoad hujusmodi subordinationem non distinguitur (Bouix, *De Jur. Liturg.*, p. 132).

Probat. 2° *Auctoritate*: In Bullâ *Unam sanctam*, Bonifacius VIII, postquam dixerit : « Uterque (gladius).. est in » potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet et materialis ; » sed is quidem pro Ecclesiâ, ille vero ab Ecclesiâ exer- » cendus; ille sacerdoti, sis manu regum et militum, sed

» ad nutum et patientiam sacerdotis; » adjicit : « Oportet » autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctori- » tatem spirituali subjici auctoritati, » alioquin potestates, inquit Pontifex, non essent à Deo benè ordinatæ; unde « Si » deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali; » sed si deviat spiritualis... suprema... à solo Deo... poterit » judicari, testante Apostolo : *spiritualis homo judicat » omnia, ipse autem à nemine judicatur.* » In fine addit : « Quicumque igitur huic potestati à Deo sic ordi- » natæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Ma- » nichæus) fingat esse principia : quod falsum et hæreticum » judicamus... Porrò subesse Romano Pontifici, omni » humanæ creaturæ (seu : *omnem humanam creaturam*) » declaramus, definimus... omnino esse de necessitate » salutis. »

Hæc Bulla non fuit revocata à Clemente V, sed de eâ duntaxat dictum fuit in Decretali *Meruit*, *de Privileg.* : « Nullum volumus vel intendimus præjudicium generari » (regi et regno)... sed omnia intelligantur in eodem esse » statu quo erant ante definitionem prædictam. » Id est regem Franciæ et regnicolas non magis subjici Ecclesiæ Romanæ quàm priùs erant.

Bulla autem *Unam sanctam* inserta fuit corpori juris lib. 1, *de major. et obedient.*, Extrav. comm. Anno 1615 conati sunt Protestantes obtinere à Comitiis generalibus Galliæ declarationem quâ admitteretur tanquam lex fundamentalis regni, quòd potestas sæcularis esset à spirituali omnino independens; sed Card. Du Perron : « Au nom de » tout le corps de l'ordre ecclésiastique et de celui de la » noblesse (*Œuvres de Du Perron*, p. 601) établit que » la doctrine contraire, *admise par toutes les autres » parties de l'Eglise Catholique, voire même de l'Eglise » Gallicane, depuis que les écoles de théologie y ont été ins- » tituées jusqu'à la venue de Calvin* (*ib.*, 593), reposait sur » une tradition constante et universelle, de sorte que, de- » puis onze cents ans, disait-il, il n'y a eu siècle au- » quel, en diverses nations, cette doctrine n'ait été crue et » pratiquée (*ib.*, p. 602)... Puis il montre que la doctrine

» qu'on s'efforce de renverser est celle de tous les docteurs, » de tous les théologiens sans exception ; et que, de plus, » *elle a été constamment tenue en France, où nos rois, et par-* » *ticulièrement ceux de la dernière race, l'ont protégée par leur* » *autorité et par leurs armes*, où nos conciles l'ont appuyée et » maintenue, où tous nos Évêques et docteurs scolastiques... » l'ont écrite, prêchée et enseignée, et où finalement tous » nos magistrats, officiers et jurisconsultes l'ont suivie et fa- » vorisée. » (*Ib.*, p. 602.) Vide de Lamennais, *Progrès de la Révol.* (p. 238). Ergo auctoritate constat societatem temporalem non esse à spirituali omninò independentem. *V.* insuper *Syllabum*, n[is] 19, 20, 23, 24, 31, 39, 41, 42, 54.

699. Probatur 2ª pars, scilicet *Ecclesiam, proinde S. Pontificem habere saltem indirectam potestatem in temporalia.* Id sequitur ex veritate primæ partis propositionis; si enim potestas temporalis non est omninò independens à societate spirituali seu ab Ecclesiâ, subest igitur Ecclesiæ saltem indirectè; proinde Ecclesia in eam habet potestatem in quantùm necesse est ut attingat finem suum spiritualem.

Prætcrea, Ecclesiæ omne illud est tribuendum quod ei est necessarium vel utile ad obtinendum finem suum, nempe salutem animarum et bonum religionis : atqui ad hunc finem assequendum sæpe est necessarium aut utilissimum quòd potestatem exerceat in temporalia : sic pro bono animarum utile fuit quòd statuerentur impedimenta matrimonium dirimentia, non solùm quatenus est sacramentum, sed etiam quatenus est contractus naturalis ac proinde civilis et temporalis ; et de fide est, juxta Concil. Triden. (sess. 24, c. 4), quòd Ecclesia habeat hanc potestatem. Sic Ecclesia potest præscribere cessationem ab operibus servilibus, diebus dominicis et festis : item abstinentiam à carnibus certis diebus, imò et jejunia ; sic sub censuris aliisque pœnis cogit aliquando ad restituendum bonum alienum ; sic a confessario præscribi potest pœnitenti, ut etiam desinat exercere artem vel officium quod ipsi vel aliis esset occasio proxima peccandi, quamvis in se non esset fortè illicitum ; sic per excommunicationem publicè denuntiatam vetatur fidelibus communicatio in multis, etiam

temporalibus, etc. Millies Ecclesia exercuit hujusmodi potestatem in temporalia, ut ex historiâ ecclesiasticâ compertum est: sufficiat ex innumeris testimoniis quæ proferri possent, duo maximi ponderis monumenta hîc exponere :

1° In Concilio Lateranensi IV, quod inter œcumenica recensetur, Innocentius III Raymundum Tolosanum Comitem, hæreticorum fautorem obstinatum deposuit; et id quidem, *sacro Concilio consulto, nec non et approbante, pro majore parte et saniore, sacrosancto Concilio.* 2° In Concilio Lugdunensi I œcumenico, Innocentius IV deposuit à regno Fridericum II Germanicum Imperatorem : « Nos itaque, inquit » Pontifex, cum fratribus nostris et sacro Concilio, deli» beratione præhabitâ diligenti... cùm J. C. vices immeriti » teneamus in terris, Nobisque in B. Petri Apostoli personâ » sit dictum : *quodcumque ligaveris super terram*, etc... me» moratum principem, qui sese imperio et regnis... red» didit tam indignum, quique propter suas impietates *à Deo » ne regnet vel imperet est abjectus,* suis ligatum peccatis et » abjectum, omnique honore, dignitate privatum à Domino » ostendimus, denuntiamus ac nihilominus sententiando » privamus : omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur » adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes. » « In hoc, inquit Fenelonius (*De S. Pontif.*, t. 2, p. 387), » Innocentius exercet potestatem à Christo datam : *quod» cumque ligaveris*, etc... asseverat id à se fieri *cum fratri» bus et Sacro Concilio deliberatione præhabitâ diligenti.* » Itaque deliberavit et annuit Concilium. Hoc asseverat » Pontifex, neque diffitetur Concilium. Ipsa sententia in » *Concilio* lata est; *sacro præsente Concilio* inscripta est; » neque reclamavit, imò sententia actis inserta est. » Ergo saltem indirectè Ecclesia, proinde S. Pontifex habet potestatem in temporalia.

700. Objici potest 1° Textus S. Lucæ (cap. 12, v. 14), ubi Christus juveni roganti ut imperaret fratri suo dividere secum hæreditatem, respondit : « Homo quis me constituit » judicem aut divisorem super vos? » — Sed explicationem hujus textûs et objectionis solutionem dabimus infra (5504).

2° Sæpe objicitur textus S. Joannis (cap. 18, v. 36)

Christus dicit: « Regnum meum non est de hoc mundo. » — Sed inquit S. Augustinus (*Tract.*, 115, in Joan., nº 2): « Hîc, » non ait Christus : *regnum meum non est in hoc mundo :* » sed *non est de hoc mundo;* non ait: *nunc regnum meum non* » *est hic,* sed : *regnum meum non est hinc.* » V. Devoti, lib. 3, tit. 1, § 8, in notâ. Si ergo regnum Christi sit in hoc mundo, quamvis de hoc mundo non sit, potest in multis egere etiam bonis hujusce mundi, ac proinde in ea potestatem habere.

3° Objici adhuc potest quòd, anno 1789, ex votis celeberrimi Pitt, sex præcipuarum Universitatum, Parisiensis videlicet, Duacensis, Lovaniensis, Complutensis, Salmanticensis et Vallisolitensis consultæ circa potestatem ecclesiasticam in temporalia Regis Angliæ, omnes unanimiter responderunt neque Papam, neque Cardinales, neque Concilium generale habere potestatem eum deponendi et subditos ejus a juramento fidelitatis absolvendi.

Respondetur has Universitates voluisse tantùm dicere Papam, Cardinales, etc., non habere præfatam auctoritatem pro suo arbitrio et directè, quasi hactenus, prout olim rex Angliæ fuisset vassallus seu cliens S. Sedis, minimè tamen asserentes eamdem ipsi non competere auctoritatem, si salus animarum et bonum religionis id requireret.

De libertatibus gallicanis vide Prolegomena (219-222).

DE PRINCIPATU TEMPORALI S. PONTIFICIS.

701. Præter Primatum jurisdictionis in universalem Ecclesiam, Romanus Pontifex, more principum sæcularium, potitur auctoritate temporali in aliquas Italiæ provincias, quas obtinuit sive principum munificentiâ, sive voluntariâ populorum submissione, sive aliis legitimis titulis : hic temporalis principatus, contra quem, nostro sæculo, tanta rabie debacchati sunt infensissimi hostes, quemque, post injustissimum bellum, everterunt et, ne resurgat, totis viribus conantur, Summis Pontificibus, sic disponente Providentiâ, advenit ne, si in ditione alicujus principis sæcularis manere coacti fuissent, reliqui principes et populi eisdem Pontificibus subesse atque

obtemperare vererentur, et sic orirentur dissensiones et schismata in Ecclesiâ : « Dieu, inquit Bossuetius (*Serm.* » *sur l'Unité*), qui voulait que cette Eglise (la Romaine), la » mère commune de tous les royaumes, dans la suite, ne » fût dépendante d'aucun royaume dans le temporel, et » que le siége, où tous les fidèles devaient garder l'unité, » à la fin fût mis au-dessus des partialités que les divers » intérêts et les jalousies d'État pourraient causer, jeta les » fondements de ce grand dessein... L'Église indépen- » dante dans son chef de toutes les puissances temporelles, » se voit en état d'exercer plus librement, pour le bien » commun, et sous la commune protection des rois chré- » tiens, cette puissance céleste de régir les âmes ; et, » tenant en main la balance droite... au milieu de tant d'em- » pires souvent ennemis, elle entretient l'unité dans tout » le corps, tantôt par d'inflexibles décrets, et tantôt par » de sages tempéraments. » Similia habet Fleury (*Hist. ecclés.*, t. 16, 4e discours, n° 10) : « Depuis que l'Europe » est divisée entre plusieurs princes indépendants les uns » des autres, si le Pape eût été le sujet de l'un d'eux, il » eût été à craindre que les autres n'eussent eu peine » à le reconnaître pour père commun, et que les schismes » n'eussent été fréquents : on peut donc croire que c'est » par un effet particulier de la Providence, que le Pape » s'est trouvé indépendant et maître d'un État assez puis- » sant pour n'être pas aisément opprimé par les autres » souverains, afin qu'il fût plus libre dans l'exercice de sa » puissance spirituelle, et qu'il pût contenir plus facile- » ment tous les autres Évêques dans leurs devoirs. » Ab ipsomet Napoleone I agnita fuit hæc veritas : « L'autorité » du Pape, disait Napoléon Ier (apud Chantrel, in opere » *Le Roi Pie IX*, p. 28 et 55), serait-elle aussi forte s'il » restait dans un pays qui ne lui appartînt pas, et en pré- » sence du pouvoir de l'État? — Le Pape n'est pas à Paris, » et c'est un bien. Nous vénérons son autorité spirituelle, » précisément parce qu'il n'est ni à Madrid, ni à Vienne » A Vienne et à Madrid, on dit la même chose ; c'est » bien pour tous qu'il ne réside ni auprès de nous, ni aup

» de nos rivaux, mais dans l'antique Rome, loin des
» mains des Empereurs Allemands, loin de celles des
» Rois de France et des Rois d'Espagne, tenant la balance
» égale parmi les souverains catholiques, s'inclinant un
» peu vers le plus fort, mais se relevant au-dessus de lui
» quand celui-ci devient oppresseur. *C'est là l'œuvre des*
» *siècles, et ils l'ont bien faite.* C'est l'institution la plus
» sage et la plus avantageuse qu'on puisse imaginer dans
» le gouvernement des âmes. »

Sed eò præcisè quòd tam salubris sit Ecclesiæ hic temporalis principatus, ideo impietas nihil non tentat quominus tandem illum funditùs evertat; jam à longo tempore de eo excindendo initum fuit consilium : sic enim ad Voltarium scribebat Fridericus II Borussiæ Rex : « On pensera à la
» conquête des États du Pape pour subvenir aux dépenses
» extraordinaires, et alors la scène est finie. Tous les po-
» tentats de l'Europe, refusant de reconnaître un Vicaire
» de J.-C. soumis à un autre souverain, se créeront un
» Patriarche, chacun dans ses propres États... Ainsi, peu à
» peu, chacun s'éloignera de l'unité de l'Eglise, et finira
» par avoir dans son royaume une religion comme une
» langue à part. » Tom. 9 *de sa correspondance*, p. 99. Vide apud eumdem Chantrel (ut supra).

Quid sit tenendum circa principatum temporalem Summi Pontificis colligi potest ex Encyclicà Pii IX, 19 januarii 1860, ubi sic universos Ecclesiæ Antistites congratulatur : « Ipsum
» principatum (temporalem S. Sedis) constanter tuentes,
» profiteri et docere gloriati estis eumdem, singulari divinæ
» illius omnia regentis ac moderantis Providentiæ consi-
» lio, datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili
» potestati unquam subjectus, supremum apostolici mi-
» nisterii munus sibi à Christo Domino divinitùs com-
» missum, plenissimâ libertate ac sinè ullo impedimento in
» universum orbem exerceat. » Addit deinde S. Pontifex :
« Nos, Deo auxiliante... nihil intentatum relinquere ut...
» civilem Romanæ Ecclesiæ principatum, ejusque tem-
» porales possessiones ac jura, quæ ad universum Ca-
» tholicum orbem pertinent, integra et inviolata tueamur

» et servemus...; ac divino illius auxilio freti... parati sumus
» illustria Prædecessorum nostrorum vestigia prosequi,
» exempla æmulare, et aspera quæque et acerba perpeti,
» *ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiæ ac*
» *justitiæ causam ullo modo deseramus.* » Hujusmodi professioni adhæsit universitas ac ferè unanimitas Episcoporum totius orbis christiani.

Jam priùs, scilicet 22 aug. 1851, damnata fuerat à Pio IX, doctrina Nuitz his contraria, quâ dixerat punctum esse controversum inter catholicos, an compossibilis sit potestas spiritualis cum temporali. Vide Guillois, tom. 1, pag, 411; et Card. Soglia, *Instit, jur. publici,* § 40, et pr. 75. 76 *Syllabi;* et innumeras Pii IX et Leonis XIII protestationes.

ART. III.

DE MINISTRIS S. PONTIFICIS

S. Pontifex varios habet ministros; sive intra suam Curiam, videlicet Cardinales, Congregationes et plura Tribunalia; sive extra Curiam, nempè Legatos, Nuntios, Commissarios, etc.

§ I.

De Cardinalibus.

702. Cardinales sunt quasi Ecclesiæ Romanæ Senatus: jus habent S. Pontificem eligendi, eumque præcipuè adjuvant in gubernatione universalis Ecclesiæ. Vide D. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 45. Sic autem definitur Collegium Cardinalium: Clericorum cœtus ad auxiliandum Romano Pontifici in Ecclesiæ regimine, Sede plenâ, et ad supplendum eumdem, Sede vacante, institutus.

703. Quærit. 1° An Cardinales humanæ vel divinæ sint institutionis?

Resp. De hoc disputare Doctores, sed de nomine potiùs esse controversiam quàm de re: *Figuraliter* enim originem trahere videntur Cardinales à Sacerdotibus Levitici generis, ut ait Innocentius III, cap. *Per venerabilem* 1 *qui filii sint legitimi; Exemplariter* autem ab Aposto

Christi, ut ait Eugenius IV (Constit. *Non mediocri*). Sed quoad jura et statum quibus hodie pollent, negare difficillimè posset eos esse institutionis duntaxat ecclesiasticæ. Vide tamen Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 45-52.

704 Quidquid sit de origine Cardinalitiæ Dignitatis, non videtur ipsum nomen usurpatum fuisse ante sæculum quintum; reservatum est deinde presbyteris titularibus Romanis; mentio habetur quidem in concilio romano sub Sylvestro, sed est apocryphum: V. Ferraris, v° *Cardin.*, a. 1, n° 4; Bouix, *De Cur. Rom.*, p. 7 et 8.

Primordiis hoc nomine vocabantur omnes clerici alicui Ecclesiæ addicti; sed postea mos invaluit, saltem in principalioribus Ecclesiis, ut *Cardinalis* nomen præcipuis tantùm presbyteris tribueretur: « Cùm adhuc à Canonicis in variis... » Cathedralibus, ut Ravennetensi, Compostellanâ, Mediolanensi, Neapolitanâ et aliis, Cardinalitium nomen retineretur, S. Pius V, anno 1567.... harum Ecclesiarum » privilegia (si quæ aderant).... abrogavit, et in cunctis » aliis Ecclesiis, præter quàm in Romanâ, Cardinalis nomen extinxit. » (Ferraris, *ib.*, n° 6.)

Non obstante hâc prohibitione: « Videri potest apud Bergier (*Dictionnaire*, v° *Cardinal*), usque ad hæc nostra tempora substitisse in pluribus Galliæ Ecclesiis, Cardinalium » presbyterorum nomen. Suessione 11 Curati eo nomine » gaudebant: et in certis diebus Pontificali Missæ solemni » ritu assistebant. Hodiedum superest ejusdem cæremoniæ » vestigium. » (Lequeux, n° 189, nota 1.)

705. Cardinalis nomen à *cardine* derivatur: « Nam, ait » Eugenius IV (Const. *Non mediocri*, § 14), sicut super » cardinem volvitur ostium domûs, ita super eos (Cardinales) Sedis Apostolicæ et totius Ecclesiæ ostium quiescit. » Ob hanc rationem omnes qui certæ Ecclesiæ erant addicti sive *incardinati*, dicebantur primitùs Cardinales. Vide ap. Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 2, n° 23, nota 4; — Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 8-24.

706. Quærit. 2° Quomodo creandi sint Cardinales?

Respondeo cum Ferraris (*ib.*, n° 9): « Creatio Cardinalium diversimodè.... fuit hactenus acta, et nostris tem-

» poribus penitus obsolevit quod in Cæremoniali Romano...
» disponitur de promovendis Cardinalibus Feria IV qua-
» tuor temporum, et de voto Sacri Collegii exquirendo....
» Summus enim Pontifex pro suo libitu, quos vult et
» quando vult, ad Cardinalatûs fastigium promovet, nullâ
» astrictus necessitate exquirendi Cardinalium suffragia...
» Imò nullâ precisâ formâ necessariò observandâ in Cardi-
» nalium promotione utitur S. Pontifex.... Licet cætero-
» quin, in Cæremoniali Romano hæc forma tradatur:
» *Auctoritate Dei Patris omnipotentis, SS. Apostolorum*
» *Petri* et *Pauli et Nostrâ, N... assumimus in Presbyte-*
» *rum vel Diaconum sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem...*
» Exinde, si noviter promoti reperiantur in Urbe, eodem
» quo priùs utebantur habitu, ad aulam apostolicam, nullo
» assumpto comitatu, se conferunt, ibique ab aliquo ex
» antiquis Cardinalibus excepti, S. Pontifici offeruntur,
» qui birreto rubro eos insignit, et post, publicum indici-
» tur Consistorium pro eis tradendo galero rubro. »

Explicat hîc Ferraris ordinem cæremoniarium in hujus-
modi Consistorio observandarum: tradendo verò rubrum
galerum sic ait Pontifex: « *Ad laudem omnipotentis Dei et*
» *Sanctæ Sedis Apostolicæ ornamentum, accipe galerum*
» *rubrum insigne singularis dignitatis Cardinalatûs per*
» *quod designatur quòd usque ad mortem et sanguinis*
» *effusionem inclusivè, pro exaltatione sanctæ fidei, pace et*
» *quiete populi christiani augmento et statu sacrosanctæ*
» *Romanæ Ecclesiæ, te intrepidum exhibere debeas, in no-*
» *mine Patris*, etc. »

In subsequenti Consistorio, S. Pontifex claudit os novis
Cardinalibus, eis inhibendo ne quid loqui præsumant us-
quedum de consilio fratrum duxerit eis os aperire, quod
in secundo vel tertio Consistorio, Cardinalibus præsentibus
consultis, peragit his verbis: « Aperimus vobis os, tam in
» Collationibus quàm in Conciliis, atque in electione
» S. Pontificis, et in omnibus actibus, tam in Consistorio
» quàm extra, qui ad Cardinales spectant, et quos soliti
» sunt exercere, in nomine Patris, etc. » Promotio perfici-
tur annulorum traditione et assignatione titulorum.

Promoti ad Cardinalatum qui absentes essent à Curiâ, jurare debent, in receptione birreti rubri, intra annum se accessuros ad limina Apostolorum sub pœnâ inhabilitatis et privationis Cardinalatûs, ut fuit statutum a Sixto V in Constit. *Postquam*. « Licet ab Eugenio, inquit Ferraris » (*ib.*, n° 20, etc.), in Const. *In eminenti*, fuerit decretum » quòd Cardinales in secreto Consistorio pronuntiati, non » dicantur Cardinales antequam Cardinalatûs insignia sus» ceperint, neque vocem in electione S. Pontificis habeant » donec sit eis licentia votandi concessa, tamen hodie » Cardinales ex actu creationis perfectè creati censentur, » et habent vocem in electione S. Pontificis, absque aliâ » facultate, quamvis Cardinalatûs insignia non obtinue» rint, etc. » Illud constat ex decreto S. Pii V, 26 jan. 1571, et sic reverà in praxi pluries fuit observatum (Vide Ferraris, *ib.*, n° 23; et Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 109, etc.). Unde constat præfatas cæremonias non pertinere ad substantiam promotionis cardinalitiæ; sed ideo observari juxta eumdem S. Pontificem: « Ut Cardinales, antequam » in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, » de modestiâ, quæ ab ipsis, in his et aliis actibus adhi» beri debet, quodammodo admoneantur. »

707. Quærit. 3° Quasnam dotes habere debeant promovendi ad Cardinalatum?

Resp. 1° Generatim cum Concilio Trident. (sess. 24, cap. 1, *de ref.*): « Ea... omnia et singula quæ de Episcopo» rum præficiendorum vitâ, ætate, doctrinâ et cæteris » qualitatibus aliàs in eâdem synodo constituta sunt, » decernit eadem, etiam in creatione S. Romanæ Eccle» siæ Cardinalium etiamsi diaconi sint, exigenda, » imò *lectissimos et præcellentes esse oportere*, ex eodem Concilio (*ibid.*).

2° Juxta idem Concil. (*ib.*), Cardinales ex omnibus mundi partibus, *quantùm commodè fieri poterit*, debent eligi.

3° Vult Sixtus V in suâ Constit. *Postquam*: « quòd *non » desint* aliquot insignes viri in sacrâ theologiâ magistri, » præsertim ex Regularibus et Mendicantium Ordinibus » assumendi, saltem quatuor, non pauciores. »

4° Ad Cardinalatum promoveri non debent illegitimi, etsi legitimati fuissent per Matrimonium subsequens (*ib.*).

5° Eligi non debent, qui nondum sunt clerici (*ib.*).

6° Nec qui, primo vel secundo consanguinitatis gradu, alicui Cardinali adhuc viventi sunt conjuncti, nec qui filios habent etiam ex legitimo matrimonio ortos (*ibid.*).

7° Nec bigami (Ferraris, ut supra, n° 34).

8° Quoad ætatem requisitam, si agatur de Cardinalibus diaconis, sufficit ætas 22 annorum, ut expressè statuit Sixtus V, in Const. superiùs citatâ. Intra annum ordinem Diaconatûs accipere debent, aliàs carent voce activâ, etiam in electione S. Pontificis. Vide dicta superiùs (424). Si verò agatur de cæteris Cardinalibus, requiritur ætas 30 annorum, prout deduci posse videtur ex cap. 1, sess. 24, Conc. Trident., ubi eædem qualitates requiruntur pro Cardinalibus eligendis quàm pro Episcopis.

708. Quærit. 4° Quot numero esse possint Cardinales et in quot classes dividantur?

Resp. Ante Sixti V pontificatum, numerus Cardinalium varius fuit pro temporum diversitate : ita ut, tempore Paschalis II, ad numerum 90 pervenerint juxta Cohellium, et ad numerum 8 descenderint tempore Nicolai III. Paulus verò IV numerum 70 præfixerat ad imitationem 72 seniorum qui Moysi assistebant et 72 Christi discipulorum. Sed cùm hæc determinatio non fuit deinde observata præsertim à Pio IV qui 76 Cardinales habuit, tandem in suâ Constit. *Postquam*, Sixtus V numerum 70 retinendum definivit, nec à subsequentibus Pontificibus huc usque in hoc fuit innovatum (Vid. *Inst.*, R. de M., p. 272). Ex his autem Cardinalibus sex sunt Cardinales Episcopi, quinquaginta Cardinales presbyteri, quatuordecim verò Cardinales Diaconi, et cuilibet juxta suum ordinem assignatur particularis Ecclesia, titulus vel diaconia.

Ecclesiæ Cardinalium Episcoporum sunt Ostiensis, Portuensis, Tusculana, Sabinensis, Prænestina, Albanensis, quæ vocantur Ecclesiæ Suburbicariæ. Cæteri verò tituli Cardinalium Presbyterorum et Diaconorum vide possunt apud Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 1, n° 44.

« Cardinales Episcopi, inquit Plettemberg (ap. R. de
» M., p. 272), præcedunt Cardinales Presbyteros et hi
» vicissim Cardinales Diaconos. Inter Episcopos præcedit
» is qui anterior est in ordine Episcopali. Inter Cardinales
» verò Presbyteros et Diaconos præcedunt illi qui primi
» promoti fuerunt ad purpuram, et si plures simul creati
» sunt, habebit is primas qui prior nominatus fuerit. Cùm
» autem frequenter contingat eum qui renuntiatus primùm
» fuerat Cardinalis Diaconus, postea Presbyter denun-
» tietur, hoc casu transit statim ad locum promotionis
» suæ, præceditque omnes Presbyteros qui post eum Car-
» dinales creati sunt. » Juxta tamen *Analecta* (janv. 1856), quæ citant Breve Clementis VIII, aug. 1596, hoc jure non gaudent Cardinales, nisi decem annos transegerint in ordine Diaconatûs.

709. Quærit. 5° Quanta sit dignitas et præeminentia Cardinalium?

Resp. Cum Ferrario pluries supra memorato (*ib.*, art. 2, n° 1, etc.) : « Cardinalatu nulla est major Dignitas post
» Papatum in Ecclesiâ Dei. Eugenius IV, in Constit. *Non*
» *mediocri*...; definit post Caput Ecclesiæ quod est Papa,
» contigua sui corporis membra qui sunt fratres ejus Car-
» dinales, præ cæteris Ecclesiæ membris... honorari debere,
» et Cardinalatûs dignitatem esse majorem et sublimiorem
» Episcopali, Archiepiscopali et Patriarchali [1]... Nec cau-
» setur quispiam, inquit Pontifex, *quòd ordo Episcopalis*
» *presbyterio major sit, quoniam in ejusmodi prælationibus*
» *officium et Dignitas præponderat ordini, quemadmodum*
» *jure cautum est ut Archidiaconus non presbyter, suæ*
» *jurisdictionis obtentu, Archipresbytero præferatur.* Et
» de facto, hoc habetur etiam in Vicario generali, qui,
» quamvis simplex clericus, præcedit omnes de choro. » Et ratio est quòd Episcopi vel aliæ Dignitates non præsunt

[1] Eâ de causâ quando ad Cardinalatum assumuntur Episcopi, si ipsis detur titulus alicujus Presbyterii vel Diaconiæ, non Episcopi a Sede Apostolicâ vocantur, sed Cardinales S. R. Ecclesiæ Presbyteri aut Diaconi; quia, inquit Eugenius IV in citatâ Constit.: « Rationi con» sentaneum est, ut res à potentiori et nobiliori denominetur. »

nisi uni diœcesi, vel determinatæ parti Ecclesiæ, dum Cardinalis, ut ait Innocentius III (in cap. *Bonæ memoriæ* 3, *de Postul. Prælat.*), non solùm Romanæ, sed etiam Ecclesiæ universali utilis est.

« Cœperunt (autem) primùm Episcopi Cardinales aliis » omnibus Episcopis anteire, et eò quoque postea Cardi- » nales alii sensim pervenêre. Licetque, jam post medium » sæculum undecimum et sæculo duodecimo, legantur » quandoque omnes Cardinales antepositi etiam Archi- » episcopis, in conciliis Romano ac Beneventano et in Gal- » liis, non hæc tamen fuit iis semper prærogativa. In » Concilio verò Lugdunensi 1, anno 1245, sederunt omnes » in eminentiori loco ante Archiepiscopos. Imò et in Con- » cilio Lugdunensi II, anno 1264, ante latinos Constan- » tinopolitanum et Antiochenum Patriarchas. » Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 2, n[is] 25, 29. De his tamen controvertitur et sunt Doctores qui dicunt Cardinales semper præcedentiâ super cæteros potitos fuisse (V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 55-75).

710. Quærit. 6° Quænam sint munera Cardinalium?

Resp. Eorum munera respicere vel proprias Ecclesias seu titulos, vel universalem Ecclesiam.

In suis titulis Cardinales tam Presbyteri quàm Diaconi amplam habent jurisdictionem in omnibus quæ ad earum Ecclesiarum servitium pertinent; non tamen in iis habent jurisdictionem episcopalem, ut nunc certum est per Constit. *Romanus Pontifex*, § 9, Innocentii XII; unde licet episcopali caractere sint insigniti, in hujusmodi Ecclesiis non possunt ordines majores conferre. V. Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 2, n° 28; —Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 3, n° 37; —Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 120.—Errant ergo R. d. M., t. 1, p. 275, et auctor *Prælect. S. Sulpit.*, n° 86, dicendo Cardinales gaudere jurisdictione episcopali in Ecclesiis sibi in titulum collatis.

Cardinales Presbyteri et Diaconi tenentur residere in suis titulis, aliàs iisdem, si canonicè moniti non redeant et resideant, sunt privandi. V. ap. Ferraris (*ibid.*, n° 2.). Si sint Episcopi (exceptis Cardinalibus suburbicariis), in

suâ unusquisque respectivâ diœcesi, residere tenentur. (V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 118). — Quando tamen Romæ adstant, à Curiâ Romanâ, etsi sint Episcopi, non possunt discedere sinè licentiâ Papæ : quia sunt ipsius collaterales et debent ei assistere tanquam coadjutores in executione pastoralis officii. V. Const. Leonis X *Sub pœnâ*, et Const. Innoc. X *Cùm juxta*, ap. Ferraris, *ib.*, nº 9.

711. Quoad Ecclesiam universalem, vivente Papâ, officium Cardinalium, est ipsummet munus Senatorum, seu Consiliariorum et Coadjutorum : non tamen de necessitate SS. Pontifices illorum consilio vel auxilio utuntur, sed de honestate, et plura sinè illorum consilio expediunt. V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 76-108.

Debent autem Cardinales accuratam eorum de quibus sunt consulendi notitiam diligenter comparare; veritatem juxta suum sensum in consilio liberè et sinè respectu humano propalare, et altum silentium de negotiis ipsis propositis observare; alioquin tanquam perjuri et inobedientes excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam incurrerent, juxta Constit. Leonis X modò citatam.

712. Sede verò vacante, ad ipsos pertinet, ut jam diximus, S. Pontificis electio, et interea Ecclesiæ defensio et administratio (cap. *Ubi periculum*, *de elect.*, in 6°; Const. Pii IV, *in eligendis;* et Clem. 12, *Apostolatûs officium*). Non tamen ad ipsos pertinet ea jurisdictio quæ S. Pontifici omnino propria est : undè non innovare debent, sed quæ urgens necessitas non postulat, futuro Pontifici reservanda sunt : sic enim habet Clement. *Ne Romani* 2, *de electione :* « Irritum et inane decernentes *quidquid potestatis* aut ju- » risdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem perti- » nentis (nisi quatenus in Constitutione prædictâ permit- » titur) cœtus ipse duxerit, eâdem vacante Ecclesiâ, » exercendum.» Enumerationem eorum quæ, Sede vacante, peragere nequeunt Cardinales, vid. ap. Ferraris, vº *Cardinalis*, art. 5, nis 23-39; et ap. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 131, etc.

« Licet autem Congregationum Cardinalium facultates » per obitum Papæ non expirent; tamen, Sede vacante,

» Cardinalibus in conclavi manentibus, debent conquies-
» cere et dormitare quoad negotia illa et causas, quæ in
» Congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis
» Præfecti, seu habentis sigillum... » (nisi justa causa aliter postulet). Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 133.—« Negotia quæ
» in communi formâ à solo Secretario expediri solent,
» possunt etiam expediri Sede vacante. » Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 5, n° 43.

« In electione plurium SS. Pontificum et casu schis-
» matis, Cardinalibus licet Concilium cogere et controver-
» siam decidere. » Plettemberg, *Notit. Congreg.*, ex Const. Nicolai II. Quin eisdem licet Pontificem pecuniâ, metu aut favore intrusum expellere (cap. *Si quis pecunia,* dist. 79). Vid. R. de M., t. 1, pag. 281.

713. « Cardinales in Conclavi existentes possunt in suis
» titulis jurisdictionem exercere, non personaliter, sed
» per suos vicarios et ministros : sic etiam Major Pœni-
» tentiarius in Conclavi existens, potest, non personaliter,
» sed per Officiales Pœnitentiariæ exercere officium suum
» extra Conclave... *Si tamen nollet in clausurâ manere*,
» *etiam personaliter, utitur officio*... Sic pariter Camerarius
» Cardinalis... Camerarii enim et Pœnitentiariorum Papæ
» officium, mortuo Papâ non expirat, eisque deficientibus,
» potest Collegium Cardinalium alios subrogare pro tem-
» pore vacationis. Clem., *de Electione*, cap. *Ne Romani*, § *Eo*
» *tamen proviso*.

714. » Cardinales non sunt cogendi intrare in Conclave,
» nisi in casu quo nullus vellet intrare, vel in casu quo,
» non electo Pontifice, omnes simul, vel successivè exire
» contingeret. Clem. *de Elect.*, cap. *Ne Romani*, § *Porrò*. » Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 5, n^is^ 19-22.

715. Quærit. 7° Quænam sint privilegia et insignia Cardinalium?

Resp. I. Longius esset enumerare omnia privilegia Cardinalibus concessa ; sufficiat referre sequentia :

1° Possunt tonsuram et minores ordines suis subditis et familiaribus conferre in suis titulis, etsi caractere episcopali insigniti non sint.

2° Cardinali asserenti aliquid fuisse actum in præsentiâ Papæ, vel dicenti sibi, vivæ vocis oraculo, aliquid à Papâ mandatum fuisse, credi debet.

3° Privilegia generatim Episcopis concessa ad Cardinales extendi debent. Pro aliis Cardinalium privilegiis, vide Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 4.

716. II. *Quoad insignia,* cùm deceat ut Dignitatis amplitudini majestas ornamentorum respondeat, purpurâ, quæ apud antiquos Romanos regibus propria erat, decorantur Cardinales; birretum rubrum rubrumque galerum jus ferendi habent.

Si ex regularibus assumpti sint, uti quidem non debent veste purpureâ, sed vestes debent induere coloris suæ religionis, cum caputio tamen et birreto coloris rubri, nisi essent Societatis Jesu, quia isti non distinguuntur habitu à sæcularibus Cardinalibus.

Præterea juxta Decretum Urbani VIII, 10 jun. 1630, appellari debent *Eminentissimi*. Juxta verò Breve *Militantis* Innocentii X, ipsis prohibetur superimponere armis gentilitiis pileum Cardinalitium, quantumvis prosapiâ et dignitate sæculari excellerent. Vid. *Analecta jur. pontif.*, janvier 1856, col. 1921-1922.

717. Quærit. 8° Quotuplici modo amitti possit Dignitas Cardinalitia?

Resp. Triplici modo amitti posse, morte videlicet, renuntiatione et depositione. Vide R. de M., p. 281.

Quoad Cardinalium sepulturam, vid. Ferraris, ut supra, art. 6.

718. Quærit. 9° Quænam sit constitutio Sacri Collegii.

Resp. Sacrum Collegium seu collectio Cardinalium quatenus unum corpus efficiunt, habet Caput quod est *Decanus*, qui ex Constit. Pauli IV *Cùm venerabilis,* et Brevi *Pastoralis* Clementis XII, debet esse antiquior ex Cardinalibus præsens in Curiâ tempore vacationis hujus muneris, aut absens tantùm ex Pontificis mandato propter causam Ecclesiæ publicam. Vide *Analecta,* janv. 1856, col. 1918.

Præterea unus è Cardinalibus est Camerarius Sacri

Collegii, cujus officium est curam habere ipsius reddituum, et quotannis distribuere singulis Cardinalibus.

Habet insuper Sacrum Collegium Secretarium scrutinio ex Italiâ eligendum, cui etiam dandus est Substitutus scrutinio pariter eligendus, successivè tamen è quatuor nationibus Germanicâ, Hispanicâ, Gallicanâ et etiam Anglicanâ.

Est tandem in Sacro Collegio Computista, qui rationes acceptorum et expensorum init, easque defert Cardinali Camerario.

719. Quærit. 10° Quid sit Consistorium, et ad quid conveniat?

Resp. Consistorium esse Cardinalium consessum in sacro palatio ad modum senatûs.

Duplex est : *ordinarium* seu secretum in quo adsunt soli Cardinales; *solemne seu publicum*, ad quod accedunt cum magno apparatu singuli Cardinales, et admittuntur principum Nuntii, Viri nobiles, Prælati, etc.

In hoc Consistorio quod *extraordinarium* etiam vocatur, congregatis omnibus, S. Pontifex *auricularem audientiam* præbet super negotiis Cardinalium, Principum, etc., cæteris deinde remissis remanentibusque solis Cardinalibus, tractantur *Negotia Consistorialia.*

Decem prioribus Ecclesiæ sæculis, ad discutienda hujusmodi negotia, S. Pontifex solebat Romæ congregare Concilia Episcopis præsertim vicinioribus ac Cardinalibus conflata. Hujusmodi Conciliorum paulatim locum tenuêre Consistoria necessariò determinatis diebus congreganda; et sic evenit ut corpus Cardinalium compingeretur etiam ex Episcopis suburbicariis et Cardinalibus ex variis Ecclesiæ universalis regionibus selectis. Vide *Analecta*, ibid., col. 2236.

Negotia verò Consistorialia sunt imprimis : novorum Cardinalium creatio, institutio Episcoporum et eorum Abbatum qui *Consistoriales* dicuntur, erectiones Cathedralium, Diœcesium uniones, aut dismembrationes, etc., etc.

In publico Consistorio Pontifex galerum Cardinalitium novis Cardinalibus imponit; de canonizandis Sanctis vota

exquirit, reditum Legatorum *à latere*, vel adventum Nuntiorum à principibus ad se missorum celebrat (R. de M., t. 1, p. 286).

§ II.

De Sacris Congregationibus et Tribunalibus Romanis.

Ut celeriùs magisque ordinatè negotia expedirentur in *Curiâ Romanâ*, variæ Congregationes, præsertim ex Cardinalibus conflatæ, diversaque Tribunalia à SS. Pontificibus fuerunt constituta :

PUNCTUM I.

DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS.

720. Romanæ Congregationes numero 16 hodie computantur: videlicet Consistorialis, Inquisitionis, Indicis, Concilii Tridentini, Episcoporum et Regularium, Rituum, Immunitatis ecclesiasticæ, Indulgentiarum et Reliquiarum, Propagandæ fidei, Studiorum, pro Examinandis Episcopis, Residentiæ Episcoporum, Visitationis Apostolicæ, Cæremonialis, Fabricæ S. Petri, Lauretana, et tandem super Negotiis ecclesiasticis extraordinariis. Insuper annectuntur C. Concilii, Cong. pro examinandis Relationibus Episcoporum super *statu Ecclesiæ*; et altera pro revisendis actibus Conciliorum provincialium (*Concilietto*). Vid. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 495. Item C. Reg. annexæ sunt duæ aliæ super statu Regularium et super disciplina regulari. Cf. infra (771).

I.

CONGREGATIO CONSISTORIALIS.

721. Instituta fuit hæc Congregatio ad præparanda negotia quæ in Consistorio tractanda sunt : « Quia, inquit » Cardin. De Luca (*Relat. Rom. Cur.*, diss. 5, n° 25,) » in plerisque ex dictis actibus Consistorialibus.... opposi» tores adesse solent, adeo ut formam.... contentiosam » habere oporteat eaque prudenter ob majorem Consistorii

» majestatem ab eâ excludere deceat, hinc... creata fuit
» particularis Congregatio dictorum *Consistorialium nego-*
» *tiorum* præparatoria, seu *Consistorii consultrix* quæ
» proinde Consistorialis nuncupatur, constituta ex... com-
» petenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum Præ-
» latorum, cum proprio Secretario: atque in istâ Congre-
» tione priùs formiter examinantur materiæ, partibus
» opponentibus auditis, in formâ.... contentiosâ, propor-
» tionatâ tamen stylo Congregationum Cardinalitiarum...
» adeo ut de ejus voto, negotia Consistorialia quæ con-
» troversiam pati valeant, explicentur.» Instituta fuit autem hæc Congregatio à Sixto V per Bullam *Immensa*, et imprimis cognoscit de causis erectionis novarum Ecclesiarum. V. *Analecta jur. pontif.*, ib., col. 2264.

II.

CONGREGATIO S. INQUISITIONIS SEU SANCTI OFFICII.

722. Etiam a suis primordiiis, Ecclesia in Conciliis vel extra, per Episcopos inquisivit in hæreticos eosque a fidelium communione separavit. Imò Imperatores et Principes Christiani, variis pœnis bonorum privatione, exilio, ac mortis supplicio illos multârunt. Sic anno 316 Constantinus legem edidit, quâ Donatistæ suis privabantur Ecclesiis, et quidam eorum contumaciores exulabantur. Item anno 325, in exilium projecit Arium jam à Nicæno Concilio damnatum, et simul cum eo Episcopos ipsius impietatis sequaces; ejusdem scripta comburi jussit, mortem ipsam minitando iis qui ea tradere renuerint. Easdem pœnas innovavit auxitque Theodosius Magnus contra Photinianos, Arianos, Eunomianos, Manichæos. Item Imperator Marcianus contra Eutichianos. Similiter egerunt Justinianus, Fridericus II Germaniæ Imperator, S. Ludovicus Galliæ rex. Vide André, v° *Inquisition.*

Non exstitit tamen primùm Tribunal *Inquisitionis* propriè dictum, quale postea fuit institutum; istius verò origo videtur incœpisse circa finem sæculi XII: anno enim 1184, coactum fuit Concilium Veronense, cui præfuit S. Pontifex

Lucius III, et in quo Fridericus I Imperator intervenit: in hoc Concilio mandatum fuit Episcopis, ut non tantùm per se, sed per *Commissarios* inquirerent contra hæreticos, eos etiam, si esset opus, brachio sæculari tradendo.

Ex tunc, variis in locis, apparuêre *Inquisitores*, ex quibus fuêre duo monachi Cistercienses, Raynerius videlicet et Guido, primi quidem quorum nomina ad nos pervenêre, et qui in Galliam ab Innocentio III, anno 1198. missi fuerunt ad reducendos hæreticos Albigenses qui Occitaniam infestabant.

Anno autem 1233, Gregorius IX misit contra eosdem hæreticos alios Inquisitores ex religiosis S. Dominici selectos. Disputatur verò an ipse S. Dominicus inquisitor fuerit. De quo vide Bouix, *De Judiciis*, t. 2, p. 367-372.

723. Alibi aliorum ordinum religiosi instituti fuerunt Inquisitores, sed non ubique nec perpetuò stare potuêre, si Hispaniam excipias, cujus tribunal Inquisitionis habuit existentiam a cæteris valdè diversam, et magis politicam quàm ecclesiasticam, quæque jussu Ferdinandi V, ex permissione Papæ, a Cardinali Mendozio fuit, anno 1486, instituta, sed quæ, hoc XIX sæculo, fuit etiam suppressa. Vide Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 153, etc.

724. Tandem, anno 1542, Constit. *Licet ab initio*, Paulus III instituit Congregationem sub nomine: *Generalis et universalis Inquisitionis in universâ Republicâ christianâ adversùs hæreticam pravitatem.* Illam Pius IV et S. Pius V confirmârunt et quamplurimis privilegiis ditaverunt; ipsique Sixtus V, Bullâ *Immensa æterni Dei*, potestatem fecit « Inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi et definiendi » in omnibus causis, tam hæresim manifestam quàm schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, sacramentorum abusus et quæcumque alia, quæ etiam præsumptam hæresim sapere videntur, concernentibus; non solùm in Urbe et Statu temporali S. Sedi subdito, sed etiam in universo terrarum orbe, super omnes Patriarchas, Archiepiscopos et alios inferiores ac Inquisitores, etc. »

Inquisitorum particularium jurisdictioni nequaquam tamen subjacent Episcopi quoad crimen hæreseos. Vide

Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 339, et t. 2, p. 217.

Congregatio Inquisitionis ut prima inter cæteras habetur, sive ob præstantiam negotiorum quæ ab eâ pertractantur, sive quia ei præest ipsemet S. Pontifex.

725. « Constat... ista Congregatio..., inquit Cardin. De » Luca (ap. R. de M., t. 1, p. 287), ex aliquo considera» bili numero Cardinalium,.. in majori vel minori numero » pro... Papæ placito; hisque adjuncti sunt plures Prælati » ac religiosi ac etiam quandoque clerici sæculares, qui... » *Consultores* appellantur, ultra ordinarios Officiales.., » quorum unus, qui Judicis ordinarii partes gerit, est ille » qui *Commissarius S. Officii* dicitur, Ordinis S. Dominici » Professor; isque in Consiliarium seu Assessorem habet » unum dogmatum et canonum professorem Prælatum vel » clericum sæcularem qui *Assessor* dicitur, aliosque infe» riores officiales et ministros, ut sunt Fiscalis, Notarius, » Socius et alii; atque inter præfatos Consultores regulares, » qui ex diversis religionibus assumi solent pro Papæ » libitu, fixum locum occupant alii duo ejusdem Ordinis » professores, nempe Magister generalis... et Magister Sa» cri Palatii, ac etiam alter Professor Ordinis Minorum » Conventualium, cui tanquam fixo invariabili congruit » singulariter nuncupatio *Consultoris S. Officii*..

» Ut autem tantæ importantiæ negotia cum eâ quæ decet » maturitate coram ipso S. Pontifice examinentur ac deci» dantur, duæ præparatoriæ Congregationes præcedere » solent. »

726. In primâ igitur, quæ singulis feriis secundis in palatio S. Officii propè Vaticanum locum habet, conveniunt Consultores cum Commissario, Assessore, etc. Præparantur negotia, leguntur processus, ac Episcoporum vel inquisitorum localium litteræ aut relationes pro majore instructione Assessoris qui totum negotium est relaturus in secundâ præparatoriâ congregatione.

Ista secunda congregatio locum habet singulis feriis IV, in conventu FF. Prædicatorum prope Ecclesiam B. Mariæ *supra Minervam* : huic interveniunt Cardinales quibus Assessor solus stans refert negotia, processus, litteras,

informationes, etc., legit. Deinde, re benè perspectâ, admittuntur Consultores, qui in aulâ vicinâ erant exspectantes, ab iisque votum expetitur.

Eorum quæ decreta sunt fit eodem die relatio ad Papam, qui huic congregationi non assistit; quo facto, ut plurimùm nomine Cardinalium decretum editur hâc formâ: *Feria IV, die mensis... S. Congregatio EE. et RR. S. R. E. Cardinalium Inquisitorum, habita in Conventu S Mariæ supra Minervam, præhabito voto DD. Consultorum, factâ relatione ad SS., præsenti decreto declarat*, etc. Sed hodie non habetur ad S. Mariam supra Minervam.

Feriâ V, celebratur propriè dicta et definitiva congregatio Cardinalium coram Papâ in Palatio Apostolico. In hâc nova fit causæ relatio, quandoque admissis Consultoribus qui denuò, relatâ et discussâ causâ, recedunt; et sua suffragia Cardinales exprimunt; quibus ponderatis, Pontifex finaliter concludit, et tunc fertur Decretum hâc formâ: *Feriâ V, die mensis... in generali Congregatione S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico coram SS. D. N. ac EE. et RR. S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ Christianâ contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus, SS. Pater, auditis votis eorumdem, statuit ac decrevit*, etc.

« Inquisitio Romana, inquit Lequeux (n° 195, in fine), licet potestatem judiciariam habeat, eâ cum summâ moderatione utitur : de omni catholicâ Ecclesiâ plurimùm merita est, sive sapientissima responsa consultationibus præstando, sive errores insequendo. V. Bergier, *Dictionnaire*, art. *Inquisition.* Perperam confunditur Inquisitio Romana cum Hispanicâ, cui aliunde immeritò multæ inferuntur accusationes. »

Nota quoad Inquisitores particulares, quòd, etsi Papæ sint duntaxat delegati, ipsorum tamen jurisdictio, mortuo Papâ, non expiret, etiam re integrâ, quia sic fuit expressè sancitum per cap. *Ne aliqui* 10, *de Hæreticis*, in 6°. Clementis IV, anno 1267. —Vide. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 154.

III.

S. CONGREGATIO INDICIS

727. Concilium Tridentinum Indicem quidem librorum prohibitorum confecerat, quem postea Pius IV, cujus approbationi a Synodo submissus fuerat, obligatorium in totâ Ecclesiâ per Constit. *Dominici gregis* reddidit; sed, quia quotidiè in lucem edebantur novi libri pravis doctrinis referti, incompletus mox et omninò insufficiens fuisset hujusmodi Index, nisi alicui Congregationi commissa fuisset cura novos libros invisendi, et attentè quoad fidem et mores examinandi. Primùm reverà hoc negotium mandatum fuit Congregationi Inquisitionis, sed quia S. Officium nimiis et majoribus curis occupatum, vix par erat illud congruenter implendi, ideò S. Pius V huic adjunxit alteram Congregationem sub nomine *Indicis*, quæ operi præfato specialiùs intendere deberet. Hæc est origo Congregationis *Indicis*.

« Certum est autem », inquit Bened. XIV in Constitut. *Sollicita*, « S. Pium V, primum fuisse Congregationis » Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Ponti- » fices, Gregorius XIII, Sixtus V et Clemens VIII confir- » mârunt, variisque privilegiis et facultatibus auxerunt[1]. »

728. Congregatio Indicis constat eo Cardinalium numero qui Pontifici placuerit. Ex iis unus *Præfecti* titulo gaudet; ipsius Secretarius ex ordine S. Dominici desumitur; habet etiam Consultorem ejusdem ordinis, Magistrum nempe S. Palatii, cui committitur inspectio librorum quæ Romæ typis mandantur aut venduntur. Habet insuper multos alios consultores regulares et sæculares, quorum examini libri subjiciuntur et à quibus facienda est relatio.

729. « Distributio librorum examinandorum inter con- » sultores fit per Secretarium. Hi deinde... ad Congrega- » tionem referunt; super quâ relatione deliberatur in

[1] Legi possunt ap. *Analecta jur. pontif.*, 1re livr., col. 354, et 15e livr., col. 2255, probationes quibus constat hanc Indicis Congregationem exstitisse ante Gregorium XIII; immeritò igitur institutionem ejus Sixto V tribuunt R. de M., t. 1, p. 289, et Lequeux, no 196...

» communi... Verumtamen soli Cardinales suffragio de-
» cisivo... gaudent. Suffragiis habitis, conduntur decreta
» sub nomine Cardinalium Congregationis Indicis, non
» verò ipsius Pontificis, etsi... in vulgus non edantur an-
» tequam per Secretarium... Pontifici fuerint exhibita, ab
» eoque probata.

» Decreta S. Congregationis Indicis sunt sequentis tenoris:
» *Sacra Congregatio EE. ac RR. S. R. E. Cardinalium à*
» *SS. D. N... Sanctâque Sede Apostolicâ Indici librorum*
» *pravæ doctrinæ eorumdemque proscriptioni, expurgationi*
» *ac permissioni, in universâ Christianâ Republicâ præposi-*
» *torum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vati-*
» *cano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel*
» *aliàs damnata atque proscripta, in Indicem librorum re-*
» *ferre mandavit et mandat opera quæ sequuntur... Itaque*
» *nemo cujuscumque gradûs et conditionis prædicta opera*
» *damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque*
» *idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel*
» *retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut hæreticæ pra-*
» *vitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub pœnis in*
» *Indice librorum vetitorum indictis... Quibus SS. D. N.*
» *.... Papæ... per me infra scriptum Secretarium relatis,*
» *Sanctitas Sua decretum probavit et promulgari præce-*
» *pit. In quorum fidem*, etc.

» *Datum Romæ,* » etc. (R. de M., t. 1, p. 290).

730. Quærit. 1° Utrum decreta S. Congregationis Indicis vim habeant obligandi *sub gravi* in totâ Ecclesiâ ?

Resp. Affirmativè : ad hoc sufficit 1° quòd Congregationi Indicis S. Pontifex hanc potuerit conferre potestatem obligandi in totâ Ecclesiâ; 2° quòd hanc voluerit ei conferre : atqui 1° *Potuit :* Certè quidem qui possidet plenam potestatem universalem Ecclesiam regendi, sicut valet in totâ Ecclesiâ prohibere libros pravos, ita illos prohibendi in totâ eâdem Ecclesiâ alteri potest concedere facultatem : atqui de fide est S. Pontificem plenam possidere potestatem regendi universalem Ecclesiam, prout definivit Concilium Florentinum (675). Ergo, tam per se quàm per

alios potest in totâ Ecclesiâ prohibere libros pravos, proinde id potest per Congregationem Indicis.

2° *Voluit* S. Pontifex Congregationi Indicis conferre potestatem prohibendi pravos libros in totâ Ecclesiâ : ad hoc enim instituta fuit à SS. Pontificibus hæc Congregatio ut libros examinet, eosque, in quibus inveniuntur errores contra fidem vel bonos mores, damnet pro universali Ecclesiâ, priùs tamen consulto et approbante Sanctissimo. Id constat ex Bullâ *Immensa* Sixti V, et formulâ modo relatâ (729)...

« ... Cependant il n'est pas rare, inquit D. André (*Cours » de droit canon*, v° *Index*), de trouver en France des per- » sonnes, bien intentionnées du reste, des prêtres même » instruits, qui regardent les censures et les défenses de » la Congrégation de l'Index... comme n'obligeant pas en » conscience, sous le spécieux prétexte que les décrets de » l'Index ne sont pas reçus en France; comme si la France » ne faisait pas partie de la *République chrétienne* et qu'elle » eût le privilége de mépriser les défenses du Chef su- » prême de l'Église, de lui désobéir dans des choses graves » et de la plus haute importance, puisque de la lecture » d'un livre peut dépendre la perte de la foi...

» Nous ne comprendrons jamais comment des catho- » liques, qui doivent voir dans le S. Pontife le Père de tous » les chrétiens..., le Vicaire de J.-C..., se croient dispen- » sés de lui obéir et croient pouvoir mépriser ses ordres » ou ses défenses... »

731. Dicunt quidem hanc libertatem in Galliam consuetudine fuisse introductam.—Sed respondetur nullâ consuetudine legitimè posse introduci facultatem non obediendi auctoritati competenti et à Deo institutæ. Hoc enim esset abusus evidens et corruptela quæ nullâ consuetudine legitimari potest.

Nota insuper quòd in reimpressione Indicis, Benedict. XIV hujusmodi consuetudinem, sicubi tamen legitimè vigere potuerit, per sequentem clausulam aboleverit: « *Non obstantibus... quibuscumque statutis, decretis, usi- » bus... et consuetudinibus etiam immemorialibus, cæterisque*

11...

» *in contrarium facientibus quibuscumque.* » Subsequentibus *Indicis* editionibus, auctoritate pontificiâ evulgatis usque ad annum 1841, insertum fuit Breve Benedicti XIV præfatam clausulam continens. Unde usque ad tempus præsens, Sedes Apostolica reclamavit contra objectam consuetudinem, quæ nullo modo proinde potest esse legitima.

His adde quòd Pius IV, promulgando Indicem Romæ tantùm 24 martii 1564, hanc clausulam inseruerat : « Nos... » per... hanc publicationem omnes et singulos, qui his » litteris comprehenduntur, post tres menses à die publica- » tionis... earum numerandos, volumus perindè adstrictos » et obligatos esse ac si ipsismet illæ lectæ fuissent. » Vide etiam Constit. Bened. XIV *Quæ ad Catholicos.*

Legi possunt ap. D. Bouix, *De Curiâ Romanâ* (p. 500, etc.), textus Conciliorum provincialium sæculi XVI, quibus constat Indicem fuisse in Galliâ receptum. Vide etiam *Analecta juris pontificii*, 4e liv., col. 763, etc.

732. Num infallibilis sit C. *Indicis* in damnandis libris ? Certum est decreta gaudere plena auctoritate pontificia ; quum vero infallibilitas sit privilegium personale R. P., sequitur eam non competere decretis quæ Papa sua non fecisset ; quod si sua fecerit approbando, ulterius quærendum num voluerit totam docere Ecclesiam ut supremus Doctor et sua uti infallibilitate, quod non est præsumendum. V. infra (768).

733. Diximus decreta Congregationis obligare *sub gravi*: nam agitur hic de materiâ gravi, et insuper sic habet una regularum ipsiusmet Indicis : « Quòd si quis hæreticorum » vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi » dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit » sive habuerit, statim in excommunicationis censuram » incurrat. Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, » aut habuerit, *præter peccati mortalis reatum* quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur. » Ergo, etc.

« Communiter (autem) DD., inquit S. Liguor. (*De Prohib. » Libr.*, c. 5, n° VI), in hâc re benè admittunt dari parvi- » tatem materiæ; discrepant verò in assignando quænam » sit materia parva : alii, id est Sanchez... dicunt esse

» paginam et quià ampliùs, si volumen sit ex grandioribus:
» sed hoc meritò (sic saltem generaliter dictum) ab aliis re-
» jicitur. Alii contra... dicunt esse tres aut quatuor versus...
» Alii tandem... (Holzman... Sporer... Elbel) meliùs distin-
» guunt, et dicunt in hoc attendendum esse finem prohi-
» bitionis: si enim aperiendo librum offendis in doctrinam,
» quæ directè fidei adversatur... etiamsi paucas lineas
» legas, excommunicationem non effugies, quia tunc peri-
» culo perversionis jam te exponis; secus si liber hæretici
» ageret de re indifferenti, tunc enim legendo fortè usque
» ad paginam, poteris à mortali excusari si nullam ibi ad-
» vertas propositionem erroris suspectam. Cæterùm benè
» incurri potest censura, legendo solùm prœemium aut
» indicem libri, si in notabili quantitate percurratur.
» Laymann, Bonacina... » etc. Vide etiam lib. 7, n° 284.

734. Quærit. 2° Quænam sint regulæ Indicis, SS. Tridentinæ Synodi jussu editæ?

Respondeo esse sequentes quæ quidem primùm per Patres à S. Synodo delectos concinnatæ, à Pio IV per Constitut. *Dominici*, anno 1564, comprobatæ fuerunt.

« *Regula I.* Libri omnes quos ante annum 1515, aut SS.
» Pontifices, aut Concilia œcumenica damnârunt, et in hoc
» Indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur
» sicut olim damnati fuerant. » Hâc regulâ non prohibentur veteres libri Paganorum: *Analecta*, 4° livr., col. 767.—Nec etiam, juxta Theologos, prout asserit Lequeux (n° 1357), in hâc comprehenduntur libri hæreticorum priorum sæculorum, velut Tertulliani, Eusebii, Origenis, Pelagii, etc.

« *Regula II.* Hæresiarcharum libri, tam eorum qui
» post prædictum annum hæreses invenerunt vel susci-
» târunt, quàm qui hæreticorum capita aut duces sunt
» vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvi-
» nus, Balthazar Pacimontanus, Schwenckfeldius, et his
» similes cujuscumque nominis, tituli aut argumenti exis-
» tant, omnino prohibentur.

735. » Aliorum autem hæreticorum libri, qui de reli-
» gione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. »
Ab hæreticis conscripti censentur libri anonymi quorum

doctrina est heterodoxa; prohibiti enim fuerunt à Paulo IV et à Conc. Trident., sess. 4. — Vide *Analecta jur. pontific.*, 4e liv., col. 781; et 5e livr., col 1006. — Secus, si non contineant pravam doctrinam (S. Liguor., lib. 7, nº 289). — Quoad libros catholicorum in quibus addita sunt scholia ab hæreticis, vide S. Liguor., *ibid.*, nº 286.

« Qui verò de religione non tractant, à theologis catho-
» licis, jussu Episcoporum et Inquisitorum examinati et
» approbati, permittuntur.

» Libri etiam catholicè conscripti, tam ab illis qui pos-
» tea in hæresim lapsi sunt, quàm ab illis qui post lap-
» sum ad Ecclesiæ gremium rediêre, approbati à Facul-
» tate Theologicâ alicujus Universitatis Catholicæ vel ab
» Inquisitione generali, permitti poterunt.

» *Regula III.* Versiones scriptorum etiam ecclesiastico-
» rum quæ hactenus editæ sunt à damnatis auctoribus,
» modò nihil contra sanam doctrinam contineant, per-
» mittuntur.

736. » Librorum autem Veteris Testamenti versiones
» viris tantùm doctis et piis judicio Episcopi concedi pote-
» runt, modò hujusmodi versionibus, tanquam elucida-
» tionibus Vulgatæ editionis, ad intelligendam S. Scriptu-
» ram, non autem tanquam sacro textu utantur.

» Versiones verò Novi Testamenti ab auctoribus primæ
» classis hujus Indicis factæ, nemini concedantur, quia
» utilitatis parùm, periculi verò plurimùm lectoribus ex
» earum lectione manare solet.

» Si quæ verò adnotationes cum hujusmodi quæ permit-
» tuntur versionibus, vel cum vulgatâ editione circumfe-
» rantur, expunctis locis suspectis à Facultate theologicâ
» alicujus Universitatis catholicæ aut Inquisitione Generali,
» permitti eisdem poterunt quibus et versiones.

» Quibus conditionibus, totum volumen Bibliorum quod
» vulgò *Biblia Vatabli* dicitur, aut partes ejus, concedi
» viris piis et doctis poterunt.

» Ex Bibliis verò Isidori Clarii Brixiani prologus et pro-
» legomena præcidantur; ejus verò textum, nemo textum
» Vulgatæ editionis esse existimet.

737. » *Regula IV.* Cùm experimento manifestum sit, si
» sacra Biblia vulgari linguâ passim sinè discrimine per-
» mittantur, plus indè, ob hominum temeritatem, detri-
» menti quàm utilitatis oriri : hâc in parte, judicio Epis-
» copi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi
» vel confessarii, Bibliorum à catholicis auctoribus verso-
» rum, lectionem vulgari linguâ eis concedere possint,
» quos intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum
» sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam
» facultatem in scriptis habeant.

» Qui absque tali facultate ea legere seu habere præ-
» sumpserit, nisi priùs Bibliis Ordinario redditis, peccato-
» rum absolutionem percipere non possit. »

Sixtus V, inquit Zaccaria, animadvertens, *quòd inde enascebatur præjudicium animarum*, *hasce facultates per S. Officium... sibi reservari mandavit : Clemens verò VIII, ne Episcopi et Inquisitores, ex reimpressâ in ejus indice regulâ quartâ colligerent restitutam sibi eadem impertiendi potestatem, in observatione ad regulam IV Indici suo præmissâ monitos esse voluit*, *quòd hæc reservatio Sixti V, in suo permaneret vigore.* Quæ disciplina viguit usque ad Bened. XIV, qui Indicis decretum approbans, sic statuit : « Si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari linguâ fuerint » ab Apostolicâ Sede approbatæ aut editæ cum adnota- » tionibus desumptis ex SS. Ecclesiæ Patribus, vel ex » doctis catholicisque viris, conceduntur. » Eadem dispositio invenitur in litteris Encyclicis Gregor. XVI, contra Biblicas Associationes, et in Monito Congreg. Indicis promulgato 7 januar. 1836, in quo dicitur : « Vernaculas... » Bibliorum versiones non esse permittendas, nisi quæ » fuerint ab Apostolicâ Sede approbatæ aut cum adnota- » tionibus editæ. » Ex quibus non sinè aliquo legitimo fundamento, ut videtur, plures concludunt non ampliùs locum habere reservationem à Sixto V statutam, sed posse hodie Episcopos suis subjectis liberè concedere licentiam legendi vernaculas Bibliorum versiones à S. Sede approbatas, aut cum supra dictis adnotationibus editas; secus tamen sentiunt *Analecta jur. pontif.* (4e liv., col. 794),

eò quòd decretum Bened. XIV fuerit tantùm nova cautio contra fraudes hæreticorum, non excludens antiquas à Sixto V præscriptas. Sed cùm verba Congregationis Indicis *non esse permittendas,* non possunt intelligi de S. Pontifice, meritò videtur esse concludendum *vernaculas versiones* posse ab Episcopis concedi, quandò a S. Sede sunt jam approbatæ, vel habent adnotationes SS. Patrum aut DD. Catholicorum. Imò D. Bouix saltem probabile putat tunc nullam requiri licentiam. Vide *De Curiâ Romanâ*, p. 554-557.

« Bibliopolæ verò qui prædictam facultatem non haben- » tes, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel » alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus » pios ab Episcopo convertendum amittant; alioquin pœnis, » pro delicti qualitate ejusdem Episcopi arbitrio, subjaceant.

» Regulares verò, nonnisi facultate à Prælatis suis ha- » bitâ, ea legere aut emere possint.

738. » *Regula V.* Libri illi qui hæreticorum auctorum » operâ interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de » suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi » sunt lexica, concordantiæ, apothegmata, similitudines, » Indices et hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ » expurgatione indigeant, illis Episcopi et Inquisitoris » unà cum Theologorum catholicorum consilio sublatis aut » emendatis, permittantur. » Si tamen libri per decretum Congregationis fuerint inserti Catalogo librorum prohibitorum cum clausulâ *donec corrigantur,* correctio illorum, non ab ipsis Episcopis fieri potest, sed res tota, juxta Benedict. XIV, ad Sacram Indicis Congregationem est deferenda (*Analecta*, ibid., col. 795; et 18ᵉ livr., col. 2660).

739. « *Regula VI.* Libri vulgari idiomate, de controversiis » inter catholicos et hæreticos nostri temporis disserentes, » non passim permittantur : sed idem de iis servetur quod » de Bibliis vulgari linguâ scriptis statutum est. » Difficilis observationis videtur esse hæc regula in Galliâ, prout res nunc exstant ; nec fortè judicandi sunt rei peccati mortalis, sive fideles qui sinè periculo fidei legunt hos controversiarum libros, sive Bibliopolæ qui eos vendunt, prout est consuetudo apud nos. Dubitat autem D. Bouix, *De Curiâ*

Romanâ, p. 558, an præfata regula non sit restringenda ad epocham in quâ fuit exarata.

« Qui verò de ratione benè vivendi, contemplandi, confi-
» tendi, ac similibus argumentis, vulgari sermone conscripti
» sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohi-
» beantur, sicut nec sermones populares vulgari linguâ
» habiti.

» Quòd si hactenus, in aliquo regno vel provinciâ, aliqui
» libri sunt prohibiti quòd nonnulla continerent quæ, sinè
» delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores
» catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab
» Episcopo et Inquisitore poterunt. » Si tamen prohibiti fuissent illi libri per decreta generalia Indicis, emendandi essent ab ipsâ Congregatione, prout jam diximus in adnotatione *ad regulam V*.

740. « *Regula VII.* Libri qui res lascivas seu obscenas
» ex professo tractant, narrant, aut docent, cùm non solùm
» fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione,
» facilè corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino pro-
» hibentur; et qui eos habuerint, severè ab Episcopis
» puniantur. Antiqui verò ab Ethnicis conscripti, propter
» sermonis elegantiam et proprietatem, permittuntur: nullâ
» tamen ratione pueris prælegendi erunt.

741.» *Regula VIII.* Libri quorum principale argumentum
» bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt,
» quæ ad hæresim seu impietatem, divinationem, seu su-
» perstitionem spectant, à catholicis theologicis, Inquisitionis
» generalis auctoritate expurgati, concedi possunt. » Hæc intelligenda sunt etiam de libris catholicorum. « In libris tamen catholicorum veterum, inquit Clemens VIII (*in suâ Instruct.*, pars 2, § 4), quia jam non tantùm afferunt periculi, nihil mutare fas sit, nisi ubi fraude hæreticorum, aut typographi incuriâ, manifestus error irrepserit : si quid autem majoris momenti et animadversione dignum occurrerit, liceat in novis editionibus vel ad margines, vel in scholiis adnotare, eâ imprimis adhibitâ diligentiâ, an ex doctrinâ locisque collatis ejusdem auctoris sententia difficilior illustrari, ac mens ejus

planiùs explicari possit. » Si error sit abrasus de libro, probabile est, juxta S. Liguor. (*De Proh. lib.*, cap. 5, n° 5), quòd non sit ultrà prohibitus, nec incurratur censura, modò tamen liber de religione non tractet, casu quo ab hæreticis est conscriptus. Non censetur autem tractare de religione, si de philosophiâ aut de historiâ solùm ex professo tractet. S. Liguor., lib. 7, 283.

« Idem judicium sit de prologis, summariis, seu adno-
» tationibus, quæ a damnatis auctoribus, libris non dam-
» natis apposita sunt; sed posthæc nonnisi emendati
» excudantur.

742. » *Regula IX.* Libri omnes et scripta geomantiæ,
» hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ,
» chiromantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur
» sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes
» artis magicæ, prorsus rejiciuntur.

» Episcopi verò diligenter provideant ne astrologiæ
» judiciariæ libri, tractatus, indices legantur vel habeantur
» qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve
» casibus, aut iis actionibus quæ ab humanâ voluntate
» pendent, certè aliquid eventurum affirmare audent.

Permittuntur autem judicia et naturales observationes,
» quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ
» gratiâ conscriptâ sunt.

743. » *Regula X.* In librorum aliarumque scripturarum
» impressione servetur quod in Concilio Lateranensi sub
» Leone X statutum est.

» Quare si in almâ urbe Româ, liber aliquis sit impri-
» mendus, per Vicarium S. Pontificis, et Sacri Palatii Ma-
» gistrum, vel personas à SS. D. N. deputandas, priùs
» examinetur.

In cæteris verò locis, ad Episcopum vel alium haben-
» tem scientiam libri vel scripturæ imprimendæ, ab eodem
» Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravi-
» tatis *ejus civitatis vel diœcesis in quâ impressio fiet*, »
—(approbatio ergo est danda non ab Ordinario auctoris libri, sed *loci* in quo fit ejus impressio)— « ejus appro-
» batio et examen pertineat, et per eorum manum, propriâ

» subscriptione *gratis* sinè dilatione imponendam, sub pœ-
» nis et censuris in eodem decreto contentis approbetur.» (Videlicet excommunicat., combustionis librorum contra dictas præscriptiones impressorum, et mulctæ pecuniariæ. Vide *Analecta*, 3ᵉ livr., col. 1003; et Conc. Trident., sess 4.)
« Hâc lege et conditione additâ, ut exemplum libri impri-
» mendi authenticum et manu auctoris subscriptum apud
» examinator. remaneat. » Quoad excom., *V. C. Ap. Sed.* l.

744. Huic regulæ X addita fuit observatio sequens jussu Alexandri Papæ VII : « Degentes in Statu Sedi Apostolicæ mediatè vel immediatè subjecto, non possunt transmittere libros à se compositos alibi imprimendos, sinè expressâ approbatione, et in scriptis, Eminentissimi ac Reverendissimi D. Cardinalis Sanctissimi Domini Nostri Vicarii, et Magistri Sacri Palatii, si in Urbe; si verò extra Urbem existant, sinè Ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum facultate et licentiâ operi infigendâ. » Vid. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 374; et *De Regular.*, t. 2, p. 147.

« Eos verò, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante
» examinati probatique fuerint, iisdem pœnis subjici debere
» judicârunt Patres deputati, quibus impressores; et qui
» eos habuerint et legerint, nisi auctores prodiderint, pro
» auctoribus habeantur.

» Ipsa verò hujusmodi librorum probatio in scriptis
» detur, et in fronte libri vel scripti vel impressi authenticè
» appareat, probatioque et examen ac cætera gratis fiant.

745. » Præterea, in singulis civitatibus et diœcesibus,
» domus vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et biblio-
» thecæ librorum venalium, sæpius visitentur à personis ad
» id deputandis ab Episcopo sive ejus Vicario, atque etiam
» ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum quæ
» prohibentur, aut imprimatur aut vendatur aut habeatur.

» Omnes verò librarii et quicumque librorum venditores
» habeant in suis bibliothecis indicem librorum venalium
» quos habent, cum subscriptione dictarum personarum,
» nec alios libros habeant, aut vendant, aut quâcumque
» ratione tradant, sinè licentiâ eorumdem deputandorum,
» sub pœnâ amissionis librorum et aliis arbitrio Episcopo-

» rum vel Inquisitorum imponendis. Emptores verò, lectores, vel impressores, eorumdem arbitrio puniantur. » In Statu Ecclesiastico et in Urbe Româ pœnæ severiores sancitæ fuêre ab Urbano VIII et Bened. XIV. Vide *Analecta*, 5e livr., col. 1010.

« Quòd si aliqui libros quoscumque in aliquam civita-
» tem introducant, teneantur eisdem personis deputandis
» renuntiare : vel si locus publicus mercibus ejusmodi
» constitutus sit, ministri publici ejus loci prædictis per-
» sonis significent libros esse adductos.

» Nemo verò audeat librum, quem ipse vel alius in civi-
» tatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliquâ
» ratione alienare aut commodare, nisi ostenso priùs
» libro et habitâ licentiâ à personis deputandis, aut nisi
» notoriè constet librum jam esse omnibus permissum.

» Idem quoque servetur ab hæredibus et executoribus
» ultimarum voluntatum, ut libros à defunctis relictos sive
» eorum indicem, illis personis deputandis afferant, et ab
» eis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in
» alias personas quâcumque ratione transferant.

» In his autem omnibus et singulis, pœna statuatur vel
» amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorumdem Epis-
» coporum vel Inquisitorum, pro qualitate contumaciæ vel
» delicti [1]. »

746. Insuper Concil. Trident (sess. 4) hæc habet, quoad impressores aut venditores librorum, aut eos imprimi facientes : « Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis
» libros *de rebus sacris* sinè nomine auctoris, neque illos
» in futurum vendere, aut etiam apud se retinere [2], nisi
» primùm examinati probatique fuerint ab Ordinario, *sub*
» *pœnâ anathematis et pecuniæ* in canone Concilii novissimi
» Lateranensis appositâ. » Controvertitur autem utrum præfata verba sint intelligenda de libris tractantibus quidem *de rebus sacris*, sed quorum auctores non sint anonymi.

[1] Dicta præsentis regulæ X à verbo : « *Præterea in singulis civitati-* » *bus*, etc. », non possunt hodiè observari in Galliâ et aliis pluribus regionibus, eo quòd ad hoc necessarium esset brachium potestatis sæcularis. V. Bouix (*De Curiâ Romanâ*, p. 491). — [2] Quoad retinentes, *V.* 1637)

Analecta jur. pontif., 5e livr. col. 1007, citant Heymans in partem negativam inclinantem, et opinantem non incurrere excommunicationem eos qui retinent aut legunt libros *de rebus sacris* tractantes, qui præ se ferunt nomen auctoris, etsi non fuerint approbati, modò tamen hæresim, impietatem aut superstitionem aliquam non contineant. Juxta autem *Analecta* peccarent hujusmodi detentores aut lectores; sed juxta S. Liguor., lib. 7, n° 289, et juxta D. Bouix, *De Curiâ Rom.*, minimè peccarent. Vide 1641.

747. « Circa verò libros quos Patres deputati examinârunt aut expurgârunt, aut expurgandos tradiderunt, » aut certis conditionibus ut rursùs excuderendur concesserunt, quidquid illos statuisse constiterit, tam Bibliopolæ quàm cæteri observent.

» Liberum tamen sit Episcopis aut Inquisitoribus Generalibus, secundùm facultatem quam habent eos etiam » libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si » hoc in suis regnis aut provinciis vel diœcesibus expedire » judicaverint.

» Cæterùm nomina cum librorum qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum quibus illi hanc provinciam dederunt, eorumdem deputatorum secretarius » Notario Sacræ universalis Inquisitionis Romanæ descripta, » Sanctissimi D. N. jussu tradat.

748. » Ad extremum verò omnibus fidelibus præcipitur, » ne quis audeat, contra harum regularum præscriptionem » aut hujus Indicis prohibitionem, libros aliquos legere aut » habere. » Excusatur a censurâ, juxta S. Liguor., *App. de libr. proh.*, cap. 5, in fine; et lib. 7, n° 295, qui librum retinet per breve tempus, v. g. unâ vel alterâ die; ita communiter. Imò plures eum excusant etiamsi diù retineret, exspectans tempus opportunum ut librum Superiori vel habenti licentiam tradat.

749. « Quòd si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris *scripta* » (sufficit ergo legere *scripta* hæreticorum ad incurrendam excommunicationem : hoc tamen controvertitur ap. S. Liguor., lib. 7, n° 293, qui adhæret sententiæ affirmanti. Vide etiam Lequeux, n° 1359), « ob hæresim vel

» ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, » legerit sive habuerit, statim in excommunicationis » sententiam incurrat[1]; qui verò libros alio nomine inter» dictos legerit aut habuerit, præter peccati mortalis rea» tum quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur.»

750. Prædictis regulis addendum est quòd, si liber examinandus sit Scriptoris catholici aliquâ meritorum et nominis famâ illustris, Benedictus XIV consulit ut Congregatio audiat auctorem suam causam tueri volentem, vel unum ex Consultoribus designet qui patrocinium libri suscipiat: hoc tamen tantùm si opus, demptis demendis, utile judicari possit, et insuper Pontifex hoc non præcipit, sed prudentiæ S. Congregationis relinquit. Vide Bullam *Sollicita*, § 10 (Bouix, *De Curiâ Rom.*, p. 166).

751. Quærit. 3° Quinam sint libri vetiti?

Resp. 1° Eos esse omnes qui catalogo Congregationis Indicis tanquam vetiti inscripti sunt. Circa quod notandum est quòd, 18 mart. anni 1666, damnata fuerit ab Alexandro VII propositio sequens sub pœnâ excommunicationis S. Pontifici reservatæ: « Libri prohibiti *donec expurgentur* possunt » retineri usquedum, adhibitâ diligentiâ, corrigantur. » (*Exposit. des principes, du Cardinal Gousset*, p. 161.) Nec retineri possunt in alienâ domo a quâ repeti valeant (S. Liguor., lib. 7, n° 298), sed deferri debent ad Inquisitorem aut Episcopum; imò, si deponerentur apud habentem licentiam retinendi, cum pacto non repetendi nisi post obtentam licenciam eos legendi, hoc non damnaret S. Liguor., *ibid.*, et n° 299. V. 1640, I.

2° Tales esse adhuc libros qui ad varias classes in supradictis regulis enumeratas referri possent.

3° Insuper juxta Bened. XIV, habendi sunt ut vetiti qui in sequentibus §§ enumerantur. Reverà quidam existimârunt non prohibitos esse omnes libros qui hîc recensentur; sed illorum opinio est deserenda : sic enim habet Gregorius XVI in suâ Encyclicâ 8 maii 1844 : « In communem

[1] Ab hâc excommunicatione excusat ignorantia crassa facti vel juris; an autem excuset ignorantia affectata, vide ap. S. Liguor., lib. 7, n° 296, et infra (760) in fine.

» notitiam revocatum volumus... non ab iis tantùm libris » cavendum esse qui *nominatim* in eumdem Indicem relati » sunt, sed ab iis etiam de quibus *in commemoratis genera-* » *libus præscriptionibus agitur.* » — Generales enim hæ præscriptiones auctoritate apostolicâ Indici fuerunt insertæ. Vide *Analecta*, 4ᵉ livr., col. 764; et 18ᵉ livr., col. 2661; — Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 465.

Nota hîc quòd libri catholicorum non priùs censeantur prohibiti quàm fuerint specialiter in Indicem relati; excipiendi tamen sunt libri qui per se sunt prohibiti, ut infra. Vide S. Liguor., lib., 7, nº 289

« § I.

752. » *Libri ab hæreticis scripti vel editi, aut ad eos sive » ad infideles pertinentes, prohibiti :*

» 1º Agenda, seu formulæ precum, aut officia eorum- » dem;

» 2º Apologiæ omnes quibus eorum errores vindicantur, » sive explicantur et confirmantur;

» 3º Biblia Sacra eorum operâ impressa, vel earumdem » adnotationibus, argumentis, summariis, scholiis et indi- » cibus aucta;

» 4º Biblia sacra, vel eorum partes ab iisdem metricè » conscripta;

» 5º Kalendaria, Martyrologia ac Necrologia eorum- » dem;

» 6º Carmina, narrationes, orationes, imagines, libri in » quibus eorum fides ac religio commendatur;

» 7º Catecheses et catechismi omnes, quamcumque ins- » criptionem præferant, sive librorum abecedariorum, sive » explicationum Symboli Apostolici, præceptorum Deca- » logi, sive instructionum ac institutionum religionis chris- » tianæ, locorum communium, etc.;

» 8º Colloquia, conferentiæ, disputationes, synodi, acta » synodalia de fide et fidei dogmatibus ab eisdem edita, et » in quibus explicationes quæcumque eorum errorum » continentur. » Vide supra (739);

» 9° Confessiones, articuli sive formulæ fidei eorumdem;
» 10° Dictionaria autem, vocabularia, lexica, glossatoria, » thesauri et similes libri ab iisdem scripti, sive editi, ut » Henrici et Caroli Stephani, Joannis Scapulæ, Joannis » Jacobi Hofmanni, etc., non permittuntur, nisi deletis iis » quæ habent contra Religionem Catholicam;
» 11° Instructionum et rituum sectæ Mahumetanæ li- » bri omnes.

» § II.

» *Libri certorum argumentorum prohibiti :*

» 1° De materiâ auxiliorum divinorum libri, vel compo- » sitiones, ex professo vel incidenter, aut prætextu commen- » tandi S. Thomam vel quemlibet alium doctorem, aut aliâ » quâvis occasione tractantes, impressi nullâ obtentâ li- » centiâ à Congregatione S. Officii » (non sufficeret ergo licentiam obtinere ab Ordinario, et idem dic in aliis similiter à S. Sede prohibitis);
« 2° De B. Mariæ Virginis conceptione libri omnes, con- » ciones, disputationes, tractatus, impressi post annum » 1617, in quibus asseritur B. Virginem Mariam cum origi- » nali peccato conceptam esse; vel in quibus affirmatur » opinantes B. Virginem fuisse in originali peccato con- » ceptam, esse hæreticos vel impios, vel peccare mortaliter» (sed hodie post definitionem Dogmatis Immaculatæ Conceptionis à SS. D. N. Pio IX, 8 decemb. 1854 factam, licet imò debet affirmari, *opinantes B. Virginem fuisse in originali peccato conceptam, esse hæreticos vel impios et peccare mortaliter);*
« 3° Declarationes, decisiones, interpretationes Congre- » gationis Concilii, earumque Collectiones tam impressæ » quàm imprimendæ, ementito ipsius Congregationis no- » mine;
» 4° De controversiâ exortâ inter Episcopum Chalcedo- » nensem et regulares Angliæ libri omnes et singuli trac- » tatus, impressi sive manuscripti, et omnia alia quæ spec- » tant directè vel indirectè ad prædictam controversiam.

» Per hoc autem decretum nihil intendit Sacra Congregatio » statuere de meritis causæ, vel ulli auctori aut operi ignominiam, vel notam malæ doctrinæ inferre;

» 5° De doctrinâ libri Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, qui inscribitur *Augustinus*, libri omnes et libelli, aut » epistolæ tam impressæ quàm manuscriptæ, seu in posterum edendæ et publicandæ, in quibus illa eo modo damnata, quo eam damnavit Alexander VII, vel ut est in 5 » propositionibus damnata, propugnatur, vel quomodolibet » approbatur aut defenditur;

» 6° De Constit. *Unigenitus* Clementis XI libri aliaque » scripta, in quibus illa subdolè eluditur, temerè carpitur, » aut contemnitur et impugnatur. Item libri, sive libelli, vel » scripti, vel typis editi aut edendi in defensionem Libri » inscripti : *Le Nouveau Testament en français avec des réflexions morales sur chaque verset :* aut alio titulo : *Abrégé* » *de la morale de l'Evangile*, etc.

» Item actus sive instrumenta appellationum quæcumque à » Constitutione *Unigenitus* ad Concilium Generale, nec non » judicia Theologorum sive Academiarum earumque deliberationes, consultationes, acta, decreta; quorumcumque » etiam aliorum mandata, ordinationes, arresta, epistolæ, » interpretationes etiam et declarationes, ac scripta quælibet, quibus, explicationis aut alio quovis prætextu, aliquid dicitur vel scribitur, quo dictæ Constitutionis robur » atque auctoritas et obligatio minui aut infringi possit;

» 7° De duellis agentes libri, litteræ, libelli, scripta » in quibus eadem duella defenduntur, suadentur, docentur. Si qui verò hujusmodi libri, ad controversias » sedandas pacesque componendas utiles esse possunt, » expurgati et approbati permittuntur;

» 8° De Joannis Cala asserti Anachoretæ prætensâ » sanctitate, miraculis, vaticiniis, visionibus, aliisque » hujusmodi signis libri, codices et folia quæcumque » sive manuscripta sive impressa;

» Item omnia et singula transumpta, seu copiæ tam » impressæ quàm manuscriptæ Decreti a Vicario Generali » Cassanensi emanati, per quod idem Vicarius ausus fuit

» definitivè pronuntiare eumdem Joannem fuisse in quasi » possessione cultûs, atque ideo in eo manutenendum ;

» 9° Libri omnes immunitatem bonorum ecclesiasti» corum impugnantes ;

» 10° De laminis plumbeis, arabico sermone et antiquis » caracteribus conscriptis, ac in cavernis montis Illipuli» tani, dicti *sacri*, propè Granatam repertis, et de scripturis » in turri Torpianâ ejusdem civitatis inventis libri omnes, » tractatus, responsa, consulta, commentarii, glossæ, » additamenta, annotationes et quæcumque alia, sive » manuscripta sive typis impressa. Alii verò libri sive » tractatus, qui ad alia argumenta spectant, obiter verò » de his laminis, vel de eorum doctrinâ tractant, permit» tuntur, expunctis locis quæ de his laminis agunt ;

» 11° De SS. Apostolis Petro et Paulo libri omnes, tam » impressi quàm manuscripti, in quibus asseritur et defen» ditur quòd S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ » Principes qui unicum efficiunt : vel sunt duo Ecclesiæ » catholicæ Coryphæi ac Supremi Duces summâ inter se » unitate conjuncti : vel sunt geminus universalis Ecclesiæ » vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt : vel sunt » duo Ecclesiæ Summi Pastores ac Præsides, qui unicum » Caput constituunt : atque hæc ita explicantur ut ponatur » omnimoda æqualitas inter S. Petrum et S. Paulum, sinè » subordinatione S. Pauli ad S. Petrum, in potestate » supremâ universalis Ecclesiæ ;

» 12° De verâ et non interruptâ successione filiorum » S. Francisci, et de verâ formâ caputii ejusdem libri » omnes imprèssi et qui, inconsultâ S. Congregatione, » imprimentur tractantes hanc eamdem controversiam ;

» 13° Pasquilli omnes ex verbis S. Scripturæ confecti ;

» Item pasquilli omnes etiam manuscripti, omnesque » conscriptiones, in quibus Deo aut Sanctis aut Sacra» mentis aut Catholicæ Ecclesiæ et ejus cultui aut Apos» tolicæ Sedi quomodocumque detrahitur ;

» 14° Libelli omnes agentes, ut vulgò dicitur, *delle ven*» *ture e delle sorti*.

» § III. »

754. (*Cum in illo § agatur de imaginibus et indulgentiis prohibitis, sufficiat hic referre n^m 12^m, qui sic se habet :*)

« ... 12° Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria,
» libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones conti-
» nentur, non edantur absque licentiâ S. Congregationis
» Indulgentiarum.

» § IV.

755. » *Quædam ad ritus sacros spectantia quæ prohibita*
» *sunt.*

» 1° Benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ
» fuerint à S. Rit. Congregatione;
» 2° Exorcismorum formulæ, diversæ ab iis quæ præscri-
» buntur in regulis Ritualis Romani, et earumdem usus
» absque prævio examine coram Ordinario;
756. » 3° Litaniæ omnes, præter antiquissimas et com-
» munes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac
» Ritualibus continentur, et præter Litanias de B. Virgine,
» quæ in S. Æde Lauretanâ decantari solent. »

Circa hoc tamen nota sequens Decretum Pii IX :

« Litaniæ omnes, præter antiquissimas et communes,
» quæ in Breviario, Missalibus, Pontificalibus et Ritualibus
» continentur, et præter Litanias de B. M. V., quæ in
» S. Æde Lauretanâ decantari solent, *non edantur sinè revi-*
» *sione et approbatione Ordinarii;* nec publicè in Ecclesiis,
» publicis oratoriis et processionibus recitentur, absque
» licentiâ et approbatione S. Rituum Congregationis. »
(Vide *Rev. des sciences ecclésiast.*, n° 24, p. 564.) Citantur à D. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 559-566, varia documenta sibi contradictoria circa legitimitatem Litaniarum SS. Nominis Jesu. Vide etiam Ferraris, v° *Litaniæ;* sed hodie, instante Episcopo Montis Albani cum pluribus aliis Antistitibus Romæ adstantibus occasione canonizationis SS. Martyrum Japponiæ, præfatis SS. Nominis Jesu Litaniis,

300 dies indulgentiarum concessi fuêre 21 aug. 1862 in gratiam diœcesanorum antistitum hoc rogantium modo latine litaniæ recitentur, nisi obtinuerint speciale indultum. (V. *Revue des sc. eccl.* t. XI, p. 187, et, XXX, p. 181.)

« 4° Missalis Romani omnia exemplaria alterata post » Edictum Pii V, præsertim quæ *Venetiis apud Junctas*, » *Sessas*, *Mysserinum*, *et ad signum Syrenæ atque Europæ* » et quoscumque alios, impressa sunt ab anno 1596 ;

» 5° Officia B. Mariæ Virginis vel Sanctorum aut Sanc- » tarum, aliaque hujusmodi, absque approbatione S. » Congregationis edita vel edenda ;

» 6° De ritibus sinicis, eorumque controversiis, aut illo- » rum occasione exortis libri, libelli, relationes, theses, » folia et scripta quæcumque post diem 2 octob. 1710 » edita, in quibus ex professo, vel incidenter, quomodo- » libet de eis tractatur, sinè expressâ et speciali licentiâ » Romani Pontificis, in Congregatione Sanctæ et Univer- » salis Inquisitionis obtinendâ ;

» 7° Rituali Romano additiones omnes factæ aut fa- » ciendæ, post reformationem Pauli V, sinè approbatione » S. Congr. Rituum ·

» 8° Rosaria quæcumque de novo inventa aut inve- » nienda, sinè opportunâ S. Sedis facultate, quibus authen- » ticum Rosarium et Beatæ Mariæ Virgini sacrum anti- » quaretur. »

757. Advertendum est : 1° libros à S. Sede prohibitos censendos esse vetitos, in quamcumque linguam vertantur. Ita Clemens VIII in Instructione pro libris prohibendis, etc., § 6.

2° Præter libros in variis supradictis articulis comprehensos, etiam veluti prohibiti haberi debent qui ab Ordinariis in singulis diœcesibus damnantur; sed diœcesanis tantùm hujusmodi libri vetantur.

3° Præter omnes libros jure positivo vetitos, sunt alii libri solo jure naturali prohibiti : tales sunt libri quorum lectio quibusdam periculosa esset, videlicet *Romanenses*, *quamvis res lascivas ex professo non tractarent, narrarent, ut docerent*, sed solùm accidentaliter. Vide supra (740).

758. Quærit. 4° Quibusnam prohibeatur lectio aut retentio librorum vetitorum?

Resp. Generatim omnibus, *etiam Episcopis* : sic enim habet regula X Indicis superiùs relata : « Ad extremum verò » *omnibus fidelibus* præcipitur ne *quis* audeat, contra ha- » rum regularum præscriptum aut hujus Indicis prohibi- » tionem, libros alios legere aut habere. » Item in suâ Constit. *Dominici gregis*, quâ regulæ Indicis promulgatæ sunt, Pius IV ait : « Inhibentes *omnibus et singulis, tam* » *ecclesiasticis personis, sæcularibus et regularibus, cujus-* » *cumque gradûs, ordinis, dignitatis sint,* quàm laicis quo- » cumque honore ac dignitate præditis, ne quis contra » earum regularum præscriptum, aut ipsius prohibitionem » Indicis, libros ullos legere, habereve audeat. » Ipsimet Cardinales ad hujuscemodi libros legendos aut retinendos indigent dispensatione quam variæ Bullæ tamen concedunt iis qui membra sunt Congregationis S. Officii aut Indicis, non verò Episcopis. Vid. Constit. *Cùm meditatio* Julii III; *Quia in futurorum* Pauli IV; *Cùm pro munere* Pii IV (S. Liguor., lib. 7, n° 299; —*Analecta*, 5° livr. col. 1022;— Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 570.

759. Quærit. 5° Utrum etiam in gravi necessitate urgeant leges libros pravos prohibentes?

Resp. cum S. Liguor. (*De Proh. lib.*, cap. 5, II, et lib. 7, 283) : 1° Ex Concil. Carthagin. IV, Episcopi possunt pro necessitate et tempore legere hæreticorum libros; 2° « Non » videtur improbabile id quod plures DD. docent, Holz- » mann.... Elbel.... etc., nempe ex justâ epiikeiâ excusari » virum pium et doctum legentem librum hæreticum, si » necessariò tali indigeat lectione ad convincendum ali- » quem hæreticum ex suo proprio, puta inveniendo con- » tradictiones, concessiones, fallacias et similia : dum- » modo.... urgeat necessitas, et insuper non pateat » recursus ad Romam, vel ad proprium Episcopum, » qui in magnâ necessitate dispensare valet. Extra talem necessitatem adhærendum est præscripto Urbani VIII, qui in Const. *Apostolatûs officium*, 2 apr. 1631, sic habet : « De » cætero, similes licentiæ, nisi à Congreg. Sancti Officii

» dum singulis hebdomadibus coram Nobis habetur, vel ab » aliis, per *Nos* in eâdem Congreg. specialiter deputandis, » concedantur.» Posteà verò idem jus concessum fuit Congregationi Indicis. V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 569, 570.

An autem possit librum vetitum sinè licentiâ legere qui moraliter certus est talem lectionem non sibi esse offuturam?—Quidquid dicant alii, omninò est negandum, juxta S. Liguor., lib. 7, n° 291.

760. Quær. 6° Quænam incurrantur pœnæ.

Resp. 1° Attendendum est ad reatum peccati quod quis committere potest legendo libros pravos, etsi in Indicem non relatos, quia peccat contra legem moralem. Hoc peccatum tamen est meri fori interni, et secundum regulas theologiæ moralis dijudicandum.

2° Dein adest peccatum *de se* grave contra legem ecclesiasticam, quando quis legit libros in Indicem relatos, aut per regulas Indicis prohibitos (nisi quatenus hæ leges ex parte in desuetudinem abierunt, ut dictum est). Hanc culpam hi soli fugiunt qui facultate legitima muniti sunt, quamvis et ipsi a lege morali non ideo eximantur.

3° At peccantes contra legem ecclesiasticam circa libros prohibitos nulla jam pœna plectuntur, nisi in sequentibus casibus; excommunicationem enim latæ sententiæ R. P. specialiter reservatam incurrunt, ex const. *Apostolicæ Sedis*. I, n° 2 : « Scienter legentes, sine » auctoritate Sedis Apostolicæ, libros... apostatarum et » hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros » cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim » prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimen» tes et quomodolibet defendentes. »

Eadem Const. excomm. lata a Trid. sess. IV, *de edit. et usu libr.*, restricta est ad eos « qui libros de rebus sa» cris tractantes sine Ordinarii approbatione impri» munt aut imprimi faciunt ». Jamvero, ex responso S. Officii d. 22 dec. 1880, hæc censura « restringenda est » ad libros Sacrarum Scripturarum, necnon ad eorum

» adnotationes et commentarios, minime vero extenda » denda ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, » id est, ad religionem pertinentibus, tractantes. »

761. Nunc ad lectionem redeuntes, et singula verba expendentes, notamus : (a) Excommunicari *legentes* Quoad eos qui non legunt quidem, sed legentes audiunt, controvertitur. V. Bouix, *de Cur. Rom.*, p. 540 ; Lequeux, n° 1360. Sententia negans videtur probabilior S. Lig., l. 7, n° 292. — (b) *Scienter*. « Unde excusat a » censura non solum ignorantia invincibilis, sed etiam » crassa ; imò juxta plures.... etiam affectata ». S. Lig. l. 7, n° 285 (750). — (c) *Libros*, id est quod nunc dicimus libros. Unde quoad *manuscripta*, duplex est sententia : alia affirmans, negans probabiliter alia, quia sumus in materia pœnali, ac proinde strictæ interpretationis. Quo vero ad *periodica* et *fasciculos*, si voluminum mole libri dicendi sunt, libris æquiparantur ; secus diariis. *Diaria* autem et *ephemerides* propter parvam molem, non veniunt sub nomine librorum ; veteresque controversiæ cessaverunt responso S. C. Indicis, d. 21 apr. 1880 : « An scienter legentes ephemerides propugnantes hæresim incurrant excomm., etc. — Resp. » *Negative* ». Quod si tamen deinde in librum coalescerent compaginatæ ephemerides, incurreretur pœna. S. Off. 14 jan. 1892. — (d) *Apostatarum* et *hæreticorum*. Unde sub eadem pœna non prohibentur libri infidelium, etc. — (e) *Hæresim propugnantes*, id est non qui asserendo continent, sed data opera tuentur. — (f) *Nominatim* prohibiti libri per *Apostolicas litteras*, ii sunt quos ipse R. P., non Congr., inserto titulo, damnat ; non multi sunt. — Libros *retinentes*, id est per notabile tempus, absque venia, etiam sine intentione legendi. — *Imprimentes*, id est qui ad impressionem proximas et efficaces partes habent, non vero qui remotas tantum. Cf. *Instr. Card Vicarii* d. 12 jul. 1878. — Quomodolibet *defendentes*, in iis quæ damnata sunt, non vero quoad stylum aut quid accessorium. — Cf. n. (1636).

762. Quærit. 7° Quid possint Episcopi circa libros?

Respond. Ex supra enuntiatis regulis et decretis S. Sedis : 1° Quando libri hæreticorum de religione non tractantes jussu Episcopi et Inquisitoris sunt examinati et approbati, permittuntur. Ità regula 2ª Indicis, et n° 10, § 1, Decretorum generalium (735, 752).

2° Permittere posse videntur Episcopi libros catholicè conscriptos ab illis qui postea in hæresim lapsi sunt, aut post lapsum ad Ecclesiam rediêre (eadem regula 2ª).

3° Usus versionum Veteris Testamenti judicio Episcopi concedi potest viris doctis et piis, modò non tanquam textu sacro utantur.

Si versiones quæ permittuntur habent secum adnotationes, expunctis locis suspectis à Facultate Theologicâ alicujus Universitatis Catholicæ aut Inquisitione Generali, permitti eisdem poterunt quibus et versiones (regula 3ª).

4° Probabiliter saltem permittere possunt Episcopi, cum parochi aut confessarii consilio, usum Vernacularum Bibliæ versionum, si approbatæ fuerint a S. Sede, aut editæ sint cum adnotationibus SS. Patrum aut Doctorum catholicorum : regula 4, et Bened. XIV (737).

5° Libri qui operâ hæreticorum prodeunt, sed in quibus pauca de suo apponunt, post expurgationem, si indigeant, ab Episcopis et Inquisitoribus factam, permittuntur : regula 5ª (738).

6° De libris controversiarum inter catholicos et hæreticos præsentis temporis, linguâ vulgari conscriptis, idem est dicendum quod de Bibliis vulgari linguâ editis (regula 6ª).

7° Post emendationem possunt Episcopi permittere libros in aliquo regno vel provinciâ prohibitos, si auctores catholici sunt (eadem regula 6ª).

8° Ad Episcopos et Inquisitores locorum pertinent examen et approbatio librorum imprimendorum et manuscriptorum (regula 10ª).

9° Ex eâdem regulâ 10, jus habent Episcopi visitandi bibliothecas librorum venalium, et loca ubi ars impressoria exercetur, ut nihil horum quæ prohibentur, imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

10° Facultatem habent Episcopi prohibendi libros in

suis diœcesibus, prout expedire judicaverint : regula 10ª (747). —Vide etiam Mandatum Leonis XII (26 martii 1825) post regulas Indicis (Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 450).

11° Ad Episcopos tandem pertinet procurare in suis diœcesibus observationem præscriptorum ab *Indice*, eorum violatores pœnis debitis plectendo (regula 10ª). Imò in casu necessitatis possunt concedere licentiam legendi libros prohibitos (759); non verò extra hunc casum, sinè speciali indulto, etsi fuissent Cardinales. Sic expressè Urbanus VIII, Const. *Apostolatûs officium*. —V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 569.

763. Quærit. 8° Quid sit sentiendum de consuetudine, in Galliâ et aliis locis vigente, non observandi prohibitiones et pœnas ab Indice statutas?

Resp. hanc consuetudinem illegitimam videri, ob rationes supra expositas (730-731), et ob multa alia momenta à D. Bouix relata (*De Curiâ Romanâ*, p. 519, etc.); quia non præscribitur contra legitimam potestatem : « On ne pres- » crit pas contre les prérogatives du Saint-Siége, ni contre » ceux des actes dont le Pape ne peut pas dispenser. » Card. Gousset, *Observat. sur un Mémoire adressé à l'Épiscopat*, p. 27. — Vide etiam *Exposit. des principes du droit canon*, p. 145, ejusdem.

Præterea non tantùm à SS. Pontificibus sæpe reprobata fuit dicta consuetudo, sed in multis diœcesibus observatio decretorum S. Sedis circa libros vetitos præcipitur : sic in Concilio Albiensi, anno 1850 (tit. 3, decret. 2) dicitur : « Decreta quibus SS. Pontifices in universâ Ecclesiâ, et » Episcopi in suâ quisque diœcesi, hujusmodi librorum » lectionem vel impressionem prohibent, *in conscientiâ* » *obligant etiam clericos*. Nullus ergo prohibitos libros » legere et retinere præsumat, nisi adsit necessitas, et à » competente auctoritate obtineatur licentia. »

Item in Concilio Tolosano anni 1850 (tit. 2, cap. 2, n° 52) : « Cæterùm quoad libros vetitos, *serventur Apostolica* » *Decreta de impetrandâ à Romano Pontifice licentiâ eos* » *retinendi ac legendi*. » Similia habent Concil. Burdigalense anni 1850, et Auscitanum ejusdem anni. Concilium

verò Avenionense anni 1849 sic habet (cap. 4) : « Fideles...
» sæpiùs moneant rectores animarum, *legibus Ecclesiæ gravissimis* prohibitum esse ne emantur, legantur, retineantur libri à Sede Apostolicâ vel ab ipsis Episcopis damnati. Noverint quoque Bibliopolæ Christiani, iisdem legibus non sibi licere hujusmodi libros impios, hæreticos, obscenos typis mandare, venalesque habere. »

764. His tamen non obstantibus, quia apud nos, ob infaustam scripta typis mandandi à legibus civilibus concessam libertatem [1], et ob debilitatem fidei, ferè omnes libri sinè approbatione ecclesiasticâ imprimuntur et venduntur, dici fortè posset quòd plures apud nos, legendo libros non approbatos, non peccent, non solùm ob bonam fidem, sed etiam fortè quia huic negotio applicari possunt ea quæ cum S. Liguor. (lib. 1, n° 139, *Limit.*, 3°) diximus in Prolegomenis (128), videlicet quòd, quando nondum est legitimè præscripta consuetudo contra legem, attamen *cæteri non tenentur ad eam*, eò quòd princeps præsumatur nolle obligare ad observandum quod non est à majore parte receptum, seu observatum. Vide insuper dicta in eisdem *Prolegomenis* (44, 114, 137).

Huic observationi locus esse videtur præsertim quoad consuetudinem legendi libros ab hæreticis conscriptos, sed in quibus non sunt errores manifesti, aut quoad consuetudinem legendi plerosque libros in §§ 3° et 4° Decret. generalium contentos, aut fortè etiam quoad consuetudinem libros vetitos legendi ex solâ licentiâ Episcopi. Ipsamet *Anal. jur. pont.*, (5° livr., col. 1019, etc.) citant Heymans opinantem quòd in quibusdam locis libri possint imprimi sinè Ordinarii licentiâ. Idem asserit D. Bouix, *De Curiâ Romanâ* (p. 572, 573) [2]. Eadem *Analecta* (1re liv., col. 363) memorant plures

[1] Quid sit sentiendum de hâc libertate, vide ap. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 435-447.

[2] In hâc provinciâ, juxta Concilium Avenion., anni 1849, non est obligatio submittendi omnes libros approbationi Ordinarii. Sic enim habet, tit. 1, cap. 5 : « Insuper quemlibet clericum hortamur ad subjiciendos eidem examini alios cujusvis argumenti libros, quos intendit ipse typis mandare, ne incautè sibi noceat aut religioni. » Vide etiam Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 572.

alios DD. dicentes Indicem, in certis locis, non esse praxi receptum, tolerantibus SS. Pontificibus; et eorum sententiam talibus terminis expressam, tolerandam esse confitentur. Quamvis autem Reiffenstuel hujusmodi doctores, quoad Germaniam, impugnet, non audet tamen absolutè pronuntiare circa lectionem auctorum catholicorum, quorum libri catalogo Indicis sunt inserti, sed totum de hoc judicium ad SS. Congregationem remittit : libenter etiam et nos eidem nostram sententiam submittimus, toto corde parati ab eâ statim discedere si falsam judicaret. V. *Prælect. S. Sulpit.*, n° 92, et imprimìs C. *Apost. Sedis.* (1636. etc.)

Nota hic quòd D. Bouix (*De Curiâ Romanâ*, p. 571) sentiat non obligare apud nos legem subjiciendi censuræ Episcoporum diaria (*les journaux*).

765. Plures nostri etiam contendunt quòd censuræ à Congregatione Indicis latæ non incurrantur in Galliâ. Et quidem, si dicere volunt illas censuras non posse incurri in Galliâ propter nostras prætensas libertates, illud est certè erroneum, cùm nullibi per quasvis libertates possit ligari suprema Sedis Apostolicæ potestas. Sed si intendant duntaxat affirmare illas censuras de facto, tolerante S. Sede, in Galliâ non incurri, an talis opinio sit omnino damnanda, usquedum de eâ Papa pronuntiaverit, non auderemus dicere. Sed hodie apud nos sicut apud extraneos incurruntur, juxta solùm tamen tenorem C. *Apostolicæ Sedis.* — (*V.* 1636).

Memores sint tamen sacerdotes maximè decere ut clerici omnes exemplum præbeant omnimodæ obedientiæ erga leges canonicas.

766. Insuper meminerint quòd, juxta ipsos nostros auctores qui etiam nostras prætensas libertates tuentur, recepta fuerit in Galliâ Bulla Leonis X, quâ, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, singulis fidelibus prohibetur legere aut imprimere scripta quæcumque Lutheri in quibus damnati ejus errores continentur.

Item apud nos recepta fuit Bulla *Ad Sanctam* Alexandri VII, quâ damnatur et prohibetur liber Jansenii, cui titulus *Augustinus*, cum omnibus aliis tam manuscriptis quàm

typis editis, in quibus Jansenii doctrina defenditur, vel in posterum est tuenda.

Idem est dicendum de Bullâ *Unigenitus* quâ, sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, prohibetur lectio et retentio operis Quesnelli *Le Nouveau Testament avec des réflexions morales*, simul cum omnibus scriptis, tam editis quàm edendis, in ejus defensionem.

Item Breve Innocentii XII anni 1699 *Cùm aliàs,* quo sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, prohibetur lectio et retentio libri Fenelonis : *Exposition des maximes des Saints*, etc.

Insuper Clerus Gallicanus, in pluribus suis Comitiis generalibus, multos alios præsertim impiorum libros prohibuit, ut videre est ap. *Cursum complet. Theologiæ* D. Migne, tom. 13, col. 1294;—et ap. Lequeux, nº 1358.

767. Imprimis memores sint sacerdotes quòd, testante ipsomet Lequeux (nº 310), fuerit apud nos « usu recepta lex » quæ requirit, pro libris ex professo de religione trac- » tantibus, approbationem Episcopi. » Hæc autem lex specialiter fuit innovata in hâc provinciâ per ultimum Concil. Avenionense (1849) in quo dicitur (tit. 1, cap. 5) : « Nulli ex ordine *Clericali* liceat imprimere, vel impri- » mendos tradere quosvis libros de Bibliis, dogmatibus, » morali christianâ, et disciplinâ ecclesiasticâ tractantes, » quin priùs examinati atque probati fuerint ab Ordi- » nario. »

Diligenter quoque avertant fideles à lectione pravorum librorum, prout eos monet idem Concil. (cap. 7), et « ar- » ceant eos à lectione diariorum (*journaux*), pagellarum » (*feuilletons*), et aliorum id genus scriptorum quæ quoti- » dianis aggressibus, ad religionem, pietatem ac bonos » mores ex omnium animis eradicandum collineant. »

Pastores « summopere caveant ut (populi sibi commissi) » abstineant à legendis versionibus (Scripturarum) hæreticâ » labe infectis, vel suspectis, aut non sat probatis (*ib.*, » cap. 3)...

» ... Enixè commendatur fidelibus ut ab aliis quoque abs- » tineant perlegendis libris et scriptis, quæ licet de rebus

» ad pietatem pertinentibus agant, nullâ tamen authenticâ » approbatione muniuntur, sed et cunctos sacerdotes, » quibus incumbit animarum cura, nec non scholarum » magistros ac moderatores volumus admonitos, ne in » familiis sibi subjectis introduci permittant libros de reli- » gione vel moribus tractantes, quos legitima non sancivit » auctoritas. » (*Ibid.*, cap. 6, 2°.) Similia habent plura alia Concilia. Vid. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 526-531.

768. Est etiam adhuc notandum ab ipsis Gallicanis concedi decreta S. Sedis circa prohibitionem librorum, quatenus sunt doctrinalia, seu quatenus declarant falsam et perversam doctrinam in libris prohibitis contentam, habere ubique vim obligandi, quâcumque promulgationis formâ fidelibus innotescant; proinde fideles omnes iis debere internum obsequium : « Nulla est lex, inquiunt, aut con- » suetudo, quæ eximere possit ab illâ obligatione jure » divino inducta. » Vid. *Curs. complet.*, ut supra, col. 1289; et dicta supra (22, in notâ 1)[1]. Cf. App. XIII.

IV

CONGREGATIO CONCILII TRIDENTINI INTERPRES.

769. Curam suas implendi præscriptiones decretaque sua interpretandi, ad Sedem Apostolicam remiserant Patres Tridentini. Ut eorum votum efficaciùs impleret, Piis IV Congregationem instituit ex Cardinalibus qui Concilio Tridentino interfuerant conflatam, cuique datum fuit nomen : *Congregatio Concilii Tridentini interpres.*

Primùm quidem huic Congregationi solùm decreta Tridentina exequendi officium demandatum fuerat; sed S. Pius V, qui Pio IV successit, ipsi insuper dedit potestatem

[1] Erat etiam et specialis Index hispanus librorum prohibitorum ab auctoritate ecclesiastica; qui tamen dicendus est hodie amplius non obligare, ut constat ex epistola S. C. S. Officii ad Archiepiscopum Vallisoletanum : Emi Dni cardinales.... in Congregatione generali feriæ IV die 17 mensis Augusti 1892, SSmo Dno Nostro adprobante, respondendum mandarunt : « Standum unice Indici Romano librorum » prohibitorum ejusque regulis, et prohibendas esse novas Indicis » Hispani editiones. »

illa decreta interpretandi in iis quæ ipsi clara viderentur; et Sixtus V, per Bullam *Immensa*, hanc facultatem extendit etiam ad ea quæ dubia forent, Ipso tamen prius consulto, sed hoc tantùm quoad morum et disciplinæ decreta: Pontifex enim Sibi et Successoribus reservavit interpretationem decretorum fidei. Ipsi quoque contulit potestatem statuendi pro universâ Ecclesiâ quæcumque opportuna viderentur quoad disciplinam, juxta præscriptum Concilii Tridentini. Vide supra (96).

Ad Congregationem Concilii, vel ad Rotæ auditorium privativè spectant Causæ Matrimoniales, vel Nullitatis Professionis religiosæ ad S. Sedem delatæ (Constit. *Justitiæ*, 9 oct. 1746, et Const. *Si datam*, 4 martii 1748, Bened. XIV). Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 170.—Enumerationem causarum quæ ad Congregationem Concilii pertinent, vide ap. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 515-523.

Congregationi Concilii Tridentini commissa quidem fuit insuper cura expendendi acta et decreta synodorum provincialium, audiendi super eorum Ecclesiæ statu Episcopos Limina Apostolica visitantes; sed pro hujusmodi expendendis speciales Prælatorum sectiones efformatæ fuerunt, ut supra diximus (720).

Componitur autem Congregatio hoc pluribus Card. et Consultorib. præter Secretarium qui de numero Prælatorum est. Cardinalis, qui ei præficitur, negotia dirigit et subscribit ipsius decreta quæ etiam subscribenda sunt à Secretario, et sigillo Congregationis munienda ut fidem faciant.

Vide Bouix circa librum Decretorum et Thesaurum resolutionum qui habetur tanquàm authenticus (*De Curiâ romanâ*, p. 182, 337, etc.), supra dicta (96-102).

V

CONGREGATIO SUPER NEGOTIIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

770. Distincta erat initio Congregatio Episcoporum à Regularium Congregatione. Prior instituta fuerat à Gregorio XIII, posterior verò à Sixto V, qui deinde per Constit. *Immensa* eas coadunavit, ut negotia tum Episcoporum tum Regularium simul ab eâ unicâ expedirentur.

Omnia Episcoporum et Regularium negotia ad hanc Congreg. referri possunt, modò non indigeant interpretatione Decretorum Tridentinorum, nam in hoc casu Congregationi Concilii reservantur. Ad Congregationem Episcoporum et Regularium pertinet mittere visitatores quando opus est, et Vicarios Apostolicos ad diœceses in quibus Episcopi non valent suas functiones pastorales implere. Ad ipsam quoque Pius VII appellationes in causis criminalibus, per Const. *Post diuturnas* detulit (Vid. *Analecta jur. pontif.*, 15e livr., col. 2258; et Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 529). Hæc Congregatio dicitur à Card. De Luca *occupatissima, atque in negotiorum multitudine omnium major.*

Constituitur, sicut præcedens, nempe Cardinal., Secret. et Consult.: prioribus vero in numero quem Pontifex judicat magis expedire, et qui tamen non solet esse infra 12. Ipsius Decreta, ut fidem faciant, subscribenda sunt tum à Cardinali Præfecto tum à Secretario, et sigillo Congregationis sunt munienda.

771. Duæ sunt aliæ Congregationes pro Regularibus institutæ, et quæ sunt quasi appendices præsentis: una nempe *Super disciplinâ regulari*, ab Innocentio XII, anno 1698, creata (V. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 531); et altera, anno 1846, a Pio IX *Super statu regularium*. Plura decreta recenter edita fuêre ab istâ ultimâ, videlicet circa receptionem novitiorum, circa testimoniales litteras ab Ordinariis requirendas, circa examen eorum qui ad habitum recipiuntur, et tandem Decretum quo statuitur, ut peractâ probatione, simplicia tantùm vota emittantur, et nonnisi post tres annos, vota solemnia. De his omnibus sermo erit infra, tractando de Regularibus. Vide D. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 192-218.

VI.

S. CONGREGATIO RITUUM.

772. Instituta fuit à Sixto V per Bullam *Immensa :* « Hæc
» præcipuè cura (Cardinalibus hujus Congregat.) incum-
» bere debeat, inquit Pontifex, ut veteres ritus sacri, ubivis
» locorum, in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, etiam in

» Capellâ Nostrâ Pontificiâ, in missis, divinis officiis, sacra-
» mentorum administratione cæterisque ad divinum
» cultum pertinentibus, à quibusvis personis diligenter
» observentur; cæremoniæ, si exoleverint restituantur,
» si depravatæ fuerint reformentur; libros de sacris ritibus
» et cæremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Cæremo-
» niale, prout opus fuerit, reforment et emendent; officia
» divina de sanctis Patronis examinent, et Nobis desuper
» consultis, concedant; diligentem quoque curam adhi-
» beant circa SS. Canonizationem, festorumque dierum
» celebrationem, ut omnia ritè et rectè et ex Patrum ins-
» titutione fiant. »

Non solùm Cardinalibus, in numero qui hodie S. Pontifici placet, coalescit hæc Congregatio, sed quàmpluribus aliis Prælatis, quorum sunt Primus et Secundus Magistri cæremoniarum Papæ, Promotor fidei, unus Protonotarius Apostolicus, ac etiam aliqui religiosi et præ cæteris Magister *Sacri Palatii* et Sacrista Papæ, prior Dominicanus et posterior ex Eremitis S. Augustini, et tandem alii sex cæremoniarum magistri. Unus ex Prælatis est Secretarius.

Quando autem agitur de causis Beatificationis et Canonizationis SS., interveniunt multi alii Prælati, Consultores, etc., prout infra dicemus loquendo de Canonizatione SS. (R. de M., t. 1, p. 295).

773. Hìc non est prætermittenda Declaratio S. Congr. Rit. data 23 mai 1846 : « An decreta a S. Congreg. emanata,
» et responsiones quæcumque, ab ipsâ propositis dubiis
» scripto formaliter editæ, eamdem habeant auctoritatem
» ac si immediatè ab ipso S. Pontifice promanarent, quam-
» vis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ? »
S. Congreg. respondit « *Affirmativè*, et factâ de præ-
» missis omnibus Sanctissimo D. N. Pio IX Pontifici Ma-
» ximo relatione, Sanctitas Sua rescripta à Sacrâ Congrega-
» tione in omnibus et singulis approbavit confirmavitque. »
Apud Gardellini [1].

[1] Ordinarius strictè « tenetur providere ut Rubricæ et Sacræ Rituum » Congregationis Decreta fideliter serventur. » S. R. C., 17 sept. 1822, Ap. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 535.

774. *Nota* hic quòd editio Gardelliana declarata fuit authentica. V. Bouix, *De Curiâ Romanâ,* p. 355; et Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 577.

775. Decreta verò S. Cong. Rit. alia sunt generalia, sive *expressè Urbi et Orbi*, sive *æquivalenter*, quando nempe solvitur dubium circa aliquam rubricam jus commune facientem; alia sunt particularia, si v. g. solvatur dubium circa aliquod privilegium. Porrò etiam decreta *æquivalenter* generalia, ubique obligant, etsi non fuerint promulgata, si sint comprehensiva. Vid. Bouix, *De Curiâ Romanâ,* p. 357; *De Jure Liturgico,* p. 152; — Herdt, *Sacræ Liturgiæ,* etc., p. 1, n° 3; — Stremler, *ibid.*, p. 574-577; — et dicta supra (100, 101) [1].

776. Nota adhuc quòd inveterata quæcumque consuetudo non possit derogare legi à decretis S. Congr. Rit. præscriptæ. Ita decisum 3 aug. 1839, in causâ Triventinâ (*Revue des sciences ecclésiast.*, n° 2, p. 122; Stremler, *ib.*, p. 533; et ap. Herdt, part. 1, n° 4, II).

Econtra, eadem decreta contrariæ consuetudini derogant. Ita decisum à S. Congr. Rit., 11 sept. 1847, in Angelopolitanâ (Tlascala). *Revue*, ibid., p. 121. — Obstare nequit cap. *Licet*, *de Constit.*, in 6°, ubi dicitur S. Pontificem non derogare privatis consuetudinibus nisi de iis mentionem faciat : nam decreta S. Rit. Congregationis pronuntiant circa sensum legis jam existentis, contra quam consuetudo etiam inveterata, ut modo diximus, prævalere non potuit. Vid. D. de Conny, *Des usages et des abus en matière de cérémonies,* chap. 3, p. 14; — et *De Synodo diœcesanâ*, lib. 9, cap. 8, n° 3.

Ut valeant consuetudines contra Missale et Cæremoniale, expressè approbari debent. *Revue des sciences ecclés.*, n° 19, p. 77 [2].

[1] « An Prælati, Archiepiscopi et Episcopi possint esse judices ad de» claranda dubia super sacris ritibus et cæremoniis? Resp. negativè. » (S. R Cong., in Viseo, 1605.) Vide Stremler, *ibid.*, p. 535.

[2] « An Pontificalis, Cæremonialis Episcoporum, Martyrologii et Ritua» lis Romani præceptivas regulas, tolerante nempe aut permitte» etiam quidpiam aliter statuente RR. Episcopo, canonici aliive

VII

CONGREGATIO JURISDICTIONIS ET IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ.

777. Erecta fuit, juxta Card. De Luca, circa initium Pontificatûs Urbani VIII. Conflatur certo numero Cardinalium, prout Papa expedire judicat, et ex pluribus Prælatis, quorum quatuor sunt fixi et stabiles, nempe Secretarius, unus ex Auditoribus Rotæ, unus ex Prælatis clericis Cameræ, et tandem Advocatus fiscalis. Cæteri sunt ad libitum.

Cognoscit hæc Congregatio potissimùm de rebus ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinentibus, et de Immunitatibus personalibus et realibus. Vide R. de M., t. 1, p. 297.

VIII

CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET RELIQUIARUM.

778. Instituta fuit à Clemente IX per Breve *In ipsis Pontificatûs*, « ut sacri Indulgentiarum Thesauri curæ et » dispensationi sacrarumque reliquiarum recognitioni, dis» quisitioni et rectæ dispositioni peculiariter incumberet. »

Constat Cardinalibus, Prælatis aliisque viris à Papâ electis et deputatis, « cum facultate omnem difficultatem, ac » dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emer» gentem... expediendi; falsas, apocryphas, indiscretasque » indulgentias..., Nostrâ (*Papæ*) seu illius auctoritate reji» ciendi. »

Consuli debet Pontifex in gravioribus et difficilioribus quæstionibus : solutio autem dubiorum ad dogma pertinentium, ad solum Papam pertinet. Vide *Analecta jur. pontif.*, 15e liv., col 2271.

779. Ex decreto hujus Congreg., 19 jan. 1756, innovato 14 ap. 1836, omnes qui impetrant à Papâ concessiones generales Indulgentiarum, tenentur sub pœnâ nullitatis, exemplar earumdem concessionum ad Secretarium

» dotes possint, illæsâ conscientiâ, infringere aut omittere, atque Reve» rendissimi Episcopi voluntas, his in casibus, sit pro ipsis sufficiens » dispensatio? R. Negativè *et ampliùs.* » (S. R. Congr., 10 jan. 1852.) Ap. Stremler, *ibid.*, p. 535.

ejusdem Congregationis deferre. Vide insuper supra dicta (754). Rescripta quæ à S. Sede fuerunt obtenta in gratiam fidelium, ostendi debent Ordinariis locorum, ut recognoscantur antequam iis utatur possidens (Concil. Trident., sess. 21, cap. 9); hoc tamen non requiritur sub pœnâ nullitatis, juxta auctorem *Prælect. S. Sulpitii*, n° 101, et D. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 238; secus est dicendum de rescriptis in gratiam privati vel familiæ obtentis, pro quibus minimè requiritur ut Ordinario ostendantur. Vide infra dicenda (1564, 1565, 1566).

Non ad Congregationem Indulgentiarum hodie est recurrendum pro obtinendis ipsarum indulgentiarum indultis, sed ad Secretariam Brevium; ad Congregationem autem Indulgentiarum recurritur pro solvendis circa ipsas indulgentias dubiis, pro examinandis libris in quibus colliguntur, pro extirpandis abusibus, etc. V. P. Maurel, *Chrét. écl. sur la nat, des Ind.*, 4e éd., p. 120; P. Beringer, *les Indulg.*, et præsertim *Decreta* et *Rescripta authent. S. C. Indulg.*

IX

CONGREGATIO PROPAGANDÆ FIDEI.

780. Instituta fuit à Gregorio XV per Const. *Inscrutabili* 22 jan. 1622, et coalescit Cardinalibus, in numero qui placet S. Pontifici, aliisque Prælatis ac inferioribus Officialibus; ei præficitur unus Cardinalis, et pro Secretario Prælatum habet.

« Munus ejus est distribuere terras evangelizandas inter diversos missionarios, et eos ibi transmittere cum amplissimis facultatibus, proponere S. Pontifici aliquos eorum ut creentur Episcopi vel solùm Vicarii aut Præfecti Apostolici, decernere de variis negotiis, quæ nonnunquam exurgunt inter missionarios variorum ordinum et Ordinarios locorum. »

« Insuper... resolvit quæstiones, vel casus conscientiæ qui proponuntur à missionariis, et ad eos mittit instructiones, ordinationes, etc., prout id exigit bona rerum administratio. » Ita Lequeux, n° 203.

781. Huic adjecit Urbanus VIII Collegium seu Semina-

rium speciale sub eodem nomine *Propagandæ fidei,* in quo educantur adolescentes variarum gentium, infidelium, qui deinde in suas regiones fidem disseminent; habet etiam celebrem officinam typographicam, in quâ prælo mandantur libri cujuscumque idiomatis pro missionum usu.

782. De auctoritate dictæ Congregationis quosdam errantes, sic confutat Pius IX, in suâ Constit. 9 maii 1853: « Nihil verò inanius quàm quòd, ad captivandam fidelium » simplicitatem, jactitare feruntur hi presbyteri permulta » esse quæ statuta sunt, non ab Apostolicâ Sede et à Ro- » mano Pontifice, verùm, eo inscio, à S. Cong. de Pro- » pagandâ fide, sancita; nonnullaque haud attendenda, » eo quòd civilis auctoritatis placitum defuerit... S. Con- » gregationem Nostram, nonnisi Apostolicæ Sedis minis- » tram esse nôrunt omnes. Putidum verò impiumque com- » mentum illud est, Apostolicæ Sedis divinitus collata jura, » ac traditum a Christo Domino supremi regiminis in » Ecclesiâ clavum et potestatem, humanis placitis nutibus- » que arctari, præscribi aut immutari posse. » V. Bouix, *De Curiâ Romanâ,* p. 233, etc.

Suis litteris Apostolicis 6 januar. 1862, Pius IX Congregationem de Propagandâ in duas divisit partes: unam pro ritu Latino, et aliam pro ritu Orientali (Vide diar. *Monde*, 18 janv. 1862).

X

CONGREGATIO PRO UNIVERSITATE STUDII ROMANI.

783. Etsi ex suo titulo hæc Congregatio videatur instituta pro solâ Urbe, attamen etiam in gratiam aliarum Universitatum et Collegiorum totius orbis christiani subsistit. Creata autem fuit à Sixto V per Constit. *Immensa.*

« Eidem Congregationi imponimus, inquit Pontifex, ut » earumdem Universitatum (Catholicarum), atque ad eas » pertinentium negotiorum apud Sedem Apostolicam » curam gerat, illarumque necessitates *Nobis Successori-* » *busque nostris* ordine exponat, ut ex paternâ charitate » opem et auxilium afferre valeamus, easdemque inter- » dum per litteras visitet, etc. »

Instaurata denuò fuit hæc Congregatio à Leone XII, anno 1824, eique amplissimæ facultates ab eodem Pontifice concessæ fuêre pro omnibus collegiis et scholis Statûs Ecclesiastici. V. *Analecta jur. pontif.*, 15ᵉ livr., col. 2263.

XI

DE ALIIS CONGREGATIONIBUS.

784. Præter Congregationem *pro examinandis Episcopis*, a SS. Pontificibus Gregorio XIV et Clemente VIII institutam pro his regionibus in quibus designati ad Sedes Episcopales huic examini subjacent, et quæ constat certo numero Cardinalium, Prælatorum, professorum juris canonici et theologiæ (V. *Analecta*, 15ᵉ livr., col. 2266); præter alteram Congregationem *Super residentiâ Episcoporum*, ab Urbano VIII institutam (Stremler, p. 499), quæque haberi potest ut dismembratio Congregationis Concilii (*ibid.*, 523); et Congregationem *super extraordinariis negotiis ecclesiasticis*, quæ anno 1814 à Pio VII fuit instituta (Vide Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 236; et Stremler, *Des peines ecclésiastiques*, p. 495), sunt et plures aliæ Congregationes, quæ non respiciunt Universalis Ecclesiæ regimen, sed bonum temporale vel spirituale, aut solùm Urbis Romæ et Statûs Ecclesiastici, v. g. quæ institutæ fuêre *pro consultationibus negotiorum Statûs Ecclesiastici*, aut *pro curandis viis*, *aquis et pontibus in eodem Statu*, *pro typographiâ Vaticanâ*, etc., aut alterius nationis, v. g. *pro correctione librorum Ecclesiæ Orientalis*. De his nihil à nobis est dicendum.

785. Observandum est solùm, circa omnes has Congregationes, quòd habeant potestatem ordinariam, in iis quæ ipsis à Constitutionibus Apostolicis attribuuntur. Imò idem tribunal faciunt cum S. Pontifice, proindè ab iis ad Papam non potest appellari [1]. Nec earum jurisdictio ordinaria,

[1] « Le canoniste Garcias cite une lettre de la Sacrée Congrégation » du Concile, dans laquelle il est dit qu'on doit faire le même cas de » ce que cette Sacrée Congrégation écrit, que si le Pape l'écrivait » lui-même. Or, sous ce rapport, les Congrégations sont toutes sur le

sede vacante, expirat; formas autem summarias et extrajudiciarias in suis judiciis observant. Vide *Analecta jur. pontif.*, 16e livr., col. 2369, etc.; Stremler, *Des peines ecclésiastiques*, p. 510, 541, etc.; — et supra dicta (97-103). Earum jurisdictio, utpote Papalis, est supra canones, et in iisdem potest dispensare. Stremler (*ibid.*, p. 589).

786. Aliquando in decisionibus SS. Congreg., adhibentur verba *et ampliùs* (cujus rei exemplum potest videri supra in decisione relatâ ad finem, n° 776, in notâ). Hæc autem verba significant: et *causa ampliùs non proponatur* [1]. Verba verò *et non concedatur*, designant concedendam non esse novam causæ propositionem. V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 227.

Nota adhuc quòd, in pluribus Congregationibus, unus è Cardinalibus designetur pro faciendâ negotiorum tractandorum relatione: hic Cardinalis nomine *Ponentis* solet nuncupari (V. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 502).

787. Non solent Congregationes admittere recursus qui solummodo fiunt per missionem epistolarum; sed supplex libellus in unâquâque earum Secretariâ præsentari debet de manu ad manum, per Agentem vel alium quemdam qui deinde rescriptum vel responsionem requisiturus sit. Supplicatio verò ad Papam dirigi debet sub his verbis: *Beatissime Pater*. Mox, sed in lineâ infra positâ, inscribenda sunt nomen, qualitates, diœcesis et patria supplicantis; deinde, nullâ determinatâ formâ necessariò adhibendâ, sed stylo nitido et convenienti, simpliciter exponitur petitionis objectum. Cura autem hujusmodi supplicationes conficiendi committi potest solitis Agentibus, qui stylum et formas in eis ordinariè observandas accuratè dignoscunt. V. Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 609.

Si recursus habeatur pro negotio contentioso, vide apud eumdem quomodò causa sit introducenda.

» même pied d'égalité; et ce qui est vrai de l'une d'elle, l'est aussi des » autres. » Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 509, et supra dicta (98 et 99).

[1] Attamen Cardinalis Præfectus, rescripto à se subscripto, potest hanc clausulam *et ampliùs* tollere. V. Stremler, *ibid.*, pag. 589.

PUNCTUM II.

DE TRIBUNALIBUS ROMANIS.

788. Hoc nomen tribuitur quibusdam Institutis, quæ certa negotia ecclesiastica, sive gratiosæ sive contentiosæ jurisdictionis, expedire debent : hujusmodi sunt *Cancellaria, Dataria*, *Pœnitentiaria* et *Rota.*

I

CANCELLARIA ROMANA.

789. Inter tribunalia romana gratiosa, primum locum occupat *Cancellaria,* in quâ conficiuntur litteræ, quæ ad actus Consistoriales pertinent, videlicet provisiones Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, aliorumque qui in Consistorio instituuntur, habeturque ut *organum vocis mentisque Papæ.* Ei præficitur Cardinalis tituli S. Laurentii *in Damaso*, qui nuncupatur *Vice-Cancellarius*, et ipsum Cancellariæ palatium S. Laurentio contiguum habitat (Vide Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 622).

« Origo hujus officii... non est certa, inquit Zolwein (ap. » R. de M., p. 302); ad tempora Innoc. III quidam illam » reducunt. Olim tanta non erat dignitas.... Cancellarii » quanta est hodie... Bonifacius VIII creditur illud (munus) » demandasse Cardinalibus.....

» Est officium illud primariæ dignitatis, et Cancellarius » Aulæ Romanæ Ministros præcedit.... præest Protonotariis Apostolicis, Expeditoribus Brevium, Officialibus » quibus cura archivi est demandata, Auditoribus Rotæ, » Abbreviatoribus, Advocatis Consistorialibus, Secretariis, » Plumbatoribus, aliisque Ministris.

» Plures sub se habet Cancellarius officiales, quorum aliqui sunt *Prælati majores* annexam habentes prælaturam, quales sunt *Regens* Cancellariæ (hujus officium est revisere Bullas et manu propriâ corrigere) et duo » Præsidentes de *majori* vel *minori parco*, ita dicti à loco » Cancellariæ in quo conveniunt, qui vulgò *parco* dicitur.

» Sunt nempe duo Collegia in Cancellariâ, quorum primum » nuncupatur : Collegium Abbreviatorum *majoris præsi-* » *dentiæ* (numero undecim)', seu de *parco majore;* alterum » *minoris præsidentiæ* seu de *parco minori* » (qui nunc suppressi sunt, juxta Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 269). « Utriusque munus est resolvere quæstiones, dubia ac » controversias in Cancellariâ oriri solitas, circa positionem » clausularum in Bullis ; et sic sunt judices controversia- » rum omnium, quæ super expeditione et extensione Bul- » larum, potissimùm circa curialia, oriri possunt. Præter » hos sunt adhuc alii Officiales : Summista Cancellariæ, » Plumbator, Custos registri Bullarum, aliique.... qui in » Bullis revisendis, transcribendis, plumbandis, regis- » trandis occupantur. »

Suo nomine vocatur Cancellarius, quia rescripta, diplomata, etc., antequam sigillo muniantur, cancellare solet, id est, transversis lineis veluti cancellis, expungere et illinire. Ita Ferraris, v° *Cancellaria*, n° 35.

« Cancellariæ regulæ sunt certæ Constitutiones Aposto- » licæ, quas singuli Pontifices à principio sui regiminis, » circa causas beneficiales et judiciales, vel à prædeces- » soribus suis jam factas, renovare, augere, vel minuere » consueverunt; et solent esse 72, ut ad earum numerum » reduxit Clemens XI, in Constit... *Sanctissimus*... 1700.» Ferraris, *ibid.*, n^is 5 et 6. De earum auctoritate diximus in Prolegomenis (103). — Mortuo Papâ, ipso facto, suspenditur Cardinalis Vice-Cancellarii jurisdictio, et sigillum Pontificium coram Cardinalibus rumpitur. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 271.

790. Præter Cancellariam, in quâ expediuntur Bullæ pro negotiis consistorialibus, est et aliud tribunal pro rescriptis et litteris pontificiis, quæ in formâ Brevis sub annulo Piscatoris expediuntur, quod ideò *Secretaria Brevium* nuncupatur. Quale sit discrimen inter Bullas et Brevia diximus supra (49); quænam autem negotia expediantur sub formâ Brevium, vide explicatum apud Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 624). A Secretariâ Brevium expediuntur indulta pro applicandis indulgentiis crucibus, numismatibus, coronis

deprecatoriis, vel pro habendis oratoriis privatis, aut pro licentiâ in iis celebrandi, communicandi et Sanctissimum Sacramentum asservandi. Item à Secretariâ Brevium expediuntur pleraque rescripta gratiarum quæ à Datariâ conferuntur; Dataria enim supplicationes suscipit, eas examinat, gratiamque confert, sed ejus expeditionem ad Cancellariam, vel Secretariam, pro gratiæ naturâ, remittit; uno verbo, omnes provisiones, gratiæ, absolutiones, dispensationes à Papâ concessæ, quæ directè à certis Congregationibus non expediuntur, quando per Bullam expediri non debent, expediuntur in formâ Brevis per Secretariam Brevium (Stremler, *ibid.*).

Generatim ad vitandam omnem falsificationem aut suppositionem, antequam expediatur Breve quodcumque, in acta refertur et in archivis servatur hæc prima perscriptio (Stremler, *ibid.*, p. 625).

Secretarius Brevium est semper unus è membris Sacri Collegii (Stremler, *ibid.*).

II

DATARIA.

791. Ad epocham reservationum in materiâ beneficiorum, id est, ad tempus quo Avenione morabantur Pontifices referenda videtur *Datariæ* institutio : cùm enim supplicationes pro obtentione beneficiorum singulis momentis privatim obsignarentur à Papâ, et multùm expediret ad vitandas lites, servare *datam* hujusmodi concessionum, ideò officium fuit institutum cujus titularis Datarius, seu datas referens, vocatus fuit. Ipsi multi coadjutores et ministri adjuncti sunt, et hodie hoc tribunal constat ex *Datario* qui *Prodatarius* nuncupatur si sit, ut ferè semper accidit, de Cardinalium numero; *Subdatario* ac Præfecto *vacantiæ per obitum*, pluribusque aliis Officialibus inferioribus. Hi, manè singulis diebus convenientes, expendunt negotia S. Pontifici proponenda, supplicationesque à Sanctitate subscribendas; quo peracto, omnia Datarius ad Papam refert, ut approbet et concedat (Vide

Analecta jur. pontif., 15e livr., col. 2243; *Instit.* R. de M., t. 1, p. 401; et Stremler, *ibid.*, 620, etc.).

Ad Datariam communiter recurritur pro obtinendis dispensationibus super publicis impedimentis matrimonii et publicis irregularitatibus.

Vulgò à Datariâ exigitur pecuniæ summa, quæ dicitur *componenda*, et quæ à S. Sede in pias causas expenditur. De eâ dicturi sumus infra (1057, 1106). Vide etiam Carrière, *De Matrim.*, n° 1128.

Constitutione suâ *Gravissimum*, 6 decemb. 1745, Benedict. XIV determinavit quænam gratiæ et negotia per Datariam, quænam per Secretariam Brevium, et quænam per Pœnitentiariam expediri deberent (V. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 275).

Etsi Dataria soleat esse tribunal gratiosum, contingere tamen potest ut etiam per viam contentiosam procedat. Vide in quibusnam casibus hoc eveniat, ap. Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 621 et 622).

III

PŒNITENTIARIA.

792. Ad hoc tribunal recurri solet pro iis quæ spectant forum internum.

Etsi verisimiliter, etiam à primordiis Ecclesiæ, exstiterit in Ecclesiâ Romanâ, Pœnitentiaria, de eâ tamen specialis non fit mentio nisi primùm in epistolâ Innocentii IV è Lugduno scripta *Johanni dicto Romano Clerico Scriptori Pœnitentiariæ nostræ*. Bened. XII ei regulas præfixit quæ, saltem magnâ ex parte, adhuc observantur.

Antiquitùs etiam in publicis impedimentis et irregularitatibus dispensabat Pœnitentiaria, eique commissa erant ferè omnia negotia quæ nunc Datariæ Breviumque Secretariæ reservantur; sed à Pio IV ferè omnes ipsius facultates ad solum forum internum reductæ fuêre, et in quibusdam duntaxat casibus dispensat pro foro externo. Vide *Analecta jur. pontif.*, 15e livr., col. 2242, etc.

793. Pœnitentiaria coalescit ex uno *Pœnitentiario Majori*

qui de numero Cardinalium est, ex Pœnitentiariis minoribus qui de variis ordinibus selecti, in tribus Ecclesiis patriarchalibus Romæ, videlicet in Basilicis S. Joannis Laterani, S. Petri Vaticani et S. Mariæ Majoris suo munere funguntur.

Pro expediendis rescriptis, Pœnitentiario Magno adjungitur *Regens*, qui solet esse de numero Auditorum S. Rotæ, quique debet omnia negotia recognoscere et curare ut rectè et diligenter expediantur; adsunt insuper Theologus Sacræ Pœnitentiariæ, Doctor Decretorum seu Canonista, Datarius, Corrector, Sigillator, tres Procuratores, totidemque Scriptores, quorum omnium functiones facilè ex denominatione intelligi valent.

Causas referunt Procuratores; votum emittunt Theologi et Canonistæ; decretum verò editur nomine Pœnitentiarii Majoris. Non autem ad oratorem vel oratricem dirigitur, sed ad tertium, ad confessarium nempè, qui in formâ commissariâ super impedimento vel irregularitate dispensat aut absolvit (Vide *Instit.*, R. de M., tom. 1, p. 300).

Cùm frequens sit recursus ad sacram Pœnitentiariam, utile videtur hîc referre præcipua puncta Constit. *Pastor bonus* Bened. XIV, in quâ continentur facultates ipsi concessæ.

794. « I. Concedimus Majori Pœnitentiario nostro, ut » omnes et singulos cujuscumque qualitatis sæculares » ecclesiasticos, regulares, laicos, etc., ab omnibus et quibuscumque culpis et criminibus quantumcumque atrocibus, tam publicis quàm occultis, nec non ab omnibus » censuris, et pœnis ecclesiasticis, etiam in casibus nedum » Ordinariis, sed Nobis reservatis, injunctâ semper iisdem, » pro modo culpæ, pœnitentiâ salutari, et aliis quæ de jure » injungenda sunt, absolvere et absolvi mandare possit; » regulares nimirum à culpis et censuris in utroque foro; » ecclesiasticos verò sæculares, nec non laicos a prædictis » culpis et censuris in foro conscientiæ tantùm. Eosdem » verò ecclesiasticos sæculares, nec non laicos, tunc in » utroque foro absolvere et absolvi possit mandare, quando » agitur de censuris publicis latis à jure, præsertim Sedi

» Apostolicæ reservatis, etiam nominatim declaratis; vel si » agatur de latis nominatim ab homine... quando absolutio, » per eosdem judices aut alios, ad Sanctam Sedem remissa » fuerit; seu quando sic censurâ ligati, legitimè impediuntur quominus præsentiam judicum, vel illorum qui eos » sic ligârunt, aut alium aut alios, quos de jure deberent, » adire possint : ita tamen ut ab ejusmodi censuris ab homine latis absoluti, in suis congruis casibus respectivè, » judicato paruerint...vel, quamprimùm potuerint, pareant » et satisfaciant, alioquin in easdem censuras reincidant...

» II. Super quâcumque irregularitate et inhabilitate ex » quocumque delicto... et defectu proveniente, possit idem » Major Pœnitentiarius, in casibus tantùm occultis[1], et in » foro conscientiæ tantùm, et præviâ, in gravioribus causis, » maturâ discussione in signaturâ Pœnitentiariæ agendâ, » dispensare, vel dispensari mandare cum quibus expediens videbitur, ad hoc ut ordinibus initiari, vel in susceptis » ministrare et ad superiores ascendere, ac Dignitates.... » beneficia.... retinere...; nec non ejusmodi beneficia et » Dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus), » etiam post delictum assequi valeant...

» III. Titulos beneficiorum cum occulto vitio malè obtentorum convalidare... à compositione et condonatione » fructuum beneficialium... quovis modo malè perceptorum, in casibus non occultis abstineat; in occultis verò » poterit cum Gallis, Belgis, Germanis et ulterioribus » componere vel etiam condonare, injunctâ erogatione » eleemosynæ, ipsius Pœnitentiarii vel confessarii ab eo » deputandi arbitrio limitandæ : cum reliquis, Italis, Hispanis, etc., discretè compositionem concedere, pecuniis » inde redactis arbitrio nostro erogandis; pauperibus

[1] « Quoad clausulam *dummodo sit occultum*, censetur occultum, » si tantùm 7 et 8 in civitate id resciant : In oppidis verò, si 5, vel 6; » quam sententiam scriptores qui mentem sacræ Pœnitentiariæ probè » nôrunt, tuentur. Ben. XIV, *Inst.*, 87, § 45. Occultum impedimentum » Fagnanus censet illud quod nullo pacto probari potest. » Ferraris, vo *Dispensatio*, no 77. Sed V. Stremler, *Des peines ecclésiastiques*, p. 67-80, et infra dicenda (1780.)

» autem quorum inopia compositionem non admittit,
» possit condonare, injunctâ pro eorum viribus eleemosynâ,
» modo supra dicto.

» IV. Quoad malè ablata vel retenta, quando domini
» incerti sunt et casus occulti, partem aliquam delinquen-
» tibus pauperibus, si earum qualitate et necessitate pen-
» satis ita videbitur, remittere seu condonare..., residuum
» verò pauperibus distribui, vel in pia opera erogari, et
» quidem si fieri potest, in locis ubi illa ablata, extorta,
» vel usurpata sunt, mandare debet...

» Accipientes munera à regularibus, exceptis rerum
» medicinalium seu devotionis muneribus (sub variis
» conditionibus, restitutionis, eleemosynæ, etc.), absol-
» vere.

» V. Juramenta quæcumque, in quibus exploratum sit
» nullum agi cujusquam præjudicium, facultatem habeat
» in foro conscientiæ duntaxat relaxandi...

» Vota simplicia quæcumque, tametsi juramento firmata,
» etiam religionis, castitatis, visitationis Sepulchri Domi-
» nici, BB. Apostolorum Petri et Pauli, aut S. Jacobi, pos-
» sit in alia pietatis opera, dispensando, commutare, etiam
» ad effectum contrahendi matrimonii; item votorum
» implementum differre, et ab illorum transgressionibus
» absolvere, consideratis.... et injunctis quæ injungere
» Pœnitentiaria consuevit.

» Super recitatione divini officii, propter aliquam im-
» possibilitatem seu moralem difficultatem, dispensandi,
» cum commutatione in alias preces vel alia pia opera,
» earumque seu eorum injunctione, habeat facultatem. »

VI. In hoc numero amplæ regularibus conferuntur facultates ut ipsi, non obstantibus quibuslibet defectibus, possint suscipere ordines, vel assequi munia et prælaturas sui ordinis, ut apostatæ reconcilientur, ut gravi de causâ concedatur transitus ab unâ etiam arctiori, ad aliam laxiorem religionem, in quâ tamen vigeat observantia regularis.

« VII. In matrimoniis contrahendis possit Major Pœni-
» tentiarius, in foro conscientiæ tantùm, super impedi-
» mentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, dis-

» pensare : » v. g. in voto simplici castitatis, in sponsalibus occultis.

« At à dispensationibus concedendis super quoquo impe-
» dimento sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copulâ
» licitâ seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in
» foro conscientiæ tantùm, tametsi impedimentum sit oc-
» cultum, et periculum scandalorum immineat, in iisdem
» matrimoniis contrahendis abstineat. » Nunc in iisdem Pœnitentiaria cum pauperibus dispensat.

« In contractis verò matrimoniis, à dispensatione seu
» matrimonii revalidatione, in gradibus primo et secundo
» tantùm consanguinitatis vel affinitatis ex copulâ licitâ,
» etiam in occultis, pariter abstineat, præterquam si, in se-
» cundo tantùm gradu prædicto, impedimentum per decen-
» nium duraverit occultum, et oratores simul publicè
» contraxerint et convixerint, et uti conjuges legitimi
» reputati fuerint.

» In tertio autem et quarto gradibus occultis, in con-
» tractis possit dispensare, atque in eisdem tertio et
» quarto publicis, possit revalidare matrimonia, ex causâ
» subreptionis et obreptionis litterarum apostolicarum nul-
» liter contracta, præterquam si falsitas consistat in narra-
» tione præcedentis copulæ, quæ non intercesserat.

» Quod si aliqui oratores obtinuerint à nostrâ Datariâ
» dispensationem super gradu prohibito in primo et se-
» cundo, vel in secundo tantùm, ac in tertio vel quarto,
» cum reticentiâ copulæ inter eos secutæ, quam sinè ho-
» noris detrimento detegere non valeant, et ratione hujus
» reticentiæ petunt dispensationem pro matrimonio con-
» trahendo, seu revalidationem jam contracti, possit idem
» Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi
» dispensationem seu revalidationem in foro conscientiæ
» tantùm concedere, factâ, quando agitur de primo et se-
» cundo vel secundo tantùm gradu, compositione 50 duca-
» torum auri ad Datariam transmittendorum, ad effectum
» erogandi in eleemosynas..., nisi prior gratia expedita
» fuisset *in formâ pauperum :* quo casu, etiam hæc gratia
» similiter absque ullâ compositione expediatur.

» Si qui oratores, obtentâ dispensatione à Datariâ super
» impedimento primi et secundi duntaxat gradûs consan-
» guinitatis seu affinitatis, cum expressione quidem carna-
» lis copulæ, sed tacitâ occultâ et malitiosâ intentione in
» ipsâ copulâ habitâ *ad faciliùs obtinendam dispensationem*,
» pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad S. Pœniten-
» tiariam recurrant, possit Pœnitentiarius absolutè dispen-
» sare cum miserabilibus personis, cum iis verò qui non
» tanquam pauperes... dispensati à Datariâ fuerint, non
» dispenset, nisi solutâ priùs in Datariâ... taxâ definiendâ
» arbitrio Pœnitentiarii pensatis circumstantiis.

» Super impedimento occulto affinitatis ex copulâ illicitâ
» seu ex actu fornicatorio, quotiescumque adsit rationa-
» bilis causa, in matrimoniis tam contractis quàm contra-
» hendis, in foro conscientiæ dispensare possit.

» Super occulto impedimendo criminis adulterii, si fuerit
» cum fide datâ duntaxat, *neutro machinante*, commissum,
» possit tam in contrahendis quàm in contractis dispen-
» sare; si verò crimen fuisset, *utroque vel altero machi-*
» *nante* patratum, possit in occultis dispensare, raró tamen
» et quando necessitas postulaverit.

» Facultates præfatæ locum habent, etiamsi impedimenta
» multiplicia sint. Prolem, non tamen in adulterio concep-
» tam, possit legitimamdecernere.

» Ulteriùs super casibus quibusve occultis impedimenti
» ad petendum licitè debitum, dispensare valeat.

» VIII. Dubia omnia in materiâ peccatorum, seu forum
» pœnitentiale aliàs quomodolibet concernentia, cum con-
» siliodoctorum aut theologorum suorum valeat declarare. »

795. Directè (etiam *par la poste*) recurri potest ad Majorem Pœnitentiarium; idque valent tam pœnitens quàm confessarius; quomodo litteræ sint tunc exarandæ, vide ap. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 251. Superscriptio hæc ipsis apponitur : *Eminentissimo Cardinali Majori Pœnitentiario.* Intus verò sint hæc prima verba : *Eminentissime et Reverendissime Domine...* Vernaculâ linguâ conscribi possunt. In fine autem exprimi nitidè debent nomen, cognomen et locus illius ad quem responsio erit mittenda. Sic verò ter-

minatur : *Dignetur Eminentia Vestra reseribere ad N...*

796. Responsa Pœnitentiariæ aliquando non facilè possunt benè intelligi ob frequentes abbreviationes in iis adhibitas ; earum explicatio videri potest in opere gallico cui titulus : *Traité des dispenses*, par Compans, lib. 2, ch. 19 ; et præsertim in altero opere gallico : *Dictionnaire de Durand de Maillane*, v° *Abréviations* (hoc tamen opus cautè est legendum, quia pluribus gravibus erroribus contra sanam doctrinam inficitur). Hîc saltem quasdam ex abbreviationibus adhiberi solitis, referre et explicare utile ducimus : *alr*—aliter ; *abs*—absolutio ; *ao*—anno ; *aplica*—apostolica ; *aucte*—auctoritate ; *ben* aut *beneonem*—benedictionem ; *cen*—censuris ; *confeone*—confessione ; *coini*—communioni ; *consciæ*—conscientiæ ; *constibus*—constitutionibus ; *discreoni*—discretioni ; *dudo*—dummodo ; *eccle*—Ecclesiæ ; *exit*—existit ; *epus*—episcopus ; *excoc*—excommunicationi ; *gali*—generali ; *humoi*—hujusmodi ; *infraptum*—infra scriptum ; *igr*—igitur ; *innoti*—innodati ; *matrium*—matrimonium ; *mir*—misericorditer ; *ordibus*—ordinationibus ; *pœnia*—pœnitentia ; *saluri*—salutari ; *quatus*—quatenus ; *sen*—sententiis ; *ten*—tenore ; *sartum*—sacramentum, etc. Vide insuper Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 366.

797. *Nota* quòd facultates Majoris Pœnitentiarii suspendantur quidem pro foro externo per obitum Pontificis, quando non agitur de regularibus et monialibus, sed subsistunt, etiam Sede vacante, quoad forum pœnitentiæ, ex Constit. Bened. XIV, *Pastor bonus*. Vide Ferraris, v° *Pœnitentiarius Major*, n^{is} 1-3.

Satis patet quòd indulta S. Pœnitentiariæ vim in foro interno tantùm habentia, rem intregram relinquant pro foro externo ; unde post ipsorum executionem sunt destruenda. Vide infra (1127).

IV

ROTÆ TRIBUNAL.

798. Juxta Du Cange, hoc nomen Rotæ venit a pavimento audientiæ in formam *rotæ* disposito (vide André

vº *Rote*). Sed alii aliter hanc denominationem explicant; et juxta Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 280, ortum habet à modo usitato Auditorum procedendi per *turnum*. Vide Stremler, *Des peines*, etc., p. 486, in notâ.

Olim, qui vocantur Auditores Rotæ, erant Capellani Papæ, qui in certis causis non consistorialibus, auditis à litigantibus momentis processûs (ex quo *Auditores* nuncupabantur) totum negotium S. Pontifici exponebant, qui ex eorum relatione sententiam proferebat.

Incertum est quo tempore Rotæ Auditores cœperint judicum partes adimplere; à quibusdam tamen assignatur epocha pontificatûs Joannis XXII. Eorum numerus indeterminatus fuit ante Sixtum IV, à quo ad duodecimum fuit reductus. Inter eos unus Germanus, unus Gallus, duo Hispani propter duo Castellæ et Arragoniæ regna, cæterique Itali.

Perdiu Rota habuit privilegium relationes processuum ad canonizationem SS. pertinentium faciendi; sed eo fuit privata ab Urbano VIII. Nunc ad illam referuntur appellationes causarum spiritualium de toto mundo, causarum verò civilium ex solo Statu Ecclesiastico, modò causæ, quando sunt privatæ, excedant summam 500 ducatorum, aut 24 ducatorum, quando sunt beneficiales.

799. Causæ autem publicæ, v. g. causæ præcedentiæ, quæ non unum, sed omnes Successores Dignitatis spectant, semper ad Rotam in causâ appellationis deferri possunt; sed, juxta Bouix, de nullis causis Rota potest cognoscere nisi de eis quæ ipsi à S. Pontifice committuntur (*De Curiâ Romanâ*, p. 280; et Stremler, *Des peines ecclésiastiques*, p. 488). Causæ verò criminales ad Rotam non deferuntur.

800. Quamvis sententiæ Tribunalis Rotæ sint magni ponderis, ob scientiam legum et integritatem judicum, non tamen eamdem habent auctoritatem ac sententiæ Congregationum Romanarum, et actus aliorum supra dictorum Tribunalium : Congregationes enim, prout jam diximus (785), et alia præfata Tribunalia eamdem personam et idem tribunal faciunt cum Papâ in iis quæ ipsis sunt attributa; unde non licet ab eorum sententiis ad Papam appel-

iare. Non autem res ita se habet quoad Tribunal Rotæ; habet quidem auctoritatem suam a S. Sede delegatam : imò juxta quosdam, ordinaria est ipsius jurisdictio; sed juxta omnes est Tribunal à Papâ distinctum; unde à Rotâ potest ad S. Pontificem appellari. Item Congregationes possunt aliquando, si expedire judicaverint, declinare à rigore juris, quia tanquam Papæ Vicariæ in canonibus valent dispensare; sed non item S. Rota, quæ tenetur semper suas sententias juri conformes reddere. Vide *Analecta*, 15e liv., col. 2241. Legem non faciunt pro inferioribus tribunalibus Rotæ sententiæ. Vide Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 487.

801. Quoad formas a Rotâ observandas in suis judiciis, vide *Analecta*, ibid., col. 2240;—R. de M., t. 1, p. 303; — et Stremler, *ibid.,* 489.

In divinis, Auditores Rotæ Papæ inserviunt tanquam Capellani et etiam tanquam Subdiaconi Apostolici. Decanus Auditorum mitram semper gestat. Vide alia ap. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 231. — Ab anno 1870 Rota silet.

§ III.

De Ministris S. Pontificis extra Curiam Romanam.

802. Hi sunt, ut jam diximus, Legati, Nuntii, Vicarii et Præfecti Apostolici, Commissarii, etc.

Circa jus SS. Pontificum Legatos mittendi, legendum est Breve Pii VI ad Archiepiscopum Coloniensem, 20 jan. 1789, ap. André, v° *Nonce*, et apud Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 580.

PUNCTUM I.

DE LEGATIS ET NUNTIIS.

803. Legati suum nomen trahunt ex eo quòd publicè emittantur seu ablegentur (Vide Reiffenst., l. 1, tit. 30, n° 2).

Antiquitus triplici modo mittebantur Legati, vel pro negotio transitorio quamvis gravi, et tunc simpliciter *Legati*

missi vocabantur; vel pro omnibus negotiis quæ in certis Ecclesiæ partibus oriebantur, et tunc *Apocrisiarii seu Responsales* nuncupabantur, et horum originem Hincmarus Rhemensis a tempore Constantini Magni deducit (Card. Soglia, *Inst. jur. pub.*, § 37); vel denique eligebatur a Pontifice quidam ex Episcopis regionis quæ a Legato erat administranda, et tunc *Vicarius* dicebatur *Apostolicus* (*Inst.*, R. de M., p. 304); talis fuit « Vicariatus Thessalonicensis » in Illyrico, Arelatensis in Galliâ. At sæculo IX Vicariatus » apostolici rariores evaserunt, ex iisque originem suam » duxerunt *Legati nati* qui Ecclesiarum suarum prætextu, » legationis sibi vindicant Dignitatem... quæ... sinè novâ » Apostolicæ Sedis concessione in successores transiret. » (Card. Sogl., *ib.*) Vide infra (807).

804. Nunc verò « alii sunt *Legati nuntii et non judices*, » ut illi quos sæpe Papa mittit ad aliquod *nudum ministerium* exercendum; alii verò sunt *Legati judices*, quos » Papa mittens facit Ordinarios in certâ provinciâ. Et de his » posterioribus tractat præsens titulus (*Decretalium*), » non de prioribus (Reiffenst., *ib.*, n° 4.)

» Legati judices... sunt in triplici differentiâ, videlicet *Legati à latere*, *Legati missi* seu *Nuntii Apostolici* » et *Legati nati*. » (Reiffenst., *ib.*, n° 6.)

805. « Legati *à latere*, inquit Devoti (lib. 1, tit. 3, » sect. 2, § 30), sunt Cardinales quos S. Pontifex quasi ex » suo dimissos latere [1].., aut ad Supremos Principes, aut » in ditionis ecclesiasticæ provincias mittit. Hi supra cæteros Legatos eminent; eorum in provinciam adventu, » silet aliorum Legatorum potestas (cap. 8, *de off. Leg.*). » Utuntur Apostolicis Insignibus (cap. 23, *de Priv.*); absolvunt excommunicatos propter violationem clericorum » (cap. 9, *de off. Leg.*), et amplissimâ fruuntur potestate » quam describunt Litteræ Apostolicæ, per quas munus » Legationis accipiunt. »

806. Legati *missi* seu Nuntii Apostolici de Cardinalium numero non sunt, sed à Papâ mittuntur ad Supremos

[1] Cardinales ad latus Pontificis assistunt, et sic dum mittuntur, quasi à latere extrahi videntur (Ferraris, v° *Legatus*, n° 9).

Principes, ut in eorum regnis munus Legationis obeant : « Eorum potestas, inquit Devoti (*ib.*, n° 31), definitur » Litteris quibus ipsis à S. Pontifice officium commisum est, » neque Legato *misso* adhibetur fides, nisi is primùm Lit- » teras ipsas protulerit. »

« Licet, inquit Reiffenst. (*ib.*, n° 9), quicumque clerici » possint à Papâ constitui tales Legati seu Nuntii Apos- » tolici, prout liquet in S. Francisco Xaverio..., ordinariè » tamen nonnisi Prælati, in quibus est spiritus Dei ac » scientia legis, ad id muneris deputantur. »

Qui resident apud Supremos Principes dicuntur *Nuntii Apostolici*. Qui verò commorantur in locis quibus Princeps non adest, vel suum munus modo tantùm provisorio exercent, *Internuntii* appellantur.

807. Legati *nati* ii dicuntur quorum Dignitati quam in Ecclesiâ obtinent, Legationis officium est annexum, ita ut Legati fiant statim ac Dignitatem consequantur; ejus generis erant illi qui antiquitùs vocabantur *Vicarii Apostolici* [1]: qualis fuerat Anysius Thessalonicensis Episcopus, quem Innocentius I, *Prædecessores suos Apostolicos* imitatus, ut ipse ait, Vicarium suum seu Legatum constituit, eique commisit causas omnes quæ per totum Illyricum orirentur (*Epist.* 1, *ad Anys.*). In idem munus electi fuêre Anysii Successores (Devoti, *ib.*, § 29, n[is] 2-3). Tales item Vicarii pro totâ Galliâ fuerunt constituti Episcopi Arelatenses ut constat ex Epist. Zozimi (5 et 6 ad Hilar. Episc.) et Gregorii Magni Epist. 54 (*Ad univer. Epis. Gall.*). Devoti, *ib.*

Legati Nati erant in Galliâ Archiepiscopi Remensis, Bituricensis et Lugdunensis; in Hispaniâ, Toletanus et Bracarensis; in Angliâ, Cantuariensis et Eboracensis; in Germaniâ, Salisburgensis (*Saltzbourg*); in Italiâ, Pisanus, etc. Vide varia capitula jur. canon., à R. de M. et Reiffenst., citata. Hujusmodi legatorum potestas à sæculo XV penitùs extincta videtur, et certè post Concordatum anni 1801 in Galliâ non subsistit. Vide Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 634.

[1] Cuilibet tamen Episcopo in eâ Sede succedenti conferebatur a S. Sede munus Vicarii Apostolici, juxta Bouix *De Curiâ Romanâ*, p. 628; sed contrarium asserere videtur, p. 655.

808. Quærit. 1° Quibusnam cum insignibus et cæremoniis procedant Legati *à latere?*

Resp. Statim ac hujusmodi Legati à Româ vel civitate in quâ Papâ residet, exeunt, purpureis vestibus, more regum, equo albo seu palafredo, frenis ac calcaribus deauratis ornati procedunt : ad fines suæ Provinciæ devenientes, sono campanarum à clero populoque solemnissimâ pompâ sub baldachino, erectâ eorum cruce, sunt excipiendi. Coram eis Archiepiscopi suam crucem nequeunt erigere, nec ipsis aut Episcopis aliisque Prælatis licet populum benedicere, imò cæteri Legati insignia sua deponunt. Ingredienti Legato ecclesias Episcopus aspersorium porrigit ejusque manus osculatur. Vide André, v° *Légat;* et *Cæremoniale Episcoporum.*

Quænam autem cæremoniæ sint observandæ quando Legatus *à latere* Missæ Pontificali assistit, vide expositum apud *Analecta*, janv. 1856, col. 1932, ubi refertur decretum 16 decemb. 1837.

809. Quærit. 2° Quænam sint facultates Legatorum et Nuntiorum?

Resp. Omnes Legatos Pontificios in Provinciâ suæ Legationis ordinariam habere jurisdictionem, quæ per mortem Papæ delegantis non expirat, tametsi nondum eam exercere cœperint, nec Provinciam suam ingressi fuerint. Desumitur ex cap. *Legatus*, *de off. Leg.*, in 6°.

Ante Concilium Trident., Legati et Nuntii causas suorum provincialium, non tantùm in casu appellationis, sed etiam in primâ instantiâ cognoscere poterant (cap. 1, *de off. Leg.*). Sed à dicto Concilio (sess. 24, cap. 20, *de reform.*) sublata fuit hæc potestas, et Ordinariis locorum causæ ecclesiasticæ in primâ instantiâ fuerunt reservatæ, excepto casu negligentiæ quæ per biennium saltem duraverit.

Nullus Legatorum, nequidem *à latere*, potest, inconsulto Papâ, tractare majores Ecclesiæ causas. Ita communis et certa sententia, inquit Reiffenst., lib. 1, tit. 30, n° 23... Legatus etiam *à latere* nequit Episcopum transferre ab unâ Ecclesiâ ad aliam (c. *Nisi speciali, de auctorit. et usu Pallii*).

Legati *à latere* ampliores habent potestates quàm cæteri

Legati; in quibusnam autem differant, vide dictum apud Card. Soglia, *Inst. jur. pub.*, p. 286, etc.

Quid autem jure ordinario præcisè valeant Legati tàm *à latere* quàm alii seu Nuntii, longum esset recensere. Vide de his Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 640; André, v° *Légat.*, et *Inst.* R. de M., p. 307. Imò facultates ipsis concessæ, Nuntiis saltem, magis ex Litteris suæ commissionis quàm ex jure aliquo fixo et constanti æstimandæ sunt. Vide Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 2, § 30 et 31; *Inst.* R. de M., p. 309. Et idem asserit D. Bouix, *de Legatis à latere* (*De Curiâ Rom.*, p. 644 et 648).

« Nec ex quo dicatur, quòd Nuntii et Legati possint in » suis Provinciis omnia quæ possunt Episcopi in suis » Diœcesibus, sequitur quòd possint omnia simpliciter et » absolutè quæ possunt Episcopi: quia hoc non verificatur » in iis quæ à sacris canonibus et Concilio Trid. expressè » proprio Ordinario reservata sunt... Non constat autem » Nuntios habere privilegium approbandi confessarios, et » ordines conferendi in suâ provinciâ, absque licentiâ Diœ- » cesani. » Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n[is] 32-35.

Nuntii majori generatim quàm Internuntii donantur potestate; nec rarò in facultatibus Nuntiis concessis, adjicitur hæc clausula *Cùm potestate Legati à latere*, quod solet fieri quando Nuntii mandatum vivæ vocis oraculo à Papâ recipiunt (*ib*).

Legato *misso* non adhibetur fides, nisi primùm litteras suas protulerit (Devoti, *ib.*, n° 31).

Legatus *à latere* potest divina exercere in Ecclesiâ Archiepiscopi absque ejus licentiâ : id verò nequit Nuntius. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 648.

810. Quærit. 3° Cujus generis sint Nuntii qui prope nostrum Gubernium Parisiis resident?

Respondet Lequeux (n° 224) ipsos videri esse *Legatos non judices* (804). Nullum enim, inquit, apud nos jurisdictionis actum exercent, excepto casu quo peragenda est informatio canonica circa nominatos à Gubernio ad Episcopatum. Ad hoc præcipuè inserviunt ut negotia Pontificis apud nostros principes tractent, invigilent integritati fidei canonumque

observantiæ, et de omnibus rebus alicujus momenti S. Pontificem edoceant.

811. Quærit. 4° Quænam sit legislatio Gallici Gubernii quoad Legationes S. Sedis, et quid de eâ sit sentiendum?

Resp. 1° Juxta articulos 11 et 12 Collectaneorum Libertatum Gallicanarum quarum Puteanus (Pithou) est auctor, nonnisi consentientibus regibus nostris, Legati Papæ in Galliâ erant admittendi. Et id quidem a Gubernio prætendebatur olim in Galliâ, inquit auctor *Præl. S. Sulpitii*, n° 108, ideoque Bullæ quibus Legati instituebantur, in Supremâ Curiâ vulgò dictâ *Parlement*, erant examinandæ, recognoscendæ et registrandæ. Vide *Mém. du Clergé*, ap. Bouix, *De Cur. Rom.*, p. 586-589.

Jurisprudentiam hanc sancivit lex organica, 18 Germin. anni X, cujus sic habet art. 2 : « Aucun individu se disant » Nonce, Légat, Vicaire ou Commissaire Apostolique ne » pourra, sans la même autorisation (du Gouvernement), » exercer sur le sol français ni ailleurs aucune fonction » relative aux affaires de l'Eglise Gallicane. »

812. Resp. 2° Hujusmodi legislationem esse Juris Ecclesiastici destructivam; illâ enim legitimatâ, suam supremam et plenam auctoritatem in universali Ecclesiâ, S. Pontifex non valebit exercere nisi dependenter à beneplacito civilis potestatis; proinde illi subjacebit nec ampliùs poterit esse libera. Porrò, inquiebat Card. Caprara, quomodo prædicaturi Evangelium fuissent Apostoli, si gubernia in eos talibus juribus potita fuissent? Ergo omnis juris Ecclesiastici prædicta legislatio est destructiva.

813. Objicere non erubuit D. Prompsault hanc legislationem fuisse à Sede Apostolicâ consecratam per art. 16 Concordati 15 jul. 1801, ubi dicitur : « Sanctitas Sua » recognoscit in Primo Consule Gallicanæ Reipublicæ » eadem jura ac privilegia, quibus apud S. Sedem fruebatur antiquum regimen. » Porrò sub antiquo regimine, Legati non admittebantur nisi de consensu regis; quod agnovit ipsemet Card. Legatus Caprara : nam cùm pridiè promulgationis Concordati statutum fuisset à Consulibus, consentaneè Pithoanis libertatibus in art. 11, 45, 58, 59 et

60, quòd « Le Card. Caprara, envoyé en France avec le titre » de Légat *à latere*, est autorisé à exercer les facultés énoncées dans la Bulle donnée à Rome, le lundi 6 fructidor » an IX, à la charge de se conformer entièrement aux règles » et usages observés en France en pareil cas, savoir: » 1° Il jurera et promettra, suivant la forme usitée, de se » conformer aux lois de l'État et aux *libertés de l'Eglise » gallicane*, et de cesser ses fonctions quand il en sera averti » par le Premier Consul de la République; 2° etc.., » His subscripsit Cardinalis Legatus, addit D. Prompsault; etenim : « Le lendemain 9 avril, le Légat, ayant été reçu en » audience solennelle aux Tuileries, *lut un discours écrit*, » dans lequel il dit au premier Consul : *Vos désirs règleront » la durée de ma demeure auprès de vous; je ne m'en éloignerai qu'en déposant entre vos mains les monuments de » cette importante mission, pendant laquelle vous pouvez être » sûr que je ne me permettrai rien qui soit contraire aux » lois du gouvernement et de la nation.* »

« A la suite de ce discours, pergit D. Prompsault, il lut » encore et signa une formule latine de serment, dans laquelle se trouve l'engagement d'observer la constitution, » les lois, *les statuts et coutumes* de la République, et de ne » déroger en aucune manière à l'autorité du gouvernement » de la Republique, comme aussi à la *juridiction*, *aux » droits, aux libertés et priviléges de l'Eglise gallicane*. Ce » serment fut immédiatement consigné dans les registres » des délibérations des Consuls et publié par le *Moniteur*. » Son authenticité ne peut être en aucune manière contestée. » Prompsault, *Observat. sur l'Encycl. du 21 mars*, etc., p. 6 et 7.

Resp. Immeritò asseri à D. Prompsault Cardinalem Caprara subscripsisse formulario quo spondebat cum juramento se nullo modo derogaturum fore *juribus et libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*.—Ista enim sunt genuina ipsius promissionis verba Romæ asservata, et S. Sedis jussu evulgata 2 maii 1802 : « Promitto Primo Consuli me Legati munere » non functurum, nec facultatibus mihi à S. Sede concessis » usurum, nisi quandiu in Republicâ ero, et ipsi Primo

» Consuli placuerit, adeo ut certior factus de illius volun-
» tate, illi convenienter Legati nomen et jus continuò sim
» depositurus, simulque omnium quæ à me gerentur, le-
» gatione finitâ, codicillos relicturum in manibus ejus quem
» voluerit Primus Consul; item servaturum *statuta et con-*
» *suetudines Reipublicæ*, et nunquam jurisdictioni ac juribus
» Gubernii derogaturum. In quorum testimonium præsen
» tem meam promissionem publicè perlegi. »

Ergo tantùm promisit Legatus se non derogaturum jurisdictioni ac juribus Gubernii, se servaturum *statuta et consuetudines Reipublicæ*, *non verò Ecclesiæ Gallicanæ;* nec ullo modo apparet quòd hanc promissionem juramento suo firmaverit.

Sed Romæ, ait D. Prompsault, interpolatum fuit hoc formularium.— At cur interpolatio non fuit potiùs peracta in diario gallicò *Moniteur* nuncupato? Nonne hoc unicum fuisset in hoc Diario commentitium? Plusne ponderis apud pium sacerdotem debet habere diarii *Moniteur* narratio, quàm allocutio S. Pontificis, qui præfatum formularium memorat in Consistorio 24 mai 1802, et publicum fecit tale quale modò retulimus? De his, v. *Analecta*, 38 l., col. 2341.

Potuit, inquies fortè, Cardinalis Legatus formularium non mittere integrum ad S. Pontificem. Potuit quidem, fateor, sed non sinè turpi mendacio, Dignitatis tantæ parùm digno, quodque proinde Cardinali Legato non est imputandum nisi de eo omnino constet.

Sed verba *jurisdictioni et juribus Gubernii* idem sonant, pergit D. Prompsault (*ib.*, p. 7), ac verba *juribus et libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.*

Resp. Hoc non esse verum; non enim unum et idem sunt Ecclesia et Civilis Status : et non unum et idem esse hæc duo existimabat Legatus, qui promittendo se non derogaturum *juribus Gubernii*, noluit tamen spondere se non derogaturum *juribus et libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.*

Quidquid sit de vi istius argumentationis, et, concesso etiam, non admisso quòd Cardinalis Legatus reverà promiserit se non derogaturum juribus et libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quid indè concludi potest? — Sanè missionem à

S. Sede ad talem sponsionem faciendam non acceperat; nec in eâ faciendâ approbatus fuit à S. Pontifice. Proindè si reverà se obstrinxit, non ideò Papam aut Ecclesiam ligavit, quippe promissio mala et excedens mandatum acceptum, prorsus nulla et invalida est.

« Il est certain, inquit D. André (v° *Légat*, § 2, in fine),
» que si les exigences du Gallicanisme sont acceptées par
» le S. Siége, c'est toujours sans préjudice des droits
» inamissibles de la Papauté. Il n'y a point de liberté,
» point de licence tolérable à l'encontre de cette vérité
» fondamentale; et l'état de suspicion dans lequel on veut
» constituer gratuitement les représentants du S. Siége
» est un abus manifeste, dont les gouvernements soi-disant
» chrétiens assument devant Dieu toute la responsabilité.
» Tandis qu'il ne s'agit que de simples formules, où la
» foi n'est point en péril, la sagesse des SS. Pontifes est
» heureuse elle-même de porter la croix, à travers les ou-
» trages gratuits dont peut l'abreuver la sagesse humaine,
» alors surtout que le fruit du sacrifice est la consolation
» de l'Église. »

Quoad Concordati articulum 16 à D. Prompsault contra nostram responsionem allegatum, in quo dicitur *S. Sedem recognoscere in Primo Consule eadem jura et privilegia quibus fruebatur antiquum regimen*, minimè probatur per hujusmodi verba, admissas fuisse à S. Sede *libertates gallicanas :* non enim illas agnoverat Ecclesia Romana sub veteri regimine; quippe solemniter contra illas tunc reclamaverat, ut neminem latet; nec ergo illas recognovit Pius VII in Primo Consule.

Sed, dices, saltem Cardinalis Legatus juramento se obstrinxit ad non Legati munere fungendum, nisi quandiu Primo Consuli id placuerit; ergo legislatio supra exposita Gallici Gubernii est orthodoxa et canonica.

Resp. Malè deduci hanc conclusionem ex dicto juramento, seu potius promissione; potuit enim Legatus propter necessitatem et Ecclesiæ bonum, ad talia se obligare, quin tamen agnoverit in Gubernio jus illa exigendi. Ergo, etc.

Nec magis objici potest quòd omne gubernium jus habeat

non recipiendi Nuntios cæterarum gentium nisi cum certis conditionibus; ergo et idem dici potest de Legatis S. Pontificis. — Nam ingens est discrimen inter S. Pontificem et alios principes aut gentes : nullus enim princeps sæcularis, quantumvis potens, nulla est gens in terrâ quæ habeat Primatum jurisdictionis sicut habet Papa in subjectos aliorum principum. Ergo, ex jure non recipiendi Legatos aliorum guberniorum, concludi non potest adesse idem jus quoad Legatos S. Pontificis. V. Card. Soglia, *Inst. jur. publici*, § 37; et Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 621-626.

814. Quærit. 5° Quomodo cesset Legatorum officium?

Resp. « Cessat quatuor modis... : 1° per mortem ipsius » Legati. si Legatio fuit personalis; 2° per expletum sibi præfixum tempus, si Legatus fuit destinatus ad terminandum » tantùm tempus...; 3° per egressum ipsi à Provinciâ » seu Provinciis sibi commissis, animo non redeundi; » 4° per ejusdem Legati revocationem à Papâ factam... » » Ferraris v° *Legatus*, n° 52.

PUNCTUM II.

DE VICARIIS, PRÆFECTIS ET COMMISSARIIS APOSTOLICIS, ETC.

815. Quærit. 1° Quid sint Vicarii Apostolici?

Resp. Supra diximus quòd in primis Ecclesiæ sæculis ferè idem fuerint ac *Legati nati* (803, 807).

Sed hodie ab iis multùm discrepant; nunc enim Vicarii Apostolici sunt illi quibus S. Pontifex alicujus Ecclesiæ curam pastoralem committit, ut illam non suo sed Papæ nomine exerceant, « sive, inquit Devoti (lib. 1, tit. 3, » sect. 9, § 86), cùm metus est ne diutiùs Ecclesia Pastore » careat, sive cùm turbas et dissidia fore prospicitur » in Vicarii Capitularis electione, vel cùm Episcopus » senio aut aliâ de causâ suum rectè munus gerere non » potest, vel demùm cùm Episcopus ab administratione » suspenditur, aut etiam removetur. Eliguntur autem ii » Vicarii interdum cum caractere Episcopali, atque hi » creantur Episcopi *in partibus infidelium;* interdum sinè » hoc caractere. Eorum verò potestas noscenda est ex Litteris Apostolicis, quibus suum officium acceperunt. »

De iis sic habet Bened. XIV in Constit. *Gravissima*, 18 jan. 1757 : « Cùm pro Vicariis Apostolicis, titulo et caractere episcopali insignitis, nullus processus conficiatur » *super statu Ecclesiæ*, attamen si in Urbe vel in Italiâ » commorentur, sin autem extra Urbem et Italiam exstiterint, ac duo testes in Urbe reperiantur qui testimonium » ferre possint, tunc fiat processus *super qualitate personæ;* processus verò in hâc almâ Urbe nostrâ conficiendi, omninò conficiantur coram Nostro et pro tempore » existentis Romani Pontificis Auditore; quòd si etiam » testes deficiant, sufficiens habeatur judicium ejusdem » Congregationis, quæ illum à S. Pontifice eligendum » consulet. »

Eorum autem facultates non multùm differunt ab iis quæ in Episcopis ordinariis agnoscuntur. Vide Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 659, etc.

Ad quosnam devolvatur eorum jurisdictio in casu mortis, v. dictum infra (1213, nota 2ª), et ap. Bouix, *ibid.*, p. 660, etc.

Sunt etiam, ut modò diximus, Vicarii Apostolici caractere episcopali non insigniti, quique à S. Sede deputantur ad gubernandam diœcesim in quibusdam circumstantiis, sive plenâ, sive vacuâ sede. De iis vide infra dicenda (1150), et ap. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 666-675.

816. Ad genus *Vicariorum Apostolicorum* pertinent *Præfecti Apostolici* qui in coloniis Episcopos supplent : differunt tamen à Vicariis Apostolicis in eo quòd *Præfecti* sint simplices sacerdotes; dum ordinariè Vicarii caractere episcopali sint insigniti (Lequeux, nº 237; Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 659).

817. Quærit. 2º Quid sint Commissarii Apostolici?

Resp. Eos esse quos S. Pontifex delegat ad informandum et judicandum super aliquo negotio, prout contingit in dispensationibus matrimonialibus, quarum executio committi solet Officiali Episcoporum : vocantur etiam *Delegati*. De iis consulendus est Titulus Decretalium *de officio Judicis Delegati*.

« Delegatus Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus, debet » esse constitutus in aliquâ Dignitate ecclesiasticâ, vel

» Personatu, aut esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis » (cap. *Statutum* 2, *de rescriptis*, in 6°), aut esse Officialis » seu Vicarius Generalis Episcopi, vel Prior Conventualis : » Clem. *Etsi principalis* 2, *de rescript.* » (Ferraris, v° *Delegatus*, n[is] 29 et 30.) Sub nomine Prioris Conventualis veniunt omnes Superiores Conventuales regularium (Ferraris, *ib.*, n° 31). Vide supra (318, 319).

SCHOLIUM.

DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS.

818. Cùm frequens fiat mentio de Protonotariis Apostolicis tanquam Curiæ Romanæ Prælatis, quædam hic de iis subnectenda esse judicamus.

Originem ducunt à septem Notariis, quos in septem Romæ regionibus S. Clemens I constituisset ad scribenda Martyrum acta, quique, post transacta persecutionum tempora, diplomata aliasque Litteras Pontificales exarârunt. Ut à cæteris Notariis distinguerentur, vocati sunt *Protonotarii* quasi *Primi Notarii* seu *Principes Notariorum.*

Triplicis generis sunt : 1° *Participantes* seu *de Collegio;* 2° *Supernumerarii* seu *ad instar Participantium;* 3° *Honorarii tantùm.* Soli *Participantes* plenitudine jurium utilium et honorificorum hujus Dignitatis fruuntur (Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 678, etc.). *Protonotarii ad instar* ferè omnibus juribus honorificis Participantium gaudent, non verò emolumentis. Minoribus autem privilegiis donantur *Honorarii*, etsi in Dignitate constituti habendi sint sicut cæteri.

Omnibus Protonotariis Apostolicis, etiam Honorariis, competit « Rogare, stipulare, et legalizare quoscumque » actus et scripturas cujuscumque generis, tam publicas » quàm privatas, etc.; illas tam rogatas et legalizatas, quàm » in posterùm rogandas, legalizandas, in judicio et extra, » plenam, legalem et integram fidem facere. »

Omnes debent esse clerici sæculares, ætatis 25 annorum, et doctores in utroque jure et theologiâ.

1° Protonotarii *Participantes* immediatè veniunt por

Episcopos consecratos, quatuorque alios Prælatos *Curiæ Romanæ* dictos *de Fiochetti*, qui sunt: Gubernator Romæ, Cameræ apostolicæ Auditor, Magnus Thesaurarius, et Majordomus. A solo S. Pontifice ad hanc dignitatem nominantur: habitum prælatitium, *subtanam* nempe et *mantellettum* coloris violacei cum rocheto induunt, galerum nigrum portant vittâ et floccis rosaceis ornatum; non obstante decreto Alexandri VII, missam etiam privatam celebrant more prælatitio tam Romæ quàm extra. A jurisdictione Ordinariorum eximuntur; altari portatili uti possunt in itinere, multisque aliis privilegiis fruuntur, prout videre est ap. *Analecta* (26e livr., col. 702), et ap. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 679, etc.

2° Protonotarii *ad instar* diu non videntur exstitisse ante Sixtum V; pauciores numero fuêre primùm; hodiè verò multò numerosiores sunt, Canonicique trium Basilicarum Romanarum, nempe S. Joannis Laterani, S. Petri Vaticani et S. Mariæ Majoris ad hanc classem Protonotariorum se pertinere gloriantur. Iisdem insignibus fruuntur ac Participantes, cum iisdem ferè præeminentiis, honoribus ac prærogativis, nisi tamen obstent consuetudines locales. A solo pariter S. Pontifice creantur

Possunt quidem celebrare pontificaliter cum mitrâ et aliis, sed cum Ordinarii consensu, cum ornatu moderatiori, et solemnioribus Festis tantùm. Nec ampliùs uti possunt hodie in suis itineribus altari portatili, prout poterant ante annum 1853. In missâ privatâ non debent se distinguere à simplicibus presbyteris juxta *Analecta* (ibid., col. 721); quod confirmatum fuit à Const. *Ap. Sed.*, IV Kal. sept. 1872, n° XVIII, quæ pro pluribus aliis est attentè legenda.

3° Etsi Protonotariis *ad instar* antiquiores sint *Honorarii* Protonotarii non tantis tamen ac illi prærogativis gaudent, præsertim ab anno 1818: veste talari non diffusâ (*sans queue*) et palliolo nuncupato *mantelletto* nigri tantùm coloris uti possunt. Usus collaris et caligarum (*bas*) coloris violacei omnino ipsis interdicitur; item et vittæ seu cordulæ in pileo coloris ejusdem, sed nigri tantùm coloris esse poterunt. Non gaudent privilegio celebrandi pontifi-

caliter, nec in Sacro peragendo à simplicibus sacerdotibus differre debent; vetantur proinde annulum et pileolum in missâ adhibere.

Quoad eorum nominationem aut eorumdem attributiones et præeminentiam, etc., vid. *Analecta* (ib., col. 725). Eorum insignia sunt rochetus et mantellettum nigri coloris (*ib.*, n° 122, col. 736); nunc omninò subduntur jurisdictioni Ordinarii (*ib.*, n° 131, col. 736). Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 688-691.

Beneficia à Protonotariis etiam titularibus obtenta, quando vacant, Sedi Apostolicæ sunt reservata, etiam hodiè in Galliâ, juxta Bouix, si tamen non sint parochialia. Vide *De Curiâ Romanâ*, p. 691, etc.; sed nescimus utrum sic apud nos servetur.

CAPUT II.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITANIS.

819. Post S. Pontificem prima loca Hierarchiæ jurisdictionis occupant Patriarchæ, Primates et Metropolitani.

ART. I.

DE PATRIARCHIS.

820. Patriarchæ sunt Episcopi qui præsunt, non uni Diœcesi tantùm vel Provinciæ, sed pluribus Provinciis et Regionibus : nomen eorum derivatur à duabus vocibus græcis: πατριὰ *familia*, *tribus*, ἀρχὴ *caput*, *princeps*, quasi si diceretur *Princeps gentis*.

Illorum origo, ut supra diximus (332), dimanat ab Apostolis, videlicet à S. Petro [1]. Nominis tamen Patriarchæ prima

[1] Certè antiquiores sunt Concilio Nicæno, in quo statutum fuit (can. 6) : « Antiqui mores serventur : qui sunt in Ægypto, Lybiâ et » Pentapoli, ut Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, » quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum ; similiter et » in Antiochiâ et aliis Provinciis, sua privilegia ac suæ dignitates et » auctoritates Ecclesiis serventur. » Ap. Labbe, t. 2, col. 1733. Hic agi de

mentio occurrit in Concilio Chalcedonensi in quo sæpe acclamatum fuit : *Sanctissimo et Beatissimo universali Magnæ Romæ Patriarchæ Leoni.*

Præter Romanum Pontificem duorum tantùm aliorum Patriarcharum meminit Synodus Nicæna, Alexandrini nempe et Antiocheni; duo insuper alii ad hanc Dignitatem fuêre postea evecti, videlicet Constantinopolitanus et Hierosolymitanus Episcopi.

Alexandrinus Patriarcha præerat Ægypto, Lybiæ et Pentapoli; Antiochenus primùm toti Orienti; Romanus verò toti Occidenti. Detractæ sunt postea à Patriarchatu Antiocheno tres Palestinæ, ut tribuerentur Hierosolymitano Patriarchæ; Constantinopolitano verò sunt tributæ tres regiones seu Diœceses, Pontica nempe, Asiana et Thracia (Ferraris, v° *Patriarcha*, n^is 3 et 4). Per *diœcesis* nomen, ea tempestate, plures provincias conprehensas fuisse constat, ut videre est ap. Devoti (*ib.*, § 34, nota 4).

Nonnisi auctoritate S. Sedis instituti fuêre illi Patriarchæ, ut supra diximus (332), quæ etiam ordinem inter ipsos servandum determinavit, ut videre est in cap. *Antiqua*, *de Privilegiis* : « Antiqua Patriarcharum Sedium privilegia » renovantes, sanctâ universali synodo (Later. IV) appro» bante, sancimus, ait Innocentius III, ut post Romanam » Ecclesiam, quæ, disponente Domino super omnes alias » ordinariæ potestatis obtinet Principatum, utpote Mater » universorum Christi fidelium et Magistra, Constantino» politana primum, Alexandrina secundum, Antio» chena tertium, Hierosolymitana quartum locum ob» tineat, servatâ cuilibet propriâ dignitate ».

Sic insuper habet cap. *Conquestus* 9, C. 8, q. 3 : « Prima» tes enim vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæ» teris Episcopis, nisi quantùm sacri canones concedunt,

jure Patriarchico demonstrat Devoti (lib. 1, tit. 3, sect. 3, § 32 n. 2). Vide etiam Card. Soglia, *Instit. jur. public.*, § 44. Præfatus canon juxta textum à Legatis Papæ recitatum in Chalcedonensi Concilio, sic est legendus : « Ecclesia Romæ semper obtinuit Primatum, habet igi» tur et Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat curam; » quoniam Romæ Episcopo id consuetum est. » V. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 412.

» et prisca consuetudo illis antiquitùs contulit, diffinimus. »
V. etiam cap. *Duo simul* 9, *de Offic. jud. ordin.*

821. Etsi hodie Patriarchales Sedes sint sub tyrannide Barbarorum et infidelium, attamen Sedes Apostolica adhuc creat Patriarchas, qui Romæ solent commorari solo insigniti titulo et nullâ præditi jurisdictione. Vide Devoti (*ib.*, § 35). Excipiendus est tamen Patriarcha Hierosolymitanus, qui à SS. Pio IX in suam Ecclesiam missus, suam Sedem hodie occupat.

822. Potestas Patriarcharum in Metropolitas est ferè eadem ac istorum in suffraganeos; etenim « Primùm jus
» (eorum) erat, inquit Card. Soglia (*Inst. jur. publ.*, lib. 2,
» § 345), consecrandi Metropolitas, eisque pallium tribuendi,
» postquam tamen ipsimet Patriarchæ à Romano Pontifice
» pallium accepissent; ordinationes verò Episcoporum ad
» Metropolitas pertinebant... Patriarcha (autem) Alexandri-
» nus peculiari jure (gaudebat) non modò Metropolitas,
» sed cunctos etiam sui Patriarchatûs Episcopos confir-
» mandi consecrandique. »

Ad Concilia convocabant, Episcopos suspendebant aut deponebant, etc., quod olim Metropolitæ etiam poterant.

« Præcipua eorum jura et privilegia, inquit Devoti (*ib.*,
» § 36), sunt ut, post S. Pontificem et Cardinales, sedeant
» ordine Dignitatis...; ut crucem præ se ferant per univer-
» sum tractum sui Patriarchatûs, nisi occurrat S. Pontifex
» aut ejus *a latere* Legatus; ut à suis Metropolitis ad eos
» appelletur. » (Cap. 23, *de Privilegiis.*)

Sed istud caput 23 (*Antiqua*) aliquid ampliùs dicit; ita enim se habet: « Dominicæ verò crucis vexillum ante se
» *faciant ubique deferri, nisi in Urbe Romanâ et ubicumque*
» *S. Pontifex præsens exstiterit, aut ejus Legatus utens in-*
» *signiis Apostolicæ Dignitatis.* » V. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 425.

Præterea sic fert Concil. Lateran. IV (cap. 5): « In om-
» nibus autem Provinciis eorum jurisdictioni subjectis, ad
» eos, cùm necesse fuerit, provocetur, salvis appellationibus
» ad Sedem Apostolicam, quibus est ab omnibus humili-
» ter deferendum. »

Ad regni Patriarcham pertinet præsidere Nationali Concilio, approbante tamen et decernente S. Pontifice, sinè quo concilia non debent celebrari. Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 1, cap. 1, nº 2. Vide etiam D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 429.

823. Præter supra enuntiatos Patriarchas, existunt in Ecclesiis Orientalibus, pro diversis ritibus, plures alii Patriarchæ etiam catholici; Antiochenus nempe Melchitarum, Antiochenus Maronitarum, Antiochenus Syrorum, Babylonensis Chaldæorum, etc., qui omnes sunt catholici et ferè iisdem juribus potiuntur ac antiqui fruebantur Patriarchæ (*Instit.*, R. de M., t 1, p. 314).

Sunt denique multi alii Patriarchæ gradûs inferioris, qui « non procul distant à Primatibus, ac medium tenent lo- » cum inter Majores Patriarchas ac Metropolitas: eorum » potestas trahitur in omnes certi regni ac nationis Metro- » politas et Episcopos; ipsi verò *Majori Patriarchæ* subji- » ciuntur, cujus intra fines Episcopatum tenent. » (Devoti, *ib.*, § 37.) Hujusmodi sunt Patriarchæ 1º Aquileiensis (qui Patriarchatus postea ad Gradensem, deinde, anno 1450, à Nicolao V ad Venetensem Ecclesiam translatus est); 2º Bituricensis in Galliis (erectus à Nicolao I, et suppressus, anno 1755, a Bened. XIV); 3º Ulyssiponensis (Lisbonne) sæculo XVIII creatus.

Erectionis hujusmodi Patriarchatuum duplicem potissimùm causam fuisse docet Ferraris (vº *Patriarcha*, nº 7): « Unam quòd vim eamdem huic voci subesse quæ Archie- » piscopi vocabulo crederetur; alteram quòd Isidorus, in de- » cretalibus fictitiis, *Patriarcham* et *Primatem* confundere » visus sit, dum jubet ut qui pluribus præest Provinciis, » is vel Primas vel Patriarcha appelletur. »

824. Quærit. Quotuplici modo amitti possit Dignitas Patriarchalis?

Resp. Triplici præsertim modo: 1º morte naturali; 2º liberâ abdicatione, consentiente Romano Pontifice; 3º depositione. Vix locus esse potest translationi, cùm parum decere videatur ut Patriarcha, nisi de inferioribus agatur, ad Sedem non Patriarchalem transferatur,

ART. II.

DE PRIMATIBUS.

825. Qui apud Græcos *Exarchi*[1] dicti sunt, Primates apud Latinos vocati fuêre.

« De antiquâ Primatum dignitate ac potestate, magna » inter eruditos disputatio est. Sunt enim qui eos Patriar- » chas, sunt qui Metropolitas fuisse putant, et sunt qui ab » utrisque distinguunt. » Vide quibusnam monumentis nitantur illæ variæ opiniones ap. Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 3, § 38, nota 1; et ap. Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 437.

« In Africâ tot erant Primates quot Provinciæ: Provin- » ciam quisque suam administrabat; Carthaginensi pare- » bant omnes. Illorum jura eadem fuerunt quæ apud alias » gentes Metropolitanorum : » cum eâ tamen differentiâ quòd is Primas semper habebatur qui erat antiquior in suâ quisque Provinciâ, antiquior equidem non ætate sed ordinatione. Vide Ferraris, vo *Primatus*, no 2; — Card. Soglia, *Inst. jur. pub.*, § 46.

826. Per Primates hodie communiter intelliguntur qui præsunt pluribus Metropolitis, jure tamen Sedi affixo (nam si personæ tantùm hoc jus competeret, prout olim v. g. competebat Episcopis Arelatensibus in totam Galliam, non *Primas* talis esset dicendus, sed *Vicarius Apostolicus*. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 435). « Hujusmodi sunt Antistites Bituricensis, Lugdunensis[2], Toletanus, Salisbur- » gensis (*Saltzbourg*), Pisanus, aliique quibus concessæ » appellationes et jus anteferendæ crucis datum. Sed hodie » tantùm Primati Lugdunensi relictum est jus appellatio-

[1] « Tres in Ecclesiâ Orientali Exarchi exstiterunt: Ephesinus, Heracleensis et Cæsariensis. Hi ferè omnia Patriarcharum jura exercebant » pauló quidem Patriarchis inferiores, Metropolitis tamen Dignitate » superiores; sed jamdudum interierunt. Ex eorum provinciis, Patriar- » chatus Constantinopolitanæ Ecclesiæ creatus fuit. » Card. Soglia, *Inst. jur. publ.*, § 46.

[2] Præerat Provinciis Lugdunensi, Turonensi et Senonensi; quod jus concessum vel agnitum fuit à S. Gregorio VII (André, vo *Primat*). Quinam fuerint alii Primates in Galliâ, quæ illorum jurisdictio, limites, etc., vide apud Lequeux, no 231.

» num; cæteri honoris prærogativam retinent. » (Devoti, *ib.*, § 38.) Sed à tempore Concordati 1801, non videtur ampliùs pertinere hoc jus ad Archiepiscopum Lugdunensem. Hoc ut certum affirmant *Analecta* (juillet 1855, col. 1552). Vide *Dictionn.*, André, v° *Primatus.* Quidam tamen, ap. Lequeux (n° 230), affirmant emanatas fuisse à Pio VII declarationes *vivæ vocis* in gratiam Primatûs Archiepiscopi Lugdunensis (de quo vide opus RR. DD. Lyonnet: *Le Cardinal Fesch*, t. 1, p. 455 et t. 2, p. 33). Juxta Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 444), à Pio IX concessum fuit Card. De Bonald, Lugdunensi Archiepiscopo, ut in actibus per diœcesim Lugdunensem publicandis, denominatione *Primatis* uteretur, non verò in actibus Romam transmittendis. Quando Primates alicui Patriarchæ non subjiciuntur, vix à Patriarchis differunt. V. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 436.

827. Primatis prærogativa est ut ad ipsum appellari possit à Metropolitanorum sententiis. Idque constat 9° et 17° canonibus Concilii Chalcedonensis (Bouix, *ibid.*, p. 441).

Disputatur utrum, præter appellationum admissionem, aliud jus competat Primatibus: probabilem sententiam negantem Lequeux prout (n° 229); secus autem sentiunt Bouix, *De Episcopo*, ibid., p. 441; et Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 1, cap. 1, n° 2. Quidquid sit de hâc controversiâ, certum est « Primates... et Patriarchas nihil privilegii habere » præ cæteris Episcopis, nisi quantùm sacri canones con- » cedunt et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, prout » definivit Nicolaus I, cap. *Conquestus*, 8, causa 9, q. 3[1].

[1] « Videri potest in Epistolis Yvonis 61 et 67 qualiter, circa initia XII » sæculi, Archiepiscopi, qui suberant Primatui Bituricensi, ejusdem peti- » tionibus resistebant, asserentes se non teneri adire Concilium ab eo » convocatum, nec consecrationem ab eo recipere. Usu ipso hæc con- » firmata sunt circa annum 1625: faventibus Comitiis Cleri, asseruit » Archiepiscopus Parisiensis, cujus Metropolis, veluti dismembratio Me- » tropolis Senonensis, suberat Primati Lugdunensi, isti non licere » Parisiis sacro ritu præferre Crucem Archiepiscopalem nec uti Pallio, » etc. » Lequeux, n° 229, in nota: « Jus illud præferendi crucem, inquit » idem (n° 216), Primatibus extra propriæ Metropolis fines denegatur in » Galliâ. » Sed juxta Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 442, Primatibus competit ut ante ipsos crux deferatur in omnibus Provinciis illis subjectis.

828. » Olim in Synodis Generalibus, post Patriarchas, Pri-
» matum, ut potior auctoritas ita honestior locus erat : ii
» erant omnino tres : Thraciæ, Heracleensis; Ephesinus,
» Asiæ ; Ponti, Cæsariensis. Illis proximus erat Thessalo-
» nicensis Vicarius, qui jussu Romani Præsulis toti Illy-
» rico præerat. Huic assidebat Episcopus Carthaginensis,
» ut ex quintâ Synodo intelligi licet.

829. » Si Generalis Synodus hoc tempore habenda foret,
» hæc ferè esset, si Jacobatio aliisque credimus, considendi
» ratio. Primum locum, ut par est, obtinet S. Pontifex,
» princeps et moderator totius Concilii : secundum, Ostien-
» sis Episcopus cujus est consecrare Romanum Antistitem;
» tertium, Constantinopolitanus Patriarcha qui Innocenti III
» Conciliique Lateranensis suffragio prælatus est cæteris;
» quartum Alexandrinus; quintum et sextum, reliqui duo
» Antiochenus et Hierosolymitanus. Hos excipiunt Occi-
» dentis Patriarchæ, aliis nomine quidem pares, re tamen
» et dignitate inferiores multò, Bituricensis, Venetus,
» Cantuariensis, quibus, ut nonnullis placet, Pisanus addi-
» tur. Deinde sedent Primates, ut Lugdunensis, Toletanus, »
etc. Ita quidem Ferraris (v° *Primates*, n^{is} 3 et 4); sed his facta non videntur concordare ; in Concilio enim Tridentino « Repugnantibus licet Primatibus, et imprimis
» celeberrimo... Bartholomæo de Martyribus, Primate Bra-
» gensi, statutum fuit ut juxta suæ consecrationis ordinem
» inter Metropolitanos sederent Primates. » Ita Lequeux (n° 229) qui addit tamen Cardinalem Fesch sibi vindicasse, anno 1811, præsidentiam Concilii Parisiensis tanquam Præsuli Ecclesiæ quæ erat illustrior.

ART. III.

DE METROPOLITANIS.

830. *Metropolitanus* seu *Metropolita* sic vocatur à Metropoli seu civitate Matrice. *Metros* enim est vox græca *Matrem* significans; et *Polis* est pariter vox græca sonans *Civitatem*. Metropolis erat caput Provinciæ, et qui in eâ Episcopatum gerebant, dicti fuerunt Metropolitæ. Vocati

sunt etiam postea Archiepiscopi: quod nomen, inquit Devoti, etsi primum latiùs pateret, tamen lapsu temporum translatum est ad eos qui Provinciæ uni erant præpositi, quales sunt Metropolitæ.

Vox Archiepiscopus videtur primùm in Oriente fuisse adhibita in Concilio Chalcedonensi (vide André, v° *Archevêque*); et tunc quidem tributa fuit etiam Patriarchis et Primatibus, ut à cæteris Episcopis secernerentur (Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. 1, n° 58). In Occidente autem adhiberi cœpit tantùm hæc vox tempore S. Isidori Hispal., qui sic ait: « Archiepiscopus græco interpretatur vocabulo quòd sit » Summus Episcoporum, id est primus; tenet enim vicem » Apostolicam et præsidet tam Metropolitanis quàm cæte- » ris Episcopis. » Can. *Cleros*, dist. 21. Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 445, etc.

Vox *Archiepiscopus* à duabus vocibus græcis derivat quæ significant *Principem Episcoporum;* Archiepiscopi enim præsunt Episcopis unius Provinciæ; etsi quidam hoc nomine insigniti nullos sub se habeant Episcopos, quales sunt Archiepiscopi Rossanensis (*Rossano*), Lancianensis (*Lanciano*), Olomutianus (*Olmutz*), Ferrariensis, etc. Sed isti nulli alii subsunt nisi Romano Pontifici; propriè tamen non sunt Metropolitæ; unde Barbosa (*De jur. Eccl.*, lib. 1, cap. 7) ait: « Fieri potest ut aliquis Archiepiscopus non sit Metro- » politanus, velut si nullum habuerit Suffraganeum. » Vide André, v. *Archevêque;* D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 447. Est ergo Metropolita Antistes sibi subditos habens Episcopos quibus alii Episcopi non subjiciuntur. Bouix, *ib.*

831. Quærit. 1° Utrum Metropolitæ sint admodum antiqui in Ecclesiâ?

Resp. Plures autumare eos esse institutionis Apostolicæ, Metropolitasque fuisse Titum et Timothæum: priorem quidem Insulæ Cretæ præpositum a S. Paulo; alterum verò Asianæ Provinciæ ab eodem Apostolo præfectum. Vide Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 3, § 29, nota 2; — André, v° *Métropolitain*, qui citat pro hâc sententiâ Concil. Bituricens. anni 1850; — et Ferraris, v° *Metropolitanus*, art. 1, n° 54.

Secus tamen alii sentiunt, ut videre est ap. *Inst.*, R.

de M., tom. 1, p. 316, et Ferraris *ib.* 55. Quidquid sit de illâ quæstione, certum est Dignitatem Metropolitanam viguisse longè ante Synodum Nicænam quæ sic decrevit : « *Anti-* » *quos mores* circa Metropolitas observari; » (Vid. can. 4, 6 7), fuisse tamen solùm institutionis ecclesiasticæ, ita ut metropolitanorum jura et prærogativæ mutari potuerint ab auctoritate competenti, scilicet à Papâ.

In Africâ, in singulis Provinciis non præsidebat unius determinatæ Sedis Episcopus, sed ille qui ordinatione antiquior exstabat; hinc *senior* vocabatur. Excipienda tamen est Carthaginensis Sedes, cui modo fixo adnexum erat jus Primatiale in omnes Africæ Provincias. Vide Bouix, *De Episcopo,* tom. 1, p. 446.

832. Quærit. 2° Quænam sint jura et auctoritas Metropolitarum?

Resp. Latissimè olim extendebatur Metropolitarum jurisdictio. Etenim « tanta .... fuit ut prohibiti ipsi Episcopi » suffraganei [1] fuerint aliquid magni momenti agere sinè » ejus (Metropolitani) consensu. Quinimò Archiepiscopus » primas habebat partes in electione Episcoporum suæ » Provinciæ; adeo ut citra ejus sententiam nemo posset » Episcopus constitui. Ejus item erat electos jam Episcopos examinare — (sed de hoc disputatur, ap. D. Bouix, » *De Episcopo*, t. 1, p. 450),— confirmare, ordinare [2]... » instituere, erudire, ac in eorum mores animadvertere. » Hinc factum ut Metropolita Episcoporum diceretur Pa- » ter, Magister, Judex. Hinc Suffraganeorum obligatio » juramentum fidelitatis præstandi suo Metropolitano... » Thomassinus... Van Espen. » Sed non est ampliùs in usu (S. Cong. Conc. 19 nov. 1578). Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 464.

[1] Ideo Suffraganei vocantur, quia Archiepiscopo in officio Episcopali v. g. in consecrandis aliis Episcopis, in celebrando Concilio et hujusmodi, suffragantur. — V. Reiffenst., lib. 1, tit. 31, n° 32.

[2] Juxta Benedictum XIV, hactenus viget jus Metropolitanorum consecrandi Episcopos suæ Provinciæ, quod observari debet in Galliâ juxta Gohard. Vide etiam art. 13 legis organicæ. Ex usu tamen, inquit Lequeux, n° 234, Episcopo electo magna libertas relinquitur Consecratorem suum eligendi.

833. « Posterioribus sæculis... diminutionem passa est » jurisdictio Archiepiscopi in suffraganeos Episcopos... » Reservatæ fuerunt Apostolicæ sedi omnium Episcoporum » confirmationes, consecrationes et etiam electiones. » Vid dicta supra (434). De legitimitate hujus imminutionis vide Bouix, *De Episcopo,* t. 1, p. 448, etc.

« Ex Decreto insuper Conc. Trid. (sess. 24., cap. 5, *de* » *reformat.*), constat causas criminales contra Episcopos » majores, id est quæ depositionem aut privationem » secum ferunt, S. Pontifici reservatas esse. » Sed supra vidimus, etiam ante Concil. fuisse Papæ reservatas (540-550). « De minoribus criminalibus Episcoporum causis, sic » in eodem cap. 5 sancitum deprehenditur, ut scilicet eæ » *in Concilio tantùm Provinciali cognoscantur et ter-* » *minentur, vel à deputandis per Concilium provinciale.* » Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. 2, n^is^ 40-54. Et hoc etiamsi crimen, in diœcesi Archiepiscopi, ab Episcopo suffraganeo fuisset commissum. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 421.

834. Igitur nunc, inquit Devoti (lib. 1, sect. 3, § 40 et 41), « Metropolita jurisdictionem habet in omnes suæ » Provinciæ Episcopos...; supplet eorum negligentiam » (synod. 7, can. *Cùm simus,* c. 9, q. 3; cap. *Licet, de suppl.* » *negl. Prœl.;* cap. 7, *de Offic. Ordin.*; Concil. Trid., sess. 24, » cap. 20, *de refor.*); eosque vocat ad Synodum provin- » cialem (Con. Trid., sess. 24, cap. 20, *de ref.*); inquirit in » absentiam, atque ad residentiam compellit (Conc. Trid., » sess. 23, cap. 1, *de ref.*) [1]; negligentes ad officium cogit; » jus dicit inter eos qui à Suffraganeorum judicio ad se « provocant (cap. 21, *de Offic. jud. ordin.;* cap. 3, *de Appel.*, » in 6°); denique in totâ provinciâ crucem præ se fert, » insigne jurisdictionis suæ (Clem. *Archiep.*, *de Privil.*), » etiam per loca exempta, inquit Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. 1, n° 45; item potest ferre mozzettam et populo benedicere per totam provinciam, etiam in locis exemptis. Ferraris, *ib.*, n° 47; Item ex Clement. *Archiepiscopo* 2, *de*

[1] Hodie tamen Episcopi a suis Ecclesiis, sinè veniâ Papæ, abesse non possunt, juxta Constit. *Ad universa* Bened. XIV.

Privileg., potest celebrare pontificaliter in totâ Provinciâ. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 480.

« Olim, addit Devoti (*ibid.*), Metropolitæ, lustratâ pro-
» priâ diœcesi, lustrare poterant diœceses Suffraganeorum
» suorum (cap. 1, *de Censibus*, in 6°). Nunc non pos-
» sunt, nisi causa in Provinciali Synodo cognita et pro-
» bata sit. » (Concil. Trid., sess. 24, c. 3, *de ref.*; Urbanus VIII, Const. *Exponi*).

Tertio quoquo anno, cogere possunt Metropolitæ Comprovinciales ad Synodum, et in absentes sinè justâ causâ, animadvertere (Trid., sess. 24, c. 2, *de ref.*). Sede suffraganeâ vacante, si Canonici per octo dies non constituant Vicarium Capitularem, vel idoneum non elegerint, illorum negligentiam debet supplere Metropolitanus (Trid., sess. 24, c. 16, *de ref.*).

Potest concedere indulgentias per totam suam Provinciam, etiamsi non sit in actu visitationis, dummodo statutum Generalis Concilii non excedat (cap. *Nostro* 15, *de Pœnitent. et Remiss.*).

Potest interdicere prædicationem aliquibus per totam suam Provinciam (cap. *Tuorum*, *de privil.*—V. Ferraris, *ib.*, art. 1).

Procedere etiam potest in quibusdam circumstantiis contra Prælatos *nullius diœcesis* (V. Conc. Trid., sess. 5, cap. 2, *de ref.*).

Hodiedum obligari videtur Suffraganeus, qui in Metropoli non fuit ordinatus, ad accedendum infra tres menses ad Metropolitanum, ejus monita recepturus. Hæc obligatio nititur canone *Si quis* 8, dist. 65 ; nec abrogata videtur a Concil. Trident., sess. 23, cap. 2, *de ref.*, ubi dicitur :
« Nec Episcopi Comprovinciales, prætextu cujuscumque
» consuetudinis, ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum
» accedere inviti compellantur. » Quia Concilium loquitur de accessu ad Metropolitanum *prætextu cujuscumque consuetudinis*, non de accessu à jure præscripto, prout hîc agitur. Vide D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 467. Vide ap. eumdem (*ib.*, p. 468) et ap. Ferraris (*ibid.*, art. 1), enumerationem plurium aliorum quæ potest Archiepiscopus.

835. Plura autem sunt quæ non potest, et quæ à Ferrario (*ib.*, art. 2) sigillatim recensentur : quædam hic tantùm referemus :

« 4° Non potest Archiepiscopus absolvere excommunicatos » à Suffraganeis vel Officialibus ipsorum, nisi in casu appel- » lationis.» (Cap. *Venerabilibus, de sentent. excomm.*, in 6°).

« ...13° Non potest eximere ab Episcopo... in aliis causis » quàm in illâ appellationis.» (Cap. *Romana*, § *Cùm verò, de Appell.*, in 6°).

« ...22° Non potest concedere dimissorias subditis Suffra- » ganeorum cùm visitat Provinciam, quia non reperitur » hoc in jure permissum. Sic nec sinè licentiâ Suffraganei » vel Superioris loci exempti, potest ordinare, chrismate » inungere, degradare et alia similia quæ dicunt jurisdic- » tionem..... Archiepiscopus enim nequit exercere ponti- » ficalia in ecclesiis Suffraganeorum, absque licentiâ Epis- » copi ordinarii. S. Cong. Episc. et Reg., 18 apr. 1599. » Potest tamen celebrare pontificaliter, ut suprà diximus ex Clement., *Archiepiscopo* (834).

« ... 27° Non potest simpliciter absolvere illum qui de » excommunicatione appellavit ad ipsum, sed eum re- » mittere debet ad Episcopum qui excommunicavit; qui, » si noluerit ipsum absolvere, tunc solùm receptâ jura- » toriâ cautione poterit ipsum absolvere. » (Cap. *Ad reprimendum* 8, *de Offic. judic. ordin.*) Vide alia plura ap. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 477, etc.

836. Quærit. 3° Cujus generis sit jurisdictio Metropolitanorum in Suffraganeos eorumque subditos?

Resp. 1° Generatim videri esse admittendum quòd jurisdictio Metropolitana sit restringenda, tàm quoad Suffraganeos quàm eorum subditos, ad solos casus in jure expressos; illud certum videtur quoad subditos Suffraganeorum, et constat multis juris capitulis à D. Bouix relatis, *De Episcopo*, t. 1, p. 452. Vide etiam Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. 2, n° 32. — Aliqua verò dubitatio oriri posset quoad ipsos Suffraganeos : attamen idem quoad ipsos potest concludi ex cap. *Venerabilis* 7, *de sentent. excomm.* ubi

dicitur quòd Archiepiscopus et ipsius Officialis « nec » *excommunicantium* (Suffraganeorum), nec excommunicatorum sint judices. » Unde à Card. Petra (ad *Constit.* 2, Leonis IX, sect. 5, n° 15) refertur Sacræ Cong. Conc. declaratio sic habens : « Metropolitani, Archiepiscopi, » Primates aut Patriarchæ, in *suffraganeos* eorumve subditos non judicent, nisi in casibus a jure expressis. »

Hæc pro causis criminalibus. Pro causis verò civilibus in quibus Suffraganeus est reus, citatur à D. Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 459), decisio S. Cong. Episcopor., 31 maii 1588 idem affirmans : et ipse tandem cum Card. Petra concludit standum esse consuetudini circa hoc punctum. V. Ferraris, *ib.*, art. 2, 57. Cardinalis autem Soglia (*Inst. jur. publ.*, § 47) videtur aliter sentire : « Quia, inquit, de » causis civilibus Episcoporum nihil in Concilio (Trident.) » statutum fuit, idcirco *ex communi Canonistarum sententiâ* » permanet jus antiquum, quo sancitum est ut *civiles Suffraganeorum causæ apud Metropolitanum agantur.* »

837. Resp. 2° Nihilominus non eodem modo exercetur jurisdictio Metropolitana erga ipsos Suffraganeos ac erga ipsorum Suffraganeorum subditos : 1° Directè enim et immediatè exercetur erga ipsos Suffraganeos : unde Archiepiscopus, à Reiffenstuel (lib. 1, tit. 31, n° 35) et aliis vocatur *Ordinarius* atque immediatus eorum Superior. Vi hujus directæ potestatis, potest cum ipsis Suffraganeis dispensare in votis et juramentis Sedi Apostolicæ non reservatis (Ferraris, *ib.*, art. 2, n° 30; Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 260). Item juxta Reiffenstuel : « Potest præcipere » quæ ad ipsorum (Suffraganeorum) spectant officium, at» que etiam compellere negligentes per censuras ecclesias» ticas... Desumitur ex can. 1 et seq., causæ 9, 93, et » cap. *Pastoralis* 11, § 1, *de Offic. jud. ordin...*; — dum» modo, excipit idem (*ib.*, n° 36), hoc præstet *per se*, et non » per Vicarium Generalem, ob reverentiam Pontificalis » officii... (cap. *Romana*, § finalis *de Offic. jud. ordin...*) » Archiepiscopo (tamen) absente et à suâ Provinciâ distante, » etiam ejus Vicarius poterit ipsos Suffraganeos suspendere, » interdicere et excommunicare, textu claro (cap. *Romana*

» § *Officiales autem, de Officio jur. ordin.*, in 6°). » Ita Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. 1, n° 20.

Ex his Ferraris (*ibid.*, n° 7), concludit quòd : « Quicum-
» que habens actionem contra Episcopum, potest illum con-
» venire coram Archiepiscopo, textu expresso in can. *Quia*
» *cognovimus*, 6, causa 10, q. 3. » Hæc quidem est sententia communior quam secuta est S. Cong. Concilii, 26 jun. 1688: sed à quibusdam negatur ap. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 460, eò quòd censuræ non sint infligendæ nisi ob crimen : porrò causæ criminales Episcoporum, a Concilio Tridentino Papæ et Concilio Provinciali, prout supra diximus (833), reservantur.

Huic rationi fortè responderi posset quòd Archiepiscopi non possint quidem de criminibus commissis in Suffraganeos inquirere, eosque propter talia punire, at hoc non impedit quominus valeant iis imperare sub pœnâ censurarum ab ipsis contrahendarum si non obedirent, et quominus pariter illas censuras publicent cùm fuerint incursæ.

Quidquid sit de hâc quæstione, concedunt omnes Episcopis censuras non esse infligendas nisi cum magnâ discretione, et nonnisi consultâ S. Congreg. Concilii, in casu v. g. quo Suffraganeus delinquit in officio et actu qui spectat ad jus Metropolitani.

« Censuras ab Archiepiscopo latas in Vicarium sui Epis-
» copi Suffraganei, qui ipsius mandatis obtemperare renuit,
» sustinuit Rota... 3 febr. 1742, etc. » (Ferraris, *ib.*, art. 1, n^is 58-60.) Hoc verum est juxta D. Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 474), si Vicarius delinquat in officio suo ita ut lædat Metropolitani jurisdictionem.

838. Sed non posset Metropolitanus generatim ferre censuras contra Officiales sui Suffraganei, ex eo quòd noluerint coram se comparere (cap. *Romana*, § *Nec clericos*, *de foro compet.*, in 6°). Ferraris, *ib.*, n° 10.

839. 2° Erga verò subditos Suffraganeorum, jurisdictio Metropolitana non est immediata et directa, sed tantùm mediata. Proinde juxta Ferraris (*ib.*, art. 2, n° 65), non est ordinaria, sed media inter ordinariam et extraordinariam : hoc tamen non placet D. Bouix qui (*ib.*, t. 1, p. 456) vult

illam jurisdictionem vocandam fore *ordinariam* eò quòd muneri Archiepiscopali a jure sit annexa.

Quidquid sit, hujusmodi jurisdictio, ut jam diximus, exerceri non potest nisi in casibus a jure expressis. Ita communis, ait Reiffenst., *ib.*, n° 40, et habetur in can. *Nullus* et can. *Conquestus*, 9, q. 3.

Ex enumeratione illorum casuum patet dictam jurisdictionem non esse immediatam et directam, sed solùm exercendam suppositis quibusdam aliis, v. g. appellatione, visitatione, negligentiâ, etc. Sic 1° « Nequit Archiepiscopus » Suffraganeorum subditos judicare in primâ instantiâ; » nec eorum causas coram Suffraganeis pendentes ad se » advocare; nec ante sententiam definitivam in primâ » instantiâ, recipere appellationem ab aliquâ sententiâ » interlocutoriâ, aut gravamine; aut inhibitionem ulteriùs » procedendi Suffraganeo ejusve Officiali facere, nisi fortè » gravamen tale foret ut non posset per appellationem à » definitivâ reparari, aut non posset ab ipsâ definitivâ ap- » pellari. Constat cap. 1, sess. 13, et cap. 20, sess. 24, » Trident. Conc. » Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 473.

« Si tamen causa, in curiâ Suffraganei, intra biennium » non finiatur, liberum est partibus, et uni etiam parti, » Metropolitani tribunal adire (Trid., c. 20, sess. 24).

» Metropolitanus est judex competens, quoad omnes » Suffraganeorum suorum subditos, in secundâ instantiâ, » quando ad ipsum legitimè appellant. » Bouix, *ibid.*

Non tantùm à sententiâ juridicâ potest ad Metropolitanum appellari, sed etiam a cæteris gravaminibus seu abusibus auctoritatis Episcopalis, prout supponit Concil. Trid., sess. 13, cap. 1, *de ref.* et sess. 24, cap. 10, *de ref.* An ad Metropolitam possit appellari de suspensione extrajudicialiter prolata, dicemus infra (6015).

840. In casu visitationis Provinciæ, Archiepiscopus « Potest omnium confessiones audire, ipsos absolvere, » atque pœnitentias injungere salutares (cap. ult. *de Censib.*, » in 6°); idque tam per se quàm per alios, etiam absol- » vendo à casibus Episcopo... Suffraganeo reservatis: quia » eo tempore, quo Archiepiscopus diœcesim visitat, cense-

» tur diœcesis illa tanquam sua, et ipse habere in eâ ju-
» risdictionem quasi Episcopalem Episcopo superiorem.

841. » Non tamen potest... visitans jurisdictionem fori » contentiosi exercere in subditos... Suffraganei, nisi in » duobus casibus, videlicet in criminibus notoriis punien- » dis; ut dicitur cap. *Romana sanè*, *de Censib*, in 6°; et » quando subditi Suffraganeorum vel ipsi Archiepiscopo » jurisdictionem in provinciâ suâ exsequenti, vel ejus » Nuntiis, aut familiæ injuriam seu manifestam offensam » inferre præsumunt, etiamsi ejus jurisdictionem inde » impediri non contingat: cap. 1, *de Pœnis*, in 6°.

842. » Tertius casus » (in quo Metropolitanus in Suffraganei diœcesim jurisdictionem habet)... « est quando Suffra- » ganeus Episcopus est negligens in eo quod facere » debet. » (Reiffenst., lib. 1, tit. 31, n^is 40-48.) Non tamen idem potest Metropolitanus, casu quo delinquit Suffraganeus et suam jurisdictionem per excommunicationem aut alio modo perdit. Vide Bouix, *ib.*, p. 475. Excipe casum quo talis Ecclesia Capitulo careret.

Si Suffraganeus deneget dispensationem, in iis casibus in quibus est debita ratione personæ, loci, ætatis, temporis, pietatis et Ecclesiæ utilitatis, tunc potest Metropolitanus illam concedere. Vide Ferraris, *ib.*, art. 1, n° 25.

Item potest beneficia, officia, canonias, parœcias, etc. diœcesium comprovincialium conferre post tempus a jure præfixum[1], vel si indigno notorio data fuissent à Suffraganeo (cap. *Nulla, de concess. Præbendæ;* Clem. *Cùm ei* 1, *de concess. Præb*; cap. *Cùm in cunctis* 57, *de Elect.*); expressâ tamen factâ mentione quòd procedat non de *jure ordinario* sed ratione *devolutionis* (Vide Bouix, *De Episcopo* t. 1, p. 470, etc.). Valida autem esset nominatio à Suffraganeo facta post sex menses, si Metropolitanus *patientiâ permitteret possideri beneficium vel officium.* Ita cap. *Litteras* 4, *de supplendâ*, etc.

843. Quærit. 4° Ad quem pertineant, tempore vacantiæ

[1] Quando nempe sex menses elapsi sunt, antequam providerit Episcopus, vel post duos menses, si agatur de præsentatis a Patronis. Constit. *In Conferendis*, S. Pii V.

Sedis Metropolitanæ, jura Archiepiscopi in Suffraganeos ?

Resp. Illa pertinere ad Capitulum Metropolitanum seu ipsius Vicarium Capitularem; nam Vicarius Capitularis jurisdictioni ordinariæ Archiepiscopi succedit. Hoc ut probabilius habet Lequeux (n° 244). Vide D. André, v° *Archevêque*. Excipiendi sunt tamen casus à jure excepti; unde juxta Decretum S. Cong. Conc. 13 maii 1604 in hoc concordans cum Trid., sess. 24, c. 2, *de ref.*, Synodus Provincialis non à Vicario Capitulari Metropolis vacantis est indicenda, sed *ab antiquiore Episcopo suffraganeo* (Vide Ferraris, v° *Vicarius Capitularis*, art. 2, n° 96).

844. Quærit. 5° Quænam sit in Galliâ legislatio civilis circa Metropolitanos?

Resp. Illam contineri in sequentibus Legis Organicæ articulis :

« Art. 13. Les Archevêques consacreront et installeront[1]
» leurs Suffragants. En cas d'empêchement ou de refus de
» leur part, ils seront remplacés par le plus ancien Evêque
» de l'arrondissement Métropolitain.

» Art. 14. Ils veilleront au maintien de la foi et de la
» discipline dans les diocèses dépendants de leur Métropole.

» Art. 15. Ils connaîtront des réclamations et des plain-
» tes portées contre la conduite et les décisions des Evêques
» suffragants... » (Proinde) « Ce n'est point devant le Conseil d'Etat et par voie d'appel comme d'abus qu'un prêtre doit attaquer l'interdit de ses fonctions; c'est devant le Métropolitain qu'il doit se pourvoir. Arrêt du Conseil d'Etat du 31 juillet 1829. » Ita *Journ. des Fabr.*, t. 1, p. 16, note 2.

« Art. 4. Aucun Concile national ou Métropolitain, aucun
» Synode diocésain, aucune assemblée délibérante n'aura
» lieu sans la permission expresse du gouvernement. »
Libertati ecclesiasticæ adversatur hæc legis dispositio.

« Art. 36. Pendant la vacance des siéges, il sera pourvu par
» le Métropolitain et, à son défaut, par le plus ancien des
» Évêques suffragants, au gouvernement des Diocèses. »

[1] Solent Episcopi in Galliâ suam sedem occupare per procuratorem; totaque cæremonia quæ tunc fit, dirigitur per Primam Capituli Dignitatem.

Illa dispositio, sacris canonibus non consentanea, mutata fuit per Decretum 28 febr. 1810, in quo sancitur (art. 5 et 6): « Pendant les vacances des siéges, il sera pourvu, con- » formément aux lois canoniques, au gouvernement des » Diocèses. Les Chapitres doivent présenter au Ministre » des cultes les Vicaires Généraux qu'ils auront élus, pour » que leur nomination soit reconnue par le gouvernement. » Ita *Journ. des Fabr.*, tom. 1, p. 20 in notis : et sic hodie in praxi servatur.

845. Quærit. 6° Quotuplici modo amittatur Dignitas Metropolitana ?

Resp. Solvi posse hanc quæstionem ex dictis supra (498-499, etc.).

DE PALLIO.

846. Quærit. 1° Quid sit Pallium, et undenam originem ducat?

Resp. 1° Pallium est præcipuum Patriarcharum et Archiepiscoporum Insigne quo designatur plenitudo auctoritatis pastoralis ipsis à S. Sede collata.

« Solus Romanus Pontifex in missarum solemniis Pallio » semper utitur et ubique : quoniam assumptus est in ple- » nitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per Pallium si- » gnificatur. Alii autem eo nec semper nec ubique, sed in » ecclesiâ suâ, in quâ jurisdictionem ecclesiasticam acce- » perunt, certis debent uti diebus : quoniam vocati sunt » in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. » Ità cap. *Ad honorem, de auctorit. et usu pallii.* « Est autem » Pallium fascia lanea candida, tres circiter digitos lata, » in modum circuli contexta, quæ humeros cingit (unde à » græcis dicitur *Omophorion)* : habetque ab utrâque parte » lineas in pectus et humeros impendentes cum sex sericis » nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis » consuitur et alligatur. » Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 3, § 42.

Resp. 2° Incerta est Pallii origo, sed antiquissima est : de eo meminit S. Greg. Magn., lib. 2, epist. 22 ad univ. Illyr. Episc., ubi loquens de Joanne electo Episcopo Justinianæ Primæ, ait : « Juxta postulationis vestræ desiderium, præ-

» dictum fratrem et Coepiscopum Nostrum, in eo in quo est » sacerdotis ordine constitutus, nostri assensûs auctoritate, » firmamus, ratamque nos ejus consecrationem habere » *dirigentes Pallium* indicamus. » Ubi manifestum est ex tunc Pallium fuisse firmati à Sede Apostolicâ Archiepiscopatûs indicium. Symmachus, initio VI sæculi, illud concessit Theodoro Laureacensi, ut patet ex ejus epistolâ 11, ap. Labbe, t. 5, col. 440. Cùmque illud Pontifex se indulgere asserat *more majorum*, concludi debet jam tunc Pallii à Sede Apostolicâ obtinendi morem fuisse planè veterem. Devoti, *ib.*, notâ 5. Circa Pallii antiquitatem, vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 481, qui (p. 487) addit illud ex Concilio Lateran. IV fuisse dandum Patriarchis Orientalibus. Vide etiam Card. Soglia, *Instit. jur. publ.*, § 48.

Probabilius habet Devoti inductum fuisse Pallium exemplo Rationalis et Superhumeralis, cujus fit mentio in Exodo, cap. 28, v. 4. Immeritò autem volunt quidam illud esse ornamentum Ecclesiæ ab Imperatoribus, maximèque à Constantino concessum (Devoti, *ib.;* et R. de M., t. 1, p. 319).

Objicitur a Petro De Marca et aliis, diù SS. Pontifices se abstinuisse à concessione Pallii donec obtinuissent Imperatorum consensum. — Respondetur hoc raró contigisse : et sic egisse quosdam Pontifices, non quidem eò quòd ad Imperatorem pertineret dare Pallium, sed ob alias rationes. Sic Virgilius Justiniani, et S. Gregorius Magnus Mauritii poposcerunt consensum, quia timebant ne, dato Pallio Episcopis gentium alienigenarum, hujusmodi Imperatores suspicarentur ipsos per hoc velle aliorum principum præsidium exquirere, Chilperici nempe, Theodorici, etc. Vide Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. 4, n° 53; — et D. André, v° *Pallium*, § 1.

Cæterùm, octavo duntaxat sæculo exeunte, obtinere cœpit consuetudo ut omnibus indiscriminatim Archiepiscopis pallium concederetur. Græcis Episcopis nunc Pallium commune est (Devoti, *ib.*, nota 6).

847. Quærit. 2° Quomodo conficiatur et tradatur Pallium?

Resp. Cum Christophoro Marcello Corcyrensi Archi-

episcopo, ap. Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. 3, n° 7, etc :
« Cura conficiendorum et conservandorum Palliorum ad
» Subdiaconos Apostolicos pertinet, qui hoc pacto con-
» ficiunt : Sanctimoniales Monasterii SS. Agnetis, vel
» religiosi, qui sunt in illâ Ecclesiâ, offerunt quotannis
» agnos duos albos super altare illius Ecclesiæ in die...
» S. Agnetis, dum in missâ solemni cantatur : *Agnus*
» *Dei;* qui agni recipiuntur à duobus Canonicis Ecclesiæ
» Lateranensis, et ab eis postea consignantur Subdiaconis
» Apostolicis, qui agnos ipsos in pascua mittunt quoad
» veniat tempus opportunum ipsos tondendi. »

Ex illorum lanâ mixtâ cum aliâ mundâ et albâ, pallia contexuntur; deinde per Subdiaconos portantur ad Basilicam Principis Apostolorum, et per Canonicos Basilicæ ponuntur super corpora SS. Petri et Pauli.. sub Altari Majori, in pervigilio SS. Apostolorum post Vesperas (Bulla *Rerum ecclesiasticarum*, Bened XIV).

848. « Cùm autem aliquis Prælatus indiget Pallio, illud
» primò per quempiam ex Advocatis Consistorialibus Pro-
» curatorem... à S. Pontifice in Consistorio *instanter*, *ins-*
» *tantiùs et instantissimè* petitur. Pontifex, excluso Advo-
» cato, exquirit Patrum sententias..; expediuntur litteræ,
» et primus Diaconorum Cardinalium designat locum et
» diem.. in quo consignare debeat. Id.. fieri solet.. interdum
» in Ecclesiâ S. Petri et super Majus Altare... Statutâ die,
» Prælatus, si est præsens, vel ejus Procurator in absentiâ,
» cum speciali mandato venit ad locum ordinatum. » Vide descriptionem hujus cæremoniæ ap. Ferraris, *ibid.*, n° 9 et 10.

Sæpe autem alicui Episcoporum, si Romæ non sit præsens Archiepiscopus, committitur cura Pallium ei imponendi, postquam tamen Metropolitanus juramentum fidelitatis et obedientiæ S. Pontifici præstiterit, et tunc observatur quod dicitur in Pontificali de Pallio.

849. Quærit. 3° Quandonam Pallium sit petendum?

Resp. cum Ferraris (*ib.*, n^is^ 12 et 13) : « Archiepiscopus
» et quisquis alius, cui Pallii jus competit, debet intra
» tres menses à die consecrationis.. vel à die confirmationis,

» si jam fuit consecratus, cessante justo impedimento, per » se vel procuratorem petere Pallium ; aliàs... commissâ » sibi caret Dignitate : can. *Quoniam* 1, dist. 100... Hodie » verò ex Trident., sess. 7, cap. 9, alii tres menses dan- » tur ad petendam consecrationem; qui etiam ad petendum » Pallium consequenter dari censentur. » (Ferraris, *ib.* n^is 12 et 13.)

850. Quærit. 4° A quibusnam debeat se abstinere Archiepiscopus ante Pallii receptionem ?

Resp. Ante receptionem Pallii, Archiepiscopo quamvis sit consecratus in Episcopum vel possit consecrari (cap. *Suffraganeis* 11, *de Electione*), imò etiamsi possessionem suæ Sedis inierit, non licet se Archiepiscopum nominare (cap. *Nisi specialis* 3, *de auctor. et usu Pallii*), nec eos actus exercere qui sunt jurisdictionis majoris, nec ante se crucem facere deferri : *Pontificale* et cap. *Quod sicut* 28, *de Elect*... ubi dicitur : « Præterea cùm non liceat Archiepis- » copo *sinè Pallio* convocare Concilium, conficere Chrisma » (hoc tamen et sequentia licerent simplici Episcopo qui jus Pallii haberet, juxta Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 483), « dedicare ecclesias, ordinare clericos, et Episcopos con- » secrare : multò profectò præsumit qui, antequam im- » petret Pallium, clericos ordinare festinat : cùm id non » tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepisco- » pus facere videatur. »

Potest nihilominus hujusmodi consecrationes ante Pallii receptionem alteri committere, dummodo non sit in morâ petendi Pallium (*Pontificale*). Item, juxta auctorem *Prælect. S. Sulpitii* (n° 124, III, in fine), Archiepiscopus potest, ante acceptum Pallium, exercere actus ordinis quos Episcopus peragere solet stolâ tantùm indutus, ut est benedicere calices et sacra paramenta. — Nota etiam quòd si functiones, ipsi ante acceptum Pallium prohibitas, nihilominus peragat, illicitè quidem agat, non verò invalidè : in capitulo enim modò relato (*Quod sicut*) dicitur, non quòd non possit sed quòd ipsi *non liceat*. V. Ferraris, *ib.*, n^is 14-16.

851. Quærit. 5° Quandonam Pallio uti possit Archiepiscopus ?

Resp. cum eodem Ferrario (*ib.*, art. 3, n° 18, etc.): « Archiepiscopi, Primates et alii, quibus Pallium concessum est, ut Episcopus Ostiensis, Papiensis (*Pavie*), Lucensis (*Lucques*) Bambergensis, Quinque Ecclesiensis (*Cinq-Eglises*), etc. » (In Galliâ tres sedes episcopales jure Pallii potiuntur, scilicet Augustodunensis et Aniciensis (*Le Puy*) jam à longo usu, et recentissimè Massiliensis. R. de M., tom. 1, p. 320 [1]), « eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesiâ tantùm suæ respectivæ Diœcesis et Provinciæ, et certis tantùm diebus uti debent... Cap. *Ad hon.* 4, *de auctor. et usu Pallii.* Et isti possunt etiam Pallio uti in Ecclesiis exemptis. Clem. *Archiepiscopo* 2, *de Privil.*

« Dies autem quibus... Pallio uti possunt... sunt Nativitas Domini, Festivitas S. Joannis et S. Stephani, Circumcisio Domini, Epiphania, Dominica Palmarum, Cœna Domini, Sabbatum S., Tres dies Resurrectionis, Ascensio Domini, Tres dies Pentecostes, Festivitas S. Joannis Baptistæ et Omnium Apostolorum, quatuor Festivitates B. Mariæ Virg., S. Michaelis et Omnium SS., Dies Dedicationis Ecclesiarum, Consecrationis Episcoporum, Ordinationis Clericorum... Dies anniversarius ipsius Palliati, atque Festivitates principales suæ Ecclesiæ Cathedralis... Tamen sunt attendendi dies in cujusque privilegiis expressi. Cap. *Quia nos* 7, *de auctor. et usu Pallii.* »

His diebus addit *Pontificale* Dominicam in albis, festum Corporis Christi, Diem Consecrationis Virginum, Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ. Inter Festivitates principales Ecclesiæ Cathedralis, numeranda est dies inchoationis Synodi Diœcesanæ et Provincialis. V. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 365. Recenter addita festa Imm. Conc. et S. Joseph.

852. Archiepiscopi Pallio uti non possunt extra missarum solemnia (Cap. *Ad honor.* supra citat. et aliis capit. à

[1] Sunt etiam Episcopi quibus personaliter conceditur aliquando usus Pallii, prout RR. DD. Chatrousse Valentinensi Episcopo fuit concessum a Pio IX. Hoc privilegium a jurisdictione Metropolitani non subtrahit. Vide Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 2, cap. 6, in fine. In hoc casu successores, ut patet, jus ad Pallium non habent. Errat autem D. André v° *Pallium*, asserendo Pallii jus Ecclesiæ Valentinensi fuisse concessum.

Ferrario relatis, *ib.*, n° 22); nec in missis pro Defunctis, juxta *Pontificale;* nec extra Ecclesiam (cap. *Cùm super*, *de auctor. et usu Pallii*).

« Unde si sub tentorio in castris aut in domo privatâ » propter necessitatem, Archiepiscopus..., celebret.... » uti non potest... Cap. *Cùm super* 1, eod. titulo, his verbis: » *Si verò te sacris indutum vestibus, ecclesiâ processionaliter vel alio modo exire contingeret, tunc tuo Pallio minimè uti debes.* » Ferraris tamen, *ib.*, n° 28, ut probabile habet quòd si propter populi multitudinem, celebretur solemniter præ foribus ecclesiæ, liceat tunc uti Pallio, quia talis celebratio censetur fieri in ecclesiâ, cùm per accidens tantùm præ foribus celebretur. In hoc tamen dicit spectandam esse cujusque ecclesiæ consuetudinem.

«... Quòd in Synodo uti possit, videtur colligi ex cap. *Quòd sicut* 28, *de Elect.*, § *Prœterea*, ubi dicitur quòd *non liceat* » *Archiepiscopo sinè Pallio convocare Concilium*... Petra, » dicit Bened. XIII, ante Pontificatum, semper usum » fuisse Pallio in Synodis Provincialibus in Ecclesiâ *Beneventanâ*, et S. Carolum in Ecclesiâ Mediolanensi. » Ita Ferraris, *ib.*, n^is^ 22-29.

In cap. *Ex tuorum* 5, *de auctor. et usu Pallii*, Innocentius III dicit quòd Archiepiscopus extra « suam Provin» ciam Pallio uti non possit, etiamsi hoc habeat consue» tudo : quia, inquit, *talis consuetudo dicenda est potius* » *corruptela;* » et quidem etiamsi consentiret is ad quem spectat Ecclesia vel Provincia. Cap. *Cùm super*, ejusd. tituli. — Ferraris, *ib.*, n^is^ 30-31.

853. Quærit. 6° Quid relativè ad Pallium agere debeat Archiepiscopus, quando ad aliam Sedem transfertur, vel suæ Sedi renuntiat, vel Pallium perdit?

Resp. 1° Si Archiepiscopus translatus fuerit ad alium Archiepiscopatum, non potest uti priori Pallio, sed debet novum obtinere (Cap. *Bonœ memoriœ*, *de Postul. Prœlat.*). Debet tamen secum asportare prius Pallium, licet eo ampliùs uti non debeat, et etiamsi ad Sedem non Metropolitanum translatus fuisset; quia ex cap. *Ad hoc, de auctor. et usu Pallii*, Pallium sequitur personam, nec potest alteri

commodari, sed debet cum personâ sepeliri. Mortuus autem Episcopus vestiendus est Pallio posteriùs accepto, et primum capiti ejus est supponendum. V. Ferraris, *ib.*, n^is 36-40.

Resp. 2° Qui renuntiavit Archiepiscopatui non potest ampliùs uti suo Pallio, et casu quo postea ad aliam vel eamdem Sedem Archiepiscopalem adhuc eligeretur, novo indigeret Pallio. Item, si Pallium perdat, novum debet postulare, sed in hoc casu potest Pontificalia exercere donec aliud Pallium obtineat.

Pallium autem concessum, sed non traditum eò quòd contingat Archiepiscopum non posse eo uti, est comburendum, et cineres in sacrario sunt deponendi. S. Congr. Rit., 14 maii 1606 (Ferraris, *ib.*, n^is 42-26).

CAPUT III.

DE EPISCOPIS.

ART. I.

DE NOTIONE OFFICII EPISCOPI ET NATURA POTESTATIS IPSI TRADITÆ.

854. « Episcopus græca vox est quæ latinè *Inspectorem* » significat, et quæ munus designat Antistitis, ut populo » sibi commisso præsit, ejusque mores speculetur. » Ita Devoti, lib. 1, tit. 2, sect. 1, § 8. De variis quibus Episcopi appellantur nominibus, vide Mamachium, ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 4, etc.

« Episcopus, inquit Ferraris (v° *Episcopus*, n^is 2-6), » dicitur *sacerdos summus*, quia ultra suum ordinem » nullus est alius ordo... Dicitur *Præsul*, quia in Concilio » præsidet (cap. *Quod translationem, de tempor. ordin.*). Di- » citur *Antistes*, quia ante alios stans præeminet populo... » Dicitur *Pontifex*...: Pontifex enim, ut ait Scævola... est » dictus à *posse* et *facere*... *Facere* apud veteres *sacrificare* » est. »

855. Quoad rem, definitur Episcopus à D. Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 93) : « Ille... qui recepit sacerdotii plenitudinem, quatenus à Christo ad regimen ecclesiasticum » institutam... Si objicias non verificari definitionem in » Episcopis titularibus seu in *partibus infidelium*... Respondeo: verificatur...; quia plenitudo sacerdotii quam et » hi recipiunt, in voluntate Christi destinata est ad regimen » ecclesiasticum : quamvis ex eâdem voluntate possit Papa » *exceptionaliter* aliquos hanc plenitudinem habentes pastorali officio non applicare. »

856. Sicut Episcopo populus seu portio ovilis Christi solet assignari, ita et Ecclesia specialis, in quâ, tanquam in propriâ sede, munia pontificalia jus exercendi habeat, quæque idcirco vocatur *Cathedralis*. Solus Papa Ecclesiam in Cathedralem erigere potest (Cap. *Præcipimus* 53, c. 16, q. 1).—De unione Episcopi cum suâ Ecclesiâ vide dicta supra (519-525).

857. Item ad solum Papam pertinet determinare uniuscujusque diœcesis limites (694); de quibus adhuc vide dicta supra (358).

858. Duplex est potestas Episcoporum : alia ordinis, jurisdictionis altera : prior est illa quæ ipsi confertur per consecrationem Episcopalem, vi cujus potest quædam sacramenta, Ordinis videlicet et Confirmationis, validè administrare quæ non valent meri sacerdotes ; posterior est potestas quam ipsi habent gubernandi subditos in ordine ad vitam æternam. De duplici illâ potestate vide dicta supra (250-260). Potestas jurisdictionis in Episcopis est præsertim pro foro externo, et sic differt à parochiali potestate. Vide D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 31-34. Nota etiam quòd potestas jurisdictionis per canonicam institutionem tantummodò conferatur; potestas verò ordinis per solam consecrationem episcopalem.

859. Quærit. 1° An Episcopi sint presbyteris superiores Respondeo statuendo sequentem propositionem :

Propositio. — **Certum est de fide Episcopos esse presbyteris superiores.**

Ita definivit Synodus Trident., sess. 23, can. 7 : « Si

» quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores...
» anathema sit. » Vide etiam cap. 4 ejusd. sess.

Constat 1° ex epistolis S. Ignatii martyris, in quibus Episcopi distinguuntur à presbyteris ipsisque superiores exhibentur : sic cap. 8 Epistolæ ad Smyrnæos : « Omnes « Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et pres- » byterium ut Apostolos; diaconos autem revereamini, ut » Dei mandatum. » In Epistolâ ad Magnesianos loquens de Damâ illorum Episcopo, sic habet : « Vos decet non fami- » liariùs ac superbè uti ætate (juniori) Episcopi; sed secun- » dùm virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam : » quemadmodum novi *sanctos facere presbyteros*, non res- » picientes ad apparentem juvenilem ordinationem... » Vide alios textus ejusdem Sancti, ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 9-12.

Item constat ex S. Cypriano (in Epistolâ 11, p. 21, edit. Baluz.) : « Audio quosdam de presbyteris, nec Evangelii » memores, nec quid ad nos martyres scripserint cogi- » tantes, nec *Episcopo honorem sacerdotii sui et Cathedræ* » *reservantes*, jam cum lapsis communicare cœpisse. » — Ex Tertull., libr. *de Baptismo*, c. 17 : « Dandi quidem habet » jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc pres- » byteri et diaconi, non tamen *sinè Episcopi auctoritate*. »

Probat. 2° etiam ex eo quòd assertio Aerii, « *nullum inter* » *utrumque* (presbyterum et Episcopum) *discrimen est; est* » *enim amborum unus ordo, par et idem honor ac dignitas* », statim, tanquam hæresis manifesta rejecta fuerit, ut constat ex S. Epiphanio qui illam septuagesimam quintam vocat.

Probari posset multis aliis argumentis à D. Bouix coacervatis, eo præsertim quòd à primis Ecclesiæ sæculis contexeretur accuratè catalogus Episcoporum singularum Ecclesiarum, ad quem provocabant SS. Patres ad confutandos hæreticos : « Edant ergo, inquiebat Tertullianus (*De* » *Præscript.*, cap. 22) origines Ecclesiarum suarum, evol- » vant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones » ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem » ex Apostolis vel Apostolicis Viris (qui tamen cum Apos- » tolis perseveraverit) habuerit auctorem... » Porrò si

Episcopis æquales habiti fuissent presbyteri in his Ecclesiæ primordiis, non Episcoporum duntaxat contextus fuisset catalogus, sed et omnium presbyterorum. Ergo presbyteris superiores sunt Episcopi, et illud est de fide.

860. Objiciuntur 1° varii Scripturarum textus ex quibus colligi posse videtur nullum, Apostolorum tempore, exstitisse discrimen Episcopos inter et presbyteros : sic in suâ Epist. ad Titum Paulus, postquam dixerit (cap. 1, v. 5) : « Reliqui » te Cretæ ut constituas per civitates *presbyteros*, » ibidem (v. 7) adjicit : « Oportet enim Episcopum sinè crimine esse. »

Item in cap. 20, v. 17, *Act. Apostol.*, dicitur : « Paulus à » Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu (græcè » πρεσβυτέρους) Ecclesiæ : qui cùm venissent ad eum et » simul essent, dixit eis... Attendite vobis et universo » gregi, in quo vos Spiritus S. posuit *Episcopos* regere Ec» clesiam Dei. » Ergo primis Ecclesiæ sæculis iidem erant presbyteri et Episcopi. Ergo, etc.

Resp. Duplici præsertim modo præsentem difficultatem solvi : 1° Alii cum Petavio dicunt, primordiis Ecclesiæ, omnes vel plerosque presbyteros simul ordinatos fuisse Episcopos, ut sic plures in promptu essent qui præfici valerent variis urbibus et populis qui quotidie fidem Christianam amplectebantur : quod non impediebat quominus ex tunc distingueretur Episcopatus à simplici presbyteratu.

2° Alii cum Mamachio dicunt Episcopos vocatos fuisse etiam presbyteros : presbyterum enim sese vocat S. Petrus (1ª Epist., c. 5, v. 1) : itemque S. Joannes (2ª Epist., v. 1, et 3ª Epist., v. 1).—Quod non impedit quominus exstitissent etiam tunc meri presbyteri, qui caractere episcopali carebant et ab Episcopis prorsus distincti erant. Sic sentiebat S. Joannes Chrysost (*Homil.* in cap. 1, *ad Philipp.*) : « An» tiquitùs ipsi etiam presbyteri vocabantur Episcopi et Dia» coni Christi, et Episcopi presbyteri. Quocirca vel hodie » multi Episcopi ita scribunt : *Compresbytero* et *Condiacono*. » Procedente verò tempore, proprium cuique distributum » est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille verò presbyter » appelletur. »

Objic. 2° Plura verba S. Hieronymi quibus clarè pro-

nuntiatur nullum esse discrimen Episcopum inter et presbyterum : sic in Epist. ad Titum super his verbis « *ut* » *constituas per civitates presbyteros* », etc., ait : « Idem est » ergo presbyter qui et Episcopus ; et antequam diaboli » instinctu... diceretur in populis : *Ego sum Pauli*, *Ego* » *Apollo*, *Ego autem Cephæ*, communi presbyterorum » consilio Ecclesiæ gubernabantur... Putat aliquis non » Scripturarum, sed nostram esse sententiam, *Episcopum* » et *presbyterum unum esse*... Relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis : *Paulus* et *Timotheus*... omni» bus Sanctis.... cum Episcopis et Diaconis, etc.... sicut » ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei » qui sibi præpositus fuerit esse subjectos, ita Episcopi » noverint se, *magis consuetudine quàm dispositionis Domi-* » *nicæ veritate, presbyteris esse majores*, et in communi » debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cùm » haberet solus præesse populo Israel, 70 elegit, cum qui» bus populum judicaret. » Eamdem doctrinam S. Hieronymus defendit in suâ ad Evagrium epistolâ. Vide ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 24.

Resp. 1° Certum est S. Hieronymum clarè distinxisse inter Episcopum et presbyterum : in ipsâ enim epistolâ ad Evagrium, sic ait : « Quid enim facit, *exceptâ ordinatione*, » Episcopus quod presbyter non faciat ? » — Ergo juxta S. Doctorem, presbyter non potest facere ordinationem, sed solus illam peragere valet Episcopus.

Ad cap. 26 Evangelii S. Matth. sic habet idem S. Doctor : « Quod fecerunt et Apostoli, per singulas provincias ordi» nantes *presbyteros et Episcopos*. » Ergo distinguebat illos duos gradus. Sic adhuc habet in Epistolâ ad Marcellum : « Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent. Nec du» bium quin de 12 Apostolis sermo sit, de quorum fontibus » derivatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Juxta has » aquas 70 creverunt palmæ, quos et *secundi ordinis* sacer» dotes intelligimus præceptores. »

Tandem idem S. Doctor tenet naufragium in portu facere, qui nullum discrimen putant intercedere presbyterum inter et Episcopum. « Nihil interest, scribit, inter

» presbyterum et Episcopum ; eadem Dignitas mittentis » (Episcopi) et missi (presbyteri) : hoc satis imperitè ; in » portu, ut dicitur, naufragium. » (Adv. Joann. Hierosolymitan. Episc.)

Clarè hæc manifestant magnum interesse, ex S. Hieronymo, discrimen inter Episcopum et presbyterum. Si ergo verba in objectione relata in bonum sensum intelligi non possunt, dicendum erit sibi contradicere S. Doctorem, proinde nullam esse ipsius auctoritatem : sed in bonum sensum posse reduci necessariò dicendum est, alioquin explicari non valeret quomodo S. Hieronymus non habitus fuerit in hoc puncto hæreticus, sicut reverà prius habitus fuerat Aerius, statim ac negaverat Episcopos meris presbyteris superiores esse.

Porrò diversimodè objecta verba S. Hieronymi catholicè explicant interpretes : alii enim, juxta allatam in primâ objectione Petavii responsionem, volunt S. Doctorem locutum fuisse de presbyteris qui, ut primitus solebat fieri, ordinati erant etiam Episcopi ; alii autem contendunt Hieronymum locutum fuisse, non de eo quod erant in jure presbyteri, sed de eo quod erant primitùs ex consuetudine : quamvis enim semper de jure Episcopi fuerint superiores presbyteris, tamen ex consuetudine, primitùs communi presbyterorum consilio gubernabant Ecclesias. « Unde, ait » D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 29, in hoc uno tandem » æquales initio Episcopos et presbyteros pronuntia» vit Hieronymus, in *nomine* scilicet et in *exercitio* potes» tatis administrandæ. » Et hoc quidem contigisse ex Ecclesiasticâ dispositione existimavit.

Quædam alia objiciuntur ex epistolis S. Clementis ; sed vide eorum solutionem ap. D. Bouix, *De Episc.*, t. 1, p. 20.

861. Quærit. 2° Sub quonam respectu Episcopi sint presbyteris superiores? — Ordine tantum? — An etiam jurisdictione?

Resp. Certum, imò de fide est eos esse superiores presbyteris ratione ordinis, proinde ex institutione divinâ. Etenim habent potestatem ordinandi et confirmandi quam non habent simplices presbyteri, ut dicemus infra (1720-1723); et

constat can. 7, sess. 23, Conc. Trident., multisque aliis monumentis traditionis à D. Bouix relatis, *ib.*, p. 35, etc. Sufficiat hîc annotare ideo ordinationem Ischiræ fuisse habitam ut nullam à Concilio Alexandrino et à S. Athanasio, quia presbyter fuerat ordinatus a Collutho qui presbyter tantùm, se finxerat Episcopum. Item S. Chrysost. (*Homil.* 11, in *Epist. ad Thimoth.*, no 1) de Episcopis sic habet: « Ordi-» natione solâ superiores sunt: atque hinc tantùm patet » eos presbyteris præstare. »

Quoad jurisdictionem, patebit ex dicendis in quæstionibus subsequentibus, Episcopos fuisse pariter a Christo institutos ut simplicibus presbyteris clericis ac laicis ordinariè præessent.

862. Quærit. 3° An et quatenus Episcopi sint Apostolorum Successores?

Resp. 1° Certum esse Episcopos in aliquo sensu verè Apostolis successisse: constat ex sess. 23, cap. 4, Concil. Trident., et pluribus aliis argumentis, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 41) evolutis.

863. Resp. 2° Ut intelligatur quonam sensu Episcopi Apostolis successerint, observandum est singulos Apostolos habuisse à Christo cum plenitudine sacerdotii jurisdictionem universalem, Petro tamen tanquam Superiori subjectam. Multa momenta in probationem afferri possent (v. Bouix, *ibid.*); sufficiat allegare verba S. Matth. (cap. 18, v. 18): « Amen dico vobis quæcumque alligaveritis, » etc.; verba S. Marci (cap. 16, v. 15): « Euntes in mundum » universum, prædicate omni creaturæ; » et insuper verba S. Joann. (cap. 20, v. 21), et S. Matth. (cap. 28, v. 18). —« Omnes Apostoli, inquit Suarez, acceperunt à Christo » Domino jurisdictionem et spiritualem potestatem in totam » Ecclesiam et in totum orbem. Conclusio est certa et » communis. » (*Tract. de Fide*, part. 1, disp. 10, sect. 1, n° 1.) Vide etiam Bellarm., *De Romano Pontifice*, lib. 4, cap. 22. Hoc prænotato:

864. Dicendum est 1° Præter Romanum Pontificem, et Episcopum Hierosolymitanum, nullum Episcopum esse Successorem Apostolorum, eo sensu quòd Sedes quam

quisque eorum occupat, aliquem ex Apostolis in primum Episcopum habuerit : Sedes autem Antiochena primùm quidem fuit occupata à S. Petro, dici tamen nequeunt Patriarchæ Antiocheni Petro propriè successisse.

865. Dicendum 2° Episcopos non esse Apostolorum successores quoad universalem in toto mundo jurisdictionem: nam jurisdictio, à Christo generaliter Apostolis commissa, erat in eis (Petro tamen excepto) extraordinaria, nec data ut permanenter in cæteros Episcopos transfunderetur : id probat D. Bouix multis argumentis (*ib.*, tom. 1, p. 50-53). Sufficiat hîc sequentia referre : 1° Episcopi Hierosolymitani erant certè successores unius Apostolorum, videlicet S. Jacobi : constat tamen, etiam à primordiis Ecclesiæ, ipsorum jurisdictionem non se extendisse ultra civitatem et illius confinia, aut ad summum ultra Palestinam, prout constat ex quamplurimis antiquitatis documentis.

2° In canone 28 Apostolorum sic decernitur : « Episcopus » non audeat *extra fines suos* ordinationes facere in civi- » tatibus aut pagis ipsi non subditis. »

3° In Concilio Constantinopolitano (anni 381) sic statutum reperitur : « Secundùm regulas, constitutus Alexan- » driæ quidem Episcopus, ea quæ sunt in Ægypto tantùm » gubernet : Orientis autem Episcopi solius Orientis curam » gerant... Sed et Asianæ diœcesis Episcopi ea quæ sunt » in Asiâ et quæ ad Asianam tantummodo Ecclesiam » pertinent, gubernent, etc. »

Vide apud D. Bouix (*ib.*, p. 138, etc.) quomodo respondeatur textui S. Cypriani : « Episcopatus unus est, cujus » *a singulis in solidum* pars teneatur. »

866. Dicendum 3° Episcopos esse successores Apostolorum quoad potestatem ordinis. De hoc nulla est controversia.

867. Dicendum tandem 4° Episcopos esse successores Apostolorum, non quoad æqualitatem, sed duntaxat quoad similitudinem jurisdictionis : in hoc enim jurisdictio Episcoporum similis est jurisdictioni Apostolorum, quòd sicut Apostoli post Petrum erant primi, ita Episcopi in diœcesibus sibi commissis sunt superiores presbyteris, reliqu

clericis et laicis, et Ecclesiæ principes meritò vocantur. V. Bouix (*ib.*, tom. 1, p. 53).

868. Quærit. 4° An à Deo vel à Papâ Episcopi jurisdictionem immediatè accipiant?

Nota hic agi de potestate jurisdictionis quam habent Episcopi prout sunt *singuli*, non autem de eâ quæ ipsis a quibusdam tribuitur quatenus *collegium* seu *corpus Episcopale* conflant [1].

869. Resp. Circa hanc quæstionem duplicem adesse sententiam :

Prima tenet Episcoporum jurisdictionem esse immediatè à Christo, hoc nempe sensu : instituendo in suâ Ecclesiâ episcopatum, Christus quidem creandis usque ad finem mundi.Episcopis voluit jurisdictionem conferre, et hoc in ipsâ eorum ordinatione, sed ita tamen ut hæc jurisdictio ligata remaneret, nec foret ad actum reducibilis donec S. Pontifex approbato Episcopo territorium et subditos assignasset.

870. *Secunda* sententia concedit Christum ita instituisse Episcopos ut in varias partes Ecclesiæ debeant præfici; at simul contendit jurisdictionem singulis Episcopis immediatè conferri, non à Christo et in ipsâ eorum consecratione, sed à Romano Pontifice, et per actum quo Papa eis regendas diœceses committit (Bouix, *ib.*, t. 1, p. 55, 56). Hæc controversia magno animorum æstu agitata in Synodo Tridentinâ anno 1562, indecisa remansit. Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 1, cap. 4, n° 2.

Præsens controversia non est de nomine tantùm, inquit Bouix (ut supra, p. 60) : admissâ enim priori sententiâ, quamvis Papa jurisdictionem restringere et adimere possit,

[1] Juxta Bolgenium, fuit immediatè à Christo Episcopis collata universalis jurisdictio, non quatenus singulis, sed quatenus corpus episcopale cum suo capite Pontifice Romano componentibus; cui universali jurisdictioni participant etiam Episcopi quibus diœcesis propria non assignatur. Hæc Bolgenii opinio rejicitur a D. Bouix tanquam nova, doctrinæ a gravioribus auctoribus traditæ adversans et destruens regimen Ecclesiæ monarchicum (*ibid.*, p. 85–88). Unde quidquid potestatis universalis habent Episcopi collectivè sumpti, sive in Concilio œcumenico, sive extra, à Papâ recipiunt.

id tamen neque licitè neque etiam validè poterit sinè *justâ causâ*.

Econtra, si amplectamur secundam sententiam, quantumvis contendat Episcopus sinè justâ causâ sibi restrictam aut ademptam fuisse jurisdictionem, fateri tamen cogitur *validè* id peractum fuisse; quia in hâc sententiâ tota Episcopi jurisdictio a voluntate S. Pontificis dependet. Equidem illicitè aget Pontifex, si sic agat *absque justâ causâ*; at de valore actûs non poterit dubitari.

Hæc tamen consequentia D. Bouix (*ib.*, p. 61) saltem dubia videri debet : quamvis enim Episcopus suam jurisdictionem accipiat directè à Papâ, nihilominus vinculum quo Episcopus suæ Ecclesiæ devincitur, probabiliùs est juris divini, ut ipsemet D. Bouix (*ib.*, p. 368) probat ex cap. *Inter*, *de translat. Episcop.*; proinde sinè justâ causâ non videtur posse dissolvi. Vide etiam infra, object. 2ᵐ.

Febronius hanc posteriorem sententiam *novam* dicere ausus fuit : sed ob id sic Zaccaria eum redarguit (ap. Bouix, *ib.*, p. 61) : « Quæ isthæc audacia est, *novam* et *falsam*,
» *sacræ Scripturæ contrariam* appellare doctrinam quam
» divus Thomas, quam S. Bonaventura, quam plerique
» omnium ordinum nationumque theologi tradiderunt ?
(*Antifebron. vindic.*, dissert. 3, cap. 2, nº 6.)

871. Hæc secunda sententia à D. Bouix validis stabilitur argumentis : nempe I. Ex scripturæ verbis : *Tu es Petrus*, etc., *Pasce agnos meos;* his enim verbis probatur, ut supra diximus, S. Pontificem plenam habere potestatem in universalem Ecclesiam, in agnos et oves, in Episcopos et fideles : sed si Episcopi immediatè à Christo acciperent potestatem in suam quisque diœcesim, quomodo plena gubernandi universalem Ecclesiam, agnos et oves, Summo Pontifici tradita fuisset ?

II. Ex innumeris traditionis monumentis hanc S. Pontifici tribuentibus potestatem : sufficiat referre 1º S. Optati Milevitani verba (lib. 7, contra Parmenam) : « B. Petrus...
» claves regni cœlorum, *communicandas cæteris, solus*
» *accipit.* »

2º S. Gregorii Nysseni : « *Per Petrum* Episcopis dedit

(Christus) clavem cœlestium donorum (t. 2, p. 746, edit. Paris., 1615).

3° S. Innocentii I : « Scientes quid Apostolicæ Sedi...
» debeatur à quo ipse *Episcopatus* et *tota auctoritas nominis*
» *hujus emersit.* » (Epist. ad Conc. Carthag.)

4° S. Thomas (*Contra gentes*, lib. 4, c. 7) : « Petro soli
» promisit : *Tibi dabo claves regni cælorum*, ut ostende-
» retur potestas clavium *per eum ad alios derivanda*, ad
» conservandam Ecclesiæ unitatem. »

III. Ex variis argumentis theologicis : 1° « Qui tenent im-
» mediatè à Christo conferri Episcopis jurisdictionem, de-
» bent alterum ex his duobus admittere, videlicet : conferri
» hanc jurisdictionem, vel in instanti Episcopalis consecra-
» tionis, vel in instanti præconizationis seu assignationis
» territorii. »

Primum dici nequit : nam de essentiâ jurisdictionis est ut sit in *aliquos subditos* et quidem determinatos : jurisdictio enim in *nullas* personas determinatas, idem rigorosè est ac nulla jurisdictio, cùm non potiùs in unam quàm in alteram personam exerceri valeat; porrò in instante Episcopalis consecrationis non assignantur subditi nec determinatur diœcesis. Ergo, etc.

Nec etiam *secundum* dici potest : nam admitti nequit intervenire Christum ubi inutilis est ipsius interventio; sed inutiliter Christus daret ipse jurisdictionem quando Ecclesia valet præstare, et, consentientibus adversariis, persæpe præstat : etenim aliquando Papa confert jurisdictionem presbyteris qui non sunt consecrandi Episcopi; nuper in coloniis nostris, Pius IX disposuit ut, Sede vacante, Episcopalis jurisdictio exerceretur a Vicario Generali Episcopi defuncti; eam ordinariè exercet Capitulum in eodem casu; communicatur Episcopis consecrandis, proinde adhuc solùm presbyteris. Jam verò nemo dixerit ejusmodi presbyteris competere jurisdictionem *ex jure divino*, aut ipsis immediatè conferri à Christo. Ergo ipsis per S. Pontificem confertur; proinde Ecclesia Romana hanc habet potestatem, et ipsâ eam exercente, inutiliter recurreretur ad Christum, dicendo ab illo conferri Episcopis in instanti ipso-

rum præconizationis aut assignationis territorii ipsis factæ. Ergo, etc.

2° Juxta adversarios, immediatè à Christo jurisdictio Episcopis confertur in eo instanti quo consecrantur, sed hæc jurisdictio manet ligata donec à Papâ ipsis assignetur territorium. Porrò ut hujus opinionis falsitas pateat duo sufficiunt: nempe 1° quòd ante consecrationem Episcoporum, Papa valeat ipsis, jurisdictionem conferre non tantùm ligatam, sed actu exercibilem; 2° quòd, hoc probato, jam admitti nequeat dicta jurisdictionis collatio à Christo in instanti consecrationis facta. Atqui hæc duo constant.

Primum certum est: antequam enim consecrentur, post eorum in Consistorio promotionem, electi Episcopi suæ diœcesis capere possessionem, ipsamque administrare valent; et reverà sic agere solent Episcopi omnes.

Secundum pariter constat: nam, si instituti à Romano Pontifice, jam ante suam consecrationem, jurisdictionem habeant, dici nequit eos hanc jurisdictionem accipere à Christo *in instanti consecrationis*. Non enim tunc recipitur quod jam habetur.

Nec dicas hoc tantùm valere pro casu quo jurisdictio confertur à Papâ nondum consecratis, non verò pro casu quo consecratio Episcopalis præcedit assignationem diœcesis à Papâ factam: nam respondetur non esse rationem cur S. Pontifex possit conferre jurisdictionem in uno casu et non in altero: cùm illud faciat propter plenitudinem potestatis quam habet *gubernandi universalem Ecclesiam et singulas diœceses;* hoc autem non admisso, hæc absurditas sequeretur, alios nempe Episcopos jurisdictionem habere à Papâ, et alios à Christo; cùm tamen adversarii asserant omnes Episcopos à Christo immediatè accipere jurisdictionem. Vide alia argumenta apud D. Bouix, *ibid.*, p. 67, etc.

872. Objicies 1° Verba S. Pauli (*Act. Apost.*, c. 20, v. 28): « Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. » Ergo, non à Papâ, sed à Deo seu S. Spiritu, Episcopi potestatem accipiunt.

Resp. Episcopos *positos esse quidem à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei*, sed mediante S. Pontifice. Sicut enim Ecclesia condendo canones in Conciliis dicit : *Visum est Spiritui S. et nobis*, et tamen canones non ideo vocantur jus immediatè divinum, ita Episcopi dum à Papâ recipiunt jurisdictionem, censentur quidem positi à Spiritu S. ad regendas suas diœceses, sed non ideo immediatè à Spiritu S. recipiunt jurisdictionem.

Objicies 2° Episcopi non sunt Vicarii Papæ : atqui tales essent si a Papâ reciperent jurisdictionem. Ergo, etc.

Resp. D. Bouix (*ibid.*, p. 77) : « Stare... simul possunt » hæc duo : quod Christus voluerit ut à Papâ singuli Episcopi suam jurisdictionem acciperent, et quod etiam » voluerit ordinariè constitui à Papâ Episcopos, non tanquam Vicarios ad nutum revocabiles, sed tanquam pastores ac principes, qui proprio nomine commissas sibi » Ecclesias regerent, nec deberent *nisi ex justâ causâ* removeri; hæc duo, inquam, nullatenus inter se repugnant, » ac proinde inanis est objectio. » Vide magis evolutam hanc quæstionem apud eumdem (*ibid.*, p. 104, etc.).

Plura alia objiciuntur quorum solutio invenitur ap. D. Bouix (*ib.*, p. 74-81).

873. Quærit. 5° An Episcopi jurisdictionem immediatam, vel solùm mediatam habeant in suos diœcesanos? — Vide supra (288).

Resp. A quibusdam, cum auctore libri cui titulus : *Pouvoirs légitimes du premier et du second ordre*, contendi Episcopos non esse immediatos pastores fidelium ipsis commissorum, sed parochis solummodo pertinere, jure divino, illorum curam immediatam, ita ut Episcopis nihil aliud ferè remaneat quàm invigilare ut sacerdotes suum munus expleant, et eorumdem negligentiam supplere (V. Lequeux, n° 265). Hoc autem est error, et contrarium est omninò tenendum.

1° Parochi, ut infra probabimus (1295, etc.), sunt tantùm institutionis ecclesiasticæ, nec ante quartum sæculum exstiterunt : per quatuor enim priora sæcula, sacerdotes

fidelibus non administrabant sacramenta nec ipsum baptismum, nec missas celebrabant sinè veniâ Episcopi, qui per se vel per alios clericos, presbyteros aut diaconos, hæc omnia suis præstabat ovibus; sufficiat hìc referre canonem 38 Apostolicum : « Presbyteri et diaconi *sinè sententiâ* » *Episcopi* nihil perficiant. *Ipse est enim cujus fidei populus* » *est creditus, et à quo animarum ratio exigetur.* »

2° Probabimus (infra 1571, etc.) ex S. Thomâ, confessionem Episcopo vel ipsius delegato factam, invito licet parocho, esse validam, etiam Paschatis tempore; sed hoc supponit immediatam esse Episcopi jurisdictionem. Ergo, etc.

In Clement. *Dudum*, Concil. Viennensis dicitur : « In » Ecclesiis parochialibus, fratres (mendicantes) nullatenus » audeant prædicare nisi à parœcialibus sacerdotibus invi- » tati, et de eorum beneplacito.., nisi Episcopus vel Præ- » latus superior per eosdem fratres prædicari mandaret. »

3° In Comitiis Cleri Gallicani, anno 1665, statutum fuit : « L'assemblée a résolu de faire enseigner aux fidèles..... » que leur principale fonction (des Évêques) étant celle de » prêcher la parole de Dieu, ils le peuvent faire quand ils » veulent, et administrer les sacrements, même de péni- » tence, et célébrer les mariages dans toutes les paroisses » et églises de leurs diocèses, soit par eux-mêmes, soit » par ceux qu'ils choisiront et qu'ils commettront pour ces » fonctions, même sans le consentement des curés, lors- » qu'ils le jugeront convenable et utile au salut des âmes, » comme ayant plus de pouvoir et d'autorité dans les pa- » roisses que les curés même. » *Mémoir. du clergé*, t. 11, p. 684.

Plures propositiones excerptæ è præfato libro : *Pouvoirs du premier et du second ordre*, damnatæ fuerunt à Facultate Parisiensi, anno 1735, quarum 34ª sic habet : « Le » Concile de Trente n'a pas dit que l'Évêque avait plus de » puissance pour l'administration des sacrements que le » curé même. » — « Hæc propositio, inquit Facultas, est » *falsa, de juribus Episcoporum detrahens*, et intellecta eo » sensu quòd Episcopus per se non possit munia parocho-

» rum in quâlibet parochiâ sibi subditâ exercere, *est hære-*
» *tica.* » Vide Lequeux, n° 265.

In probationem posset etiam allegari Concil. Trid., sess. 24, c. 1, *de reform.*, ubi dicitur : « Qui aliter quàm » præsente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi, » seu *Ordinarii* licentiâ, matrimonium contrahere atten- » tabunt, etc. »

874. Ex responsione ad præcedentem quæstionem, deducitur Episcopum posse mandare, invito parocho, ut in aliquâ parochiâ fiant extraordinaria exercitia : prædicationes nempe, vel missionum actus, etc. Id etiam fuit agnitum à Potestate temporali in Galliâ : citantur enim à Lequeux, n° 266, unum Arrestum Consilii Regii anni 1675, et Decretum Regium ejusdem anni. Idem est dicendum in Ecclesiis Cathedralibus, Capitulis non consentientibus. Vide *Mém. du Clergé*, tom. 3, col. 1077, 1157, et t. 2, col. 1611.

875. Quærit. 6° An in Conciliis œcumenicis Episcopi sint meri Consiliarii Romani Pontificis, vel etiam veri Judices et Legislatores?

Resp. cum Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 13, cap. 2, n° 2) : « Episcopi in Concilio Generali S. Pontifici assident, » non tanquam meri *Consiliarii*, *verùm etiam tanquam ju-* » *dices.* » Et eodem modo sentiunt Melchior Cano, Bellarminus et cæteri communiter, estque hæc sententia *tenenda*, inquit Bouix (*De Episcopo*, tom. 1, p. 111), qui illam probat ex actibus Apostol., c. 15, v. 16, et praxi constanti Conciliorum Generalium. Vide alia apud eumdem.

876. Nec dicatur exinde sequi Episcopos habere jurisdictionem in universalem Ecclesiam, cùm in Concilio œcumenico quilibet Episcopus pronuntiet quoad totam Ecclesiam : nam nihil repugnat quòd hæc universalis jurisdictio Episcopis à Papâ concedatur, modò non intelligatur de concessâ potestate quæ non indigeat S. Pontificis approbatione, cùm infallibilitas et suprema Papæ auctoritas sint incommunicabiles quoad earum plenitudinem. V. Bouix, *ib.*, p. 113.

877. Igitur, ut ait idem (p. 129) : « Quando in Concilio œcu-

» menico agitur de definiendo dogmate, jam antea definito » à Papâ vel ab aliis Conciliis Generalibus, Episcopi ita » sunt judices ut teneantur judicare quod jam definitum » est; si agatur de definiendo dogmate nondum definito, » ita sunt judices ut eorum judicium vim definitionis con- » scientiam obligantis non habeat, nisi per assensum et » confirmationem S. Pontificis; si agatur de condendâ » disciplinari lege, ita sunt judices et legislatores ut eo- » rum lex non obliget, nisi à Papâ fuerit firmata. » Vide hæc explicata et probata apud eumdem (*ib.*).

878. Quærit. 7° An possint in eâdem diœcesi constitui duo Episcopi?

Resp. Negativè, regulariter loquendo, quippe id fuit à Concilio Lateran. IV prohibitum his verbis: « Prohibemus » autem omninò ne una eademque civitas sive Diœcesis » diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus di- » versa capita, quasi monstrum. » Cap. *Quoniam*, *de Offic. Judic. Ordin.* Jam idem fuerat vetitum a Concilio Nicæno, can. 8.

Excipiendi sunt tamen 1° Casus ubi Episcopo infirmo vel aliâ difficultate laboranti, dandus est coadjutor; 2° Casus ubi in civitate aut diœcesi essent duo populi ritûs aut idiomatis diversi.

879. Item regulariter uni Episcopo committi non possunt duo vel plures diœceses. Ita ex Concil. Trident., sess. 7, cap. 2, *de reform.*;— Bouix, *De Episcopo,* tom. 1, p. 315.

Ex constitutione Benèd. XIV *Etsi Pastoralis*, §§ 7 et 9, Episcopi latini jurisdictionem ordinariam habent in Græcos et Albanenses in suis diœcesibus commorantes: sed Episcopi græci latinos ordinare nequeunt sub pœnâ suspensionis. V. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 6, n° 133, etc. Decernitur in Concilio Lateranensi IV, ut si, in eâdem civitate, habitent populi mixti, moribus et linguâ diversi, Episcopus sibi adjungat Vicarium qui populis sacramenta ministret. Vide *Prælect. S. Sulpitii,* n° 128 in fine, et infra dicenda (1158).

Scholia.

880. 1° Ex dictis in responsione ad secundam objectionem quæstionis 3æ, Christus suam Ecclesiam constituens voluit ut variæ ipsius partes, regulariter committerentur regendæ Episcopis ordinariâ potestate pollentibus. Id constat ex Concil. Trid. (sess. 23, cap. 4), ubi in probationem adducuntur verba Apostoli : « In quo vos Spiritus S. » posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. » Vide alia argumenta ap. D. Bouix, *ibid.*, tom. 1, p. 82.

Diximus *regulariter :* nam extraordinariè et justis de causis, potest S. Pontifex simplici Presbytero, Vicario Apostolico aut Capitulo, hanc vel alteram Diœcesim regendam committere : sæpe enim nocivum foret si, mortuo Episcopo, nullus Episcopalem jurisdictionem exercere valeret. Unde cùm Christi voluntas intelligi non debeat eo modo qui noxius Ecclesiæ esset, dicendum est voluisse ut suus in terris Vicarius possit, *exceptionaliter* et *justis de causis*, à generali ordinatione recedere.

Sed non potest S. Pontifex omnes simul mundi Episcopos deponere et omnes diœceses regere per Vicarios, ita ut jam non sint in Ecclesiâ Episcopi qui tanquam Ordinarii et proprio nomine Ecclesias regant; quia sic subverteretur constitutio Ecclesiæ à Christo determinata (Bouix, *ibid.*, tom. 1, p. 109, etc.).

881. 2° Jurisdictio ordinaria cujuslibet Episcopi in commissâ sibi diœcesi, non excludit ordinariam jurisdictionem S. Pontificis in eâdem diœcesi, et ita semper debet intelligi ut sit subjecta Papali huic jurisdictioni : illud constat ex dictis supra de Primatu S. Pontificis.

Plura de Episcopis tractanda remittimus ad speciales articulos in decursu operis inveniendos; sic n[is] (1729-1740) dicemus de Episcopatu prout est ordo.

De Electione Episcoporum diximus supra (428-440) ; de Dimissione (499, etc.) ; de Translatione (520, etc.) ; de Revocatione (540-550).

ART. II.

DE VARIIS OFFICIIS ET POTESTATE EPISCOPORUM.

In 20 paragraphos præsentem articulum dividemus, pro varietate officiorum et potestatis Episcoporum.

§ 1.

De Obligatione residendi.

882. — 1° Quidquid sit de quæstione, an jure divino vel solùm jure Ecclesiastico Episcopi ad residentiam teneantur (quod dubium expendemus infra (1449) de Parocho; nam quod dicitur de Parochis in hoc puncto, applicandum est, a fortiori, Episcopis), certum est Episcopos, etiamsi Cardinales exstent, ad residentiam, saltem ex jure Ecclesiastico, teneri. Etenim « declarat Sacrosancta Synodus » Trid. (sess. 23, cap. 1) omnes Patriarchalibus, Metro» politanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quo» cumque nomine et titulo præfectos, etiamsi S. Romanæ » Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in suâ » Ecclesiâ vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi offi» cio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis » et modis infrà scriptis. »

883. 2° Non minus certum est residentiam, ad quam Episcopi tenentur, intelligendam esse, non de materiali duntaxat et otiosâ, sed de formali et laboriosâ; illud constat ex Bullâ *Grave*, Bened. XIV, 15 aug. 1741, ubi declaratur residentiam non esse veram, nisi sit formalis; et clarè etiam eruitur ex verbis modò relatis Concilii Tridentini, nempe: *ubi injuncto sibi officio defungi teneantur.* Vide S. Liguor., lib. 4, n° 127, dub. 3; Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 5.

884. — 3° Episcopus residentiæ obligationi satisfacit residendo intra diœcesim, prout constat ex verbis supra allatis Concil. Trident., *in suâ ecclesiâ vel diœcesi*, et Bullâ Benedicti XIV *Ubi primùm*, 3 decemb. 1740, in quâ dicitur: « Personalem in Ecclesiâ vestrâ vel diœcesi servetis resi» dentiam. » S. Liguor., lib. 4, n° 124; Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 5, etc.; Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3, n° 14, qui addit: « Modò vadat ad Cathedralem, temporibus

» præscriptis à S. Concil. Trident., sess. 23, cap. 1,
» S. Cong. Episc., 17 decemb. 1649. » Ut statim dicturi sumus ex Concil. Trident. (885).

885. Quærit. 1° An nunquam liceat Episcopis à suâ diœcesi abesse?

Resp. « Quoniam, inquit Concil. Trident. (sess. 23,
» cap. 1), qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum
» canonum sententiâ, non videntur abesse... Sacr. Synodus
» vult illud absentiæ spatium, singulis annis, sive con-
» tinuum sive interruptum, nullo pacto debere duos aut
» ad summum tres menses excedere; et haberi rationem,
» ut id æquâ ex causâ fiat, et absque ullo gregis detri-
» mento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ re-
» linquit.... Eosdem interim admonet et in Domino hor-
» tatur, ut per illius temporis spatium, Dominicis Adventûs,
» Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pen-
» tecostes, item et Corporis Christi diebus, quibus refici
» maximè et in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oves
» debeant, ipsi ab Ecclesiâ suâ cathedrali ullo pacto absint,
» nisi episcopalia munia in suâ diœcesi eos aliò avocent. »

886. Licitum est ergo Episcopis à suis diœcesibus abesse per duos vel ad summum tres menses; sed illud non potest fieri nisi *ex æquâ causâ et absque ullo gregis detrimento.*

« Quibus verbis, inquit Bened. XIV, Bulla *Ad universa*,
» 3° Nonas decembris 1746, animi levitas, oblectationum
» cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur. » Vide etiam Encycl. 3 dec. 1740, *Ubi primùm.*

Dicunt verò Roncaglia, Elbel cum Barbosâ et aliis,
« Sufficere pro tali absentiâ excusandâ, causam etiam
» relaxandi animum, vel consanguineos aut amicos in-
» visendi. Attamen Palaus... Vasquez... cum aliis, dicunt
» præfatas causas non sufficere, nisi fortè ad mensem, qui
» reverà benè satis est ad animum relaxandum; dum è
» converso Concilium.... pro sufficientiâ causæ æquæ...
» remittit conscientiis Episcoporum, et sedulò monet, ne
» salutis periculo ob hoc se committant.» S. Lig., l. 4, n° 122.

887. Pro trimestri absentiâ Episcopi non indigent licentiâ S. Sedis. Plures casus circa illorum trium mensium

absentiam jam resoluti ab Urbano VIII, memorantur à Bened. XIV in Constit. *Ad universa*, nempè : « Non licere » trimestrem absentiam conjungere sive cum eo tempore » quo permittitur Episcopis post suam promotionem in » Urbe commorari, sive cum eo quod ad peragendam Sa- » crorum Liminum visitationem, eisdem concessum fuit : » neque fas esse absentiæ tempora ita disponere, ut tres » postremi menses unius anni continuentur cum tribus » prioribus mensibus anni subsequentis ; sicut etiam veti- » tum est prædictos menses conjungere cum eo anni tem- » pore quo propter aeris insalubritatem alicui Episcopo » permittitur extra diœcesim degere, ne scilicet continua- » tis absentiæ temporibus, vernos simul et æstivos menses, » sive æstivos unà cum autumnalibus, extra diœcesim duci » contingat. Denique... declaratum fuit prædictam trium » mensium vacationem intra cujusque anni limites coerceri, » ut qui, uno anno, usus eâ non fuerit, non ideo, se- » quenti anno, diutiùs ab Ecclesiâ suâ abesse valeat. »

888. Quærit. 2° An liceat aliquando Episcopis ultra trimestre à suis diœcesibus abesse?

Resp. Sic habere Concil. Trident. (sess. 23, cap. 1, *de ref.*) : « Cùm christiana charitas, urgens necessitas, debita » obedientia ac evidens Ecclesiæ[1] vel reipublicæ utilitas » aliquos nonnunquam abesse postulent, decernit eadem » Sacrosancta Synodus has legitimæ absentiæ causas à » B. Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, » Suffraganeo Episcopo antiquiori residenti, qui idem Metro- » politani absentiam probare debebit, in scriptis esse appro- » bandam, nisi cùm absentia inciderit propter aliquod mu- » nus et reipublicæ officium, Episcopatibus adjunctum. »

889. Igitur ex quatuor illis causis : *Christiana Charitas*, etc, Episcopi possunt legitimè abesse ultra trimestre ; sed in his casibus regulariter requiritur licentia in scriptis data à S. Pontifice[2]; hanc licentiam pariter quidem, juxta

[1] Censetur casus contingere quando Episcopus abest ad prosequendum jura Ecclesiæ suæ vel propria.

[2] Asserit Lequeux hanc legem non vigere apud nos (n° 271). An autem reverà non observetur penitus ignoramus.

Concil. Trident., concedere valent tam Metropolitani quàm, illo absente, antiquiores Suffraganei residentes : sed quoad hoc Concil. Trident. fuit reformatum ab Urbano VIII, in Constitutione *Sancta Synodus*, 12 decembris 1631, confirmatâ per Bullam *Ad universa* Bened. XIV, in quâ Episcopis prohibetur ne à suis diœcesibus discedant, *nisi obtentâ priùs à Nobis et Romano Pontifice pro tempore existente licentiâ præfatâ.*

890. Causæ supra enuntiatæ à Concil. Trid., regulariter non legitimant absentiam Episcoporum nisi in quantum accedit pontificia licentia, ut patet ex eodem Concilio et præfatis Urbani VIII et Bened. XIV Constitutionibus. Quidam tamen casus sunt excipiendi :

1° Absque ullâ licentiâ possunt Episcopi, ad visitanda Sacra Limina, à suis diœcesibus abesse per quatuor menses, si diœcesis intra Italiam existat; per septem verò menses, si sit extra. Ita Urbanus VIII in præfatâ Bullâ *Sancta Synodus*, § 12.

2° Absque ullâ licentiâ abesse possunt Episcopi ut intersint Concilio Provinciali vel Comitiis Generalibus, quando ratione mùneris seu officii propriis Ecclesiis adjuncti, ad eos pertinet ejusmodi cœtibus interesse : constat ex eâdem Bullâ Urbani VIII, § 10; et Concil. Trident. supra relato [1]. Observandum tamen quod addit Urbanus VIII (*ibid.*) : « Nolumus posse aliquem se excusare (à » non petendâ licentiâ), prætextu cujuscumque servitii » quomodolibet præstiti et præstandi pro gerendis et trac- » tandis negotiis quorumcumque principum, aut rerum » publicarum, regnorum et provinciarum; nec etiam ra- » tione cujuslibet jussionis vel mandati eorum vel earum ;

[1] Dubitat verò D. Bouix (*De Episcopo*, t. 2, p. 14) an præfata decisio sit applicanda Episcopis et Cardinalibus, qui in Galliâ Senatûs Comitiis vel supremo Instructionis publicæ congressui interesse debent. Ratio dubitandi est quòd tam Concil. Trident. quàm Urbanus VIII loquantur duntaxat de munere et reipublicæ officio Episcopatibus adjuncto; porrò non ex munere suo Episcopatui adjuncto, sed, vel eo quòd sint Cardinales, vel designentur ab Imperatore, intersunt his Comitiis vel Congressibus nostri Cardinales aut Antistites. Unde tutiùs existimat præfatus auctor ut ad S. Pontificem recurrant pro obtinendâ in his casibus abessendi licentiâ.

» nec etiam ratione persecutionis seu defensionis quarum-
» cumque litium seu controversiarum; vel ineundi fœderis
» aut cujuscumque alterius negotii etiam gravissimi... vel
» distantiæ locorum, aut brevitatis temporis ob quam non
» videatur exspectanda Sedis Apostolicæ licentia ante-
» quam... discedant; aut ratione cujuscumque alterius
» causæ etiam publicæ.. etiam cujuslibet utilitatis, sive ne-
» cessitatis Ecclesiarum et personarum. »

3° Abesse possunt sinè licentiâ Cardinales ut, Sede Apostolicâ vacante, ad locum Conclavis accedant. Urbanus VIII, *ib.*, § 13.

891. Quærit. 3° An à residentiâ excusetur Episcopus propter periculum contrahendæ pestis?

Resp. « Dubium hoc, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib.
» 13, cap. 19, n° 2), ad Sacram Congreg. Concil. detulit
» (S. Carolus Borromæus.)... Responsum autem fuit resi-
» dendi obligationem vel tunc vigere, eâque astringi, non
» modò parochos, sed et Episcopos...; quibus Pontificia
» quoque Gregorii XIII accessit approbatio. » Potest tamen Episcopus in locis tutioribus manere, et inde providere. Ita idem Gregor. XIII, 18 sept. 1576, apud Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3, n° 12.

892. Non videtur tamen quòd tunc Episcopus astringatur ad sacramentum Confirmationis peste laborantibus administrandum; quia Confirmatio non est absolutè necessaria ad salutem; nec etiam quòd tunc teneatur eisdem baptismi et pœnitentiæ sacramenta dispensare, nisi quando nemo alius adesset qui id præstare posset : quia illorum dispensatio est parochorum onus proprium (Bened. XIV, *ib.*, n° 6.). Laudabiliter autem agent Episcopi in hoc S. Caroli vestigia sequentes, qui prædicta sacramenta imò et viaticum et extremam-unctionem pestiferis ministrabat Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 17).

893. Quærit. 4° Intra quodnam temporis spatium Episcopi recenter promoti debeant ad suam Sedem se conferre?

Resp. Eos qui exstant apud Romanam Curiam, ad suam Sedem se conferre debere infra mensem à die suæ promotionis; eos verò qui extra Romam et infra Italiam, intra

duos menses; eos tandem qui extra Italiam, infra quatuor. Ita D. Bouix, qui illud deducit ex pluries citatâ Constit. *Sancta Synodus* Urbani VIII (*De Episcopo*, tom. 2, p. 17 et 18). Vide etiam Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3, n° 18.

894. Quærit. 5° Quibusnam pœnis obnoxii sint Episcopi residentiæ præceptum transgredientes?

Resp. Has pœnas recenseri a Bened. XIV in suâ Constit. jam citatâ *Ad universa* : « Adversus.. transgressores.. omnes » et singulas pœnas in eisdem decretis latas et comminatas » confirmamus et innovamus : amissionis scilicet quartæ » partis fructuum unius anni, ipso facto ab eis incurrendæ » qui legitimo impedimento, seu justis causis cessantibus » et absque expressâ... Apostolicæ Sedis licentiâ, sex men- » sibus continuis, extra suam Diœcesim morando ab- » fuerint; et amissionis alterius quartæ partis fructuum » eodem modo incurrendæ, ubi hujusmodi absentia ad » alios sex menses protrahatur, ut in Concil. Trid. (sess. 6, » cap. 1, *de reform.*) statutum fuit : incursûs quoque in » peccati mortalis reatum, et obligationis restituendi » fructus in absentiâ perceptos, nullâ etiam præviâ decla- » ratione, eosque erogandi in ecclesiarum fabricas seu in » sustentationem pauperum ipsius loci..., ut in eodem » Concil. (sess. 23, c. 1) præscribitur. Similiter impositam » à... Pio IV... pœnam amissionis facultatum testandi et » disponendi..., nec non inhabilitatis ad majores Dignitates » et Ecclesias obtinendas, quam... Clemens VIII indixit, » per omnia confirmamus et innovamus. Quibus omnibus » hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omni- » bus et singulis indultis et privilegiis, quæ forsan ipsis » tanquam Pontificio Solio assistentibus concessa fuerint, » ipso facto privati esse censeantur. Decernentes sub » transgressorum nomine comprehendi... eos etiam qui » hujusmodi (abessendi) licentiam falsis simulatisque » causis dolosè extorquere non dubitaverint : vel eâ semel » ritè... obtentâ, præscriptos in eâdem limites ac præfini- » tum tempus prætergressi fuerint. »

895. Postea Pontifex declarat eos qui hujusmodi pœnas contempserint posse suis sedibus spoliari. — Circa quod

observat Ferraris (v° *Episcopus*, art. 3, n° 35) quòd : « Epis-
» copus absens... ultrà tempus à jure statutum, qui com-
» monitus non redit..., videtur habere Ecclesiam pro dere-
» lictâ, et potest eâ spoliari per Papam *sinè citatione et*
» *sententiâ*. Cap. *Qualitas* 9, *de clericis non resident.* »
V. etiam Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 19 et 20; et
infrà dicenda de parochi residentiâ (1482, 1483).

896. « Episcopus dum residet non potest citari ad com-
» parendum in Curiâ, nisi de Papæ commissione. Pius IV,
» *De salute gregis*, » ap. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3,
n° 32.

§ II.

De Episcopali diœcesis Visitatione.

897. Quid sit et ad quem finem instituta sit episcopalis diœcesis visitatio intelligi potest ex his verbis Concilii Trident. (sess. 24, cap. 3) : « Visitationum autem... præcipuus
» sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis
» hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corri-
» gere; populum cohortationibus et admonitionibus ad reli-
» gionem, pacem innocentiamque accendere; cætera, prout
» locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentiâ,
» ad fidelium fructum constituere. »

898. « Visitandi jus et potestas, inquit Ferraris (v° *Visi-*
» *tare*, n° 2, etc.), competit omnibus Prælatis ecclesiasticis,
» qui jurisdictionem ordinariam in aliquos habent. » Vide apud eumdem, *ibid.*, eorum enumerationem. Inter eos computantur quidam Archidiaconi et quædam Capitula quæ ex longâ consuetudine hoc jus visitationis possident, etiam Sede occupatâ. Quid de iis sentiat Concil. Trident., vide in capite supra citato. Vide etiam Ferraris, *ibid.*; et Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 21, etc.

899. Nisi obstet nimia diœcesis amplitudo, tenetur Episcopus totam Diœcesim singulis annis visitare; si verò obstet, tenetur illam visitationem intra biennium absolvere; id constat ex cap. *Decrevimus* 10, et cap. 11, causâ 10, q. 1. Ita quoque sancivit Concil. Trident. (loco citato) : « Patriar-

» chæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, propriam
» Diœcesim per seipsos, aut, si *legitimè impediti fuerint*,
» per suum Vicarium Generalem aut, Visitatorem, *si quo-*
» *tannis* totam propter ejus latitudinem visitare non pote-
» runt, saltem majorem ejus partem (ita tamen *ut tota*
» *biennio per se vel visitatores suos compleatur*) visitare
» non prætermittant. »

900. Est in pluribus Galliæ locis consuetudo ut non perficiatur diœcesis visitatio, nisi intra quatuor, quinque vel etiam numerosiores annos : porrò nulla est difficultas pro locis in quibus obtentum fuit à S. Sede indultum speciale ad sic prolongandam visitationis absolutionem ; pro locis verò, in quibus tale indultum non fuit impetratum, meritò dubitari potest, quidquid dicat auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 158), de legitimitate hujusmodi consuetudinis, cùm minimè sit certum legitimas fieri posse consuetudines contra præscripta Concil. Trident. introductas. Vide dicta supra (144).

Sic fert Edictum Blesence 1579 : « Art. 32. Les Évêques
» seront tenus de visiter en personne, ou, s'ils sont légiti-
» timement empêchés, par leurs Vicaires Généraux (art.
» 14, ou autres ecclésiastiques ayant droit de le faire sous
» leur autorité) les lieux de leurs diocèses *tous les ans*, etc.,
» si, par la grande étendue d'iceux, la dite visitation dans
» ce temps ne peut être accomplie, seront tenus d'icelle
» parachever dedans deux ans. »

Lex verò organica anni 1802 solùmmodo dicit : « Art. 21.
» Les Évêques visiteront, annuellement et en personne, une
» partie de leurs diocèses, et dans l'espace de *cinq ans*, le
» diocèse entier. » Sed adversùs hunc articulum reclamavit Cardinalis Legatus asserens non sufficere visitationem quinquennalem. V. Lequeux, n° 316.

901. « Episcopus, inquit Ferraris (v° *Visitare*, n° 93),
» in visitatione tenetur prædicare... per se, aut saltem
» per alios ; aliàs, nisi legitimâ causâ excusetur, ipsum
» peccare mortaliter ex Cajetano... Gavanto, etc... firmat Monacelli... cap. *Placuit*, 10, q. 1, et cap. 1, § *Sanè*, *de Censibus*, in 6° ; et concludens... *Quomodo se excusent*

» *coram Deo tot Episcopi qui nihil prorsùs curant de hoc*
» *in visitando*, ipse Deus scit. »

902. Quærit. 1° Quænam loca et personæ visitationi Episcopali subjaceant?

Resp. Vel agi de locis aut personis exemptis, vel quæstionem esse duntaxat de locis aut personis à jurisdictione episcopali non exemptis.

1° Nulla est difficultas pro personis vel locis non exemptis; omnia enim loca et personæ subjiciuntur visitationi Episcopali, quando non eximuntur ab ipsius jurisdictione.

Sed « Si Episcopus visitare velit totum Capitulum, inquit
» Ferraris (*ib.*, n° 90), debet accedere ad locum ordina-
» rium Capituli, si tamen commodè fieri potest. Non tene-
» tur ad locum Capituli accedere quoties vult prosequi
» visitationem alicujus personæ de Capitulo. » Vide etiam D. Bouix, *De Capitulis*, p. 301.

Jus habet Episcopus etiam visitandi hospitalia à fratribus S. Joannis de Deo administrata; non tamen quoad regularem observantiam, quia illi fratres sunt exempti. V. Ferraris, *ib.*, n° 71.

Item jus habet visitandi confraternitates, collegia et illorum capellas, scholas quascumque, non tamen quæ sub regum immediatâ protectione subsunt; et alumnos interrogandi circa doctrinam christianam (Concil. Trident., sess. 22, cap. 8, *de reform.*). Hoc jus à Gubernio etiam in Galliâ olim agnoscebatur. Vide Lequeux, n° 317, in notâ.

Factâ primâ visitatione Oratoriorum privatorum occasione illorum approbationis, non ampliùs jus habent Episcopi illa visitandi, nisi ipsis denuntiaretur, vel fama publica adesset quòd indecenter tenerentur, nec in eis servarentur requisita per Indultum. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 30 et 31.

903. 2° Pro personis verò et locis exemptis multæ solvendæ sunt quæstiones: 1° personæ et Ecclesiæ regulares exemptæ non subjiciuntur visitationi Episcopali; excipe casum quo illæ personæ manerent extra monasterium, aut in granciis

et parvis conventibus, in quibus non degunt saltem sex religiosi, pro quibus vide decisiones à D. Bouix relatas (*De Regul.*, t. 2, p. 153, quæst. XXX). Item Ecclesiæ in his granciis et parvis conventibus existentes, vel quæ sunt separatæ à monasteriis, visitationi Episcopali subjiciuntur (*ib.*). Vide etiam Ferraris, v° *Visitare*, n° 44.

904. Erga religiosos extra monasteria commorantes, Episcopi agunt tanquam delegati Sedis Apostolicæ (Concil. Trident., sess. 6, cap. 3, *de reform.*); sed manere extra monasterium non censentur ii qui per duos vel tres menses ad prædicandum, vel recreationis causâ, vel ob alia similia, extra monasterium versantur (Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 133).

905. 2° Ecclesiæ regulares curatæ et religiosi qui in eis curam animarum gerunt, visitationi, jurisdictioni et correctioni Episcopi subjacent in eis quæ spectant curam animarum : excipienda tamen est ecclesia illius conventûs in quo Superior generalis totius ordinis ordinariam habet residentiam (Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 30).

906. 3° Capitula exempta, modò non sint *nullius* (quia tunc, à suis Prælatis sunt visitanda), visitari debent ab Episcopo loci : constat ex cap. 4, sess. 6, Concil. Trident. Forma autem determinata in cap. 6, sess. 23 ejusdem Concilii, juxta quam Episcopus tenetur duos de Capitulo sibi adjungere judices, præscripta fuit duntaxat pro Capitulis exemptis, et solummodo pro casu in quo Episcopus procedit extra visitationem. V. Bouix, *ib.*, p. 26 et 27.

907. 4° Ecclesiæ sæculares exemptæ visitari debent ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus. Constat ex cap. 8, sess. 7, Concil. Trident. Si sint *nullius*, à viciniore Episcopo visitanda sunt. Ex eod. sess. 24, cap. 9. Vide tamen ap. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 29, et t. 1, p. 547.

In celebri statuto Cleri Gallicani anni 1645, dicebatur : « Art. 1. Juris est Episcoporum visitare ecclesias in suâ » diœcesi, etiam eas quas exemptas vocant, et quod in eis » minus consentaneum videbitur, emendare. »

908. 5° Item potest Episcopus, quoad punctum clausuræ, visitare quarumvis monialium monasteria, etiam illarum quæ Supremo Ordinis Capiti subsunt (Concil. Trident., sess. 25, cap. 5, *De Regular.*). Vide Reiffenst., pars 3, lib. 3, tit. 39, n° 67.

909. 6° Jus habent Episcopi visitandi confraternitates laicorum, etiam in Ecclesiis exemptorum; sed in hoc casu, jus non habent visitandi earum capellas et altaria (Ferraris, v° *Visitare*, n° 40): nisi prout ad ipsas spectant (*Ibid.*, n° 123).

910. Quærit. 2° Quænam sint observanda circa varia objecta visitationis?

Resp. Multa esse observanda quorum nimis longa foret enumeratio quæ videri potest apud Ferraris, v° *Visitare*, ap. Gavantum, *Manuale Episcoporum*, part. 2, *Praxis visitationis*. Circa ea quæ præsertim Episcopus debet inquirere, vide cap. *Romana* 1, *de Censibus*, in 6°, ubi dicitur: « Visitans quærat de vitâ et conversatione ministran-» tium ac cæteris quæ ad officium ipsum spectant, absque » coactione et exactione quâlibet juramenti, ad ipsorum » emendationem per salubria monita nunc levia, nunc » aspera diligenter intendens. »

911. Hîc insuper adnotabimus: 1° Quando Episcopus in suâ visitatione juxta formam paternam, non verò juridicam, procedit contra aliquem ad ipsius correctionem, ut suspectus non potest recusari, neque suspendi potest ipsius sententiæ executio per ullam appellationem, etiam ad Sedem Apostolicam. Constat cap. 10, sess. 24 Concilii Tridentini: « Episcopi in omnibus quæ ad visitationem ac morum » correctionem subditorum suorum spectant, jus et potes-» tatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, » ea ordinandi, moderandi, puniendi et exsequendi, juxta » canonum sanctiones quæ illis ex prudentiâ suâ, pro subdi-» torum emendatione ac diœcesis suæ utilitate necessaria » videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione aut morum cor-» rectione agitur, *exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio,* » seu *querela. etiam ad Sed. Apost. interposita, executio-* » *nem eorum quæ ab eis mandata, decreta aut judicata fuerint*

» *quoquo modo impediat aut suspendat.*» (Vide *Mém. du clergé*, t. 7, col. 156; et Lequeux, n° 311.)

Insuper S. Congr. Concil. declaravit Episcopum visitantem non posse tanquam suspectum recusari. « Si modò » sinè strepitu et figurâ judicii procedens, pœnas non im» ponat delictorum ordinarias, sed eas tantùm quæ mo» rum correctionem respiciunt, et modum corrigendi non » excedat. » V. Ferraris, *ib.*, n° 97.

912. Dari tamen potest in præfato casu appellatio, non ad effectum suspensivum sed devolutivum tantùm; ita S. Congr. Concilii : Consulta enim « num decretum (Tri» dent.), cap. 10, sess. 24, sustulerit appellationem devo» lutivam, censuit non sustulisse, sed suspensiva tan» tùm. » Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 34.

« Si (verò) Episcopus in visitatione pronuntiet pœnam » depositionis seu privationis, vel perpetuæ suspensionis » (554, 6018), non censendus erit egisse *per modum visita» tionis*, et dabitur appellatio cum effectu etiam suspen» sivo, et poterit recusari ut suspectus.» Ita D. Bouix, *De Episc.*, ib., p. 36.—Vide etiam Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 412. Idem dicendum si observatæ fuerint solemnitates juris in processu. V. Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 7, in fine.

913. 2° « Si in visitatione adinveniantur Reliquiæ anti» quæ, quæ ob injuriam temporum seu ob incuriam cus» todum, careant suis authenticis, debet visitator permittere » ut habeantur in eâ veneratione quâ hactenùs fuerunt. » Sic voluisse S. Congr. Conc. referunt Barbosa... et Ven» triglia.... » Ferraris (v° *Visitare*, n° 95).

914. Quænam adhuc sint observanda circa visitationem Episcopalem ?

Resp. 1° Peractâ visitatione, ad obtinendum præcipuum ipsius scopum, Episcopus, sive verbis, sive scriptis edictis, præscribere debet quid sit emendandum, corrigendum vel opportuniùs pro bono promovendo peragendum. Quoad autem formam in ipsius decretis observandam, vide Bouix *De Episcopo*, t. 2, p. 37 et 38[1].

[1] Sic habetur, circa visitationem, art. 87 Decreti Napoleonis I, 30 decemb. 1809 : « Les Évêques en cours de visite, ou leurs Vicaires

2° Scribenda est autem authentica visitationis relatio, quæ convenienter redigi poterit, juxta observationes ejusdem D. Bouix, *ib.*, p. 39.

3° Quoad verò cæremonias in visitatione observandas, vide *Pontificale*, parte 3; et Bouix, *ib.*, p. 40-42.

915. — 4° Si Visitator non sit ipse Episcopus, sed Presbyter aut Diaconus ab ipso deputatus, dari debent litteræ ab Episcopo quibus constet ipsum constitutum fuisse visitatorem : quæ litteræ in unoquoque loco visitando sunt legendæ. Talis Visitator omittere debet quæ spectant ad Dignitatem Pontificalem. V. Bouix, *ib.*, p. 43.

5° Impedientes Visitatorem, quominùs suum munus adimpleat, excommunicationem ipso jure incurrunt, si moniti non resipiscant. Ferraris, v° *Visitare*, n° 99.Suppressa

916. — 6° Præter victualia pro se et suis, et quidem moderata et frugalia, nihil ultrà Visitator potest exigere aut recipere (Concil. Trident., sess. 24, cap. 3, *de reform*). Vide alia circa hanc procurationem, apud Bouix, *De Episcopo*, p. 44 et 45; apud Ferraris, *ibid.*; et apud Reiffenst., pars 4, lib. 3, tit. 39, n° 49.

Circa expensas quando Episcopus Diœcesim lustratur ad ministrandum solummodo Confirmationis sacramentum, vide dicenda (990).

917. — 7° « Episcopus in visitatione debet celeriter, quantùm res postulat, se expedire, ne visitati graventur expensis : sic pluries S. Congr. Concilii, et signanter in Bojan., 14 dec. 1654, in quâ decrevit ad 2m : *Episcopum debere esse contentum de moderato equitatu et famulatu;* et ad 3m : *Celeriter visitationem esse absolvendam et ad actus extraneos non esse divertendum.* » Ferraris, *ibid.*, n° 77. Ita enim habet can. *Inter Cætera*, causa 10, q. 3:

» Généraux pourront se faire représenter tous les comptes, registres et » inventaires, et vérifier l'état de la caisse. L'Evêque pourra nommer un » Commissaire pour assister en son nom au compte annuel; mais si ce » Commissaire est autre qu'un Grand-Vicaire, il ne pourra rien ordonner sur le compte, mais seulement dresser procès-verbal sur l'état » de la fabrique et sur les fournitures et réparations à faire, etc. » Quid autem poterant olim Episcopi præscribere in decursu visitationis, dicitur in Edicto 1695. Vide Lequeux, n° 318.

« Episcopus diœcesim visitans, non ampliùs quàm unâ
» die, per unamquamque Basilicam remorandi licentiam
» habeat. »

918. 8° « Pro visitatione faciendâ eligi solent ab Epis-
» copo duo convisitatores..... in rebus ecclesiasticis ver-
» sati. » Cap. *In singulis*, *de stat. monach.*; et Extrav. *Debent*, *de Offic. ordin.*, inter Communes... « Non est tamen neces-
» saria (eorum) assumptio. » — V. Ferraris, *ib.*, n° 86, etc.

§ III.

De Visitatione Sacrorum Liminum.

919. « Munus Visitationis Liminum in tribus actibus po-
» tissimùm consistit, scilicet in materiali Sacrorum Limi-
» num Visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ ac
» reverentiæ Romano Pontifici, et in Relatione Statûs
» Ecclesiæ.... Limina Apostolorum ibi esse dicuntur ubi
» est Papa. » Ferraris, v° *Limina Apostolorum*, n^is 9, 29.

Circa antiquitatem obligationis Episcopis impositæ visitandi Sacra Limina, lege D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 44, ubi asserit de eâ fieri mentionem etiam in Epistolis S. Gregorii Magni (lib. 7, Epist. 22, Edit. Benedictina).

920. Certum est hodie Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos et Prælatos inferiores jurisdictionem Episcopalem habentes cum territorio separato, teneri sub gravi Sacrorum Liminum, certis temporibus, Visitationem facere. Hoc probatur Constit. *Romanus Pontifex* Sixti V, 20 decemb. 1585; Constit. *Quod Sancta* Bened. XIV; item juramento quod emittunt Episcopi ante suam consecrationem[1], et unanimi Doctorum sententiâ. Sufficiat hîc referre verba quibus ante suam consecrationem, sub juramento Episcopi spondent Sacra Limina visitaturos:

« *Apostolorum Limina, singulis trienniis, personaliter*
» *per meipsum visitabo: et Domino Nostro ac Successoribus*
» *præfatis, rationem reddam de toto meo pastorali officio,*

[1] Vel si sint consecrati, ante acceptionem Pallii, vel antequam administrationi suæ diœcesis se ingerant (§ 3, Constit. modo citatæ Sixti V).

» *ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad cleri et*
» *populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei*
» *traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vi-*
» *cissim mandata Apostolica humiliter recipiam et quàm*
» *diligentissimè exequar. Quod, si legitimo impedimento*
» *detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum nun-*
» *tium.... De hujusmodi autem impedimento docebo per*
» *legitimas probationes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-*
» *dinalem Proponentem in Congregatione S. Concilii per*
» *supradictum nuntium transmittendas.* »

Diximus *sub gravi*, prout constat ex gravitate materiæ et gravibus pœnis, interdicto nempe ab ingressu Ecclesiæ et aliis pœnis quibus legis hujus infractores plectuntur. Vide Const. *Romanus Pontifex*, § 8, ap. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 50. Vide etiam Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, c. 6, n° 2.—Interdicti pœna sublata fuit C. *Apostolicæ Sedis.*

921. Hâc autem obligatione, quidquid dixerint Van Espen et Fleury, ap. Bouix, *De Episcopo*, ib., p. 65, etiam in Galliâ Episcopi tenentur.

922. Quoad frequentiam hujusmodi visitationum, sic habet Constitutio *Romanus Pontifex :* « Ad hoc... debitum
» visitationis explendum.... Patriarchæ, Primates, Ar-
» chiepiscopi et Episcopi[1], Itali videlicet vel ex Italicis
» Insulis.... velut Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacen-
» tium Provinciarum Italiæ ac etiam Dalmatiæ et Græco-
» rum, quæ è regione ipsius Italiæ et Siciliæ oris sunt,
» *tertio* anno; Germani verò, Galli, Hispani, Belgæ, Bohe-
» mi, Ungari, Angli, Scoti, Hiberni[2] et cæteri omnes qui
» in Europâ sunt citra mare Germanicum et Balticum, ac
» omnium insularum maris Mediterranei, *quarto* anno: et
» qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores, ac
» etiam Africani, littoribus adversi, ac Insularum maris
» Oceani septentrionalis et occidentalis Europæ et Africæ,

[1] Pro Prælatis inferioribus, vide Constit. Bened. XIV *Quod sancta*, § 7; et D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 56.

[2] Hibernis ob illorum paupertatem, anno 1631, indultum fuit, ut solummodo, *quolibet decennio*, visitationem facere tenerentur. *De Synodo dioecesana*, lib. 3, cap. 6 n° 4.

» citra continentem Novi Orbis.... *quinto* anno : Asiatici » verò et qui extra Asiam et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus tam in Insulis quàm in Continentibus, *decimo* » *anno*, iter suscipiant, et Deo concedente, perficiant... »

Porrò triennia, quadriennia. etc. præfata currunt etiam pro Successoribus, ita ut Successor, eodem anno visitationem facere debeat, quo eam facere tenebatur antecessor, si vixisset. V. Ferraris, v° *Limina Apostol.*, n° 26; et Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 54, etc.

923. Qualis verò esse debeat deputatus ab Episcopo, in casu impedimenti, vid. ap. D. Bouix, *ib.*, et ap. Ferraris, *ibid.* Quantum fieri potest, debet esse sæcularis et in Dignitate constitutus, vel Canonicus.

Quâ autem formâ Episcopi, Sacra Limina visitantes, Relationem de Statu suarum Diœcesium concinnare debeant, vide Instructionem S. Congreg. Concil. jussu Bened. XIII editam, ad calcem operis Bened. XIV *De Synod. Diœcesanâ*; et ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 57, necnon et opus Lucidi, *De visitatione SS. Liminum*.

§ IV.

De administratione Seminariorum.

924. « Sunt, inquit Devoti (lib. 2, tit. 2, § 1), qui episcopalium Seminariorum vestigia deprehendisse se putant in Synodo Nicænâ » (à quibusdam enim huic Synodo tribuitur canon arabicus ubi jubentur Chorepiscopi « Instituere ministros, eosque distribuere per ecclesias et monasteria et providere ut discant, ut reddantur apti et idonei ad ædificationem monasteriorum et ecclesiarum et aliorum locorum quæ horum » operâ indigebunt » ; sed rejicitur authenticitas illius canonis). « Sunt econtra, qui primam eorum originem » ab Augustino repeti posse arbitrantur. S. Augustinus, » ut ipse testatur, præsertim sermone 355..., in Episcopali domo monasterium habuit clericorum ».

Sed certissimum Seminariorum institutionis vestigium reperitur in Concil. Toletano II, anno 531, c. 1. : « De his

» quos voluntas parentum, à primis infantiæ annis, clericatùs officio mancipârit, statuimus observandum ut mox cùm detunsi vel ministerio lectorum contraditi fuerint, *in domo Ecclesiæ*, *sub episcopali præsentiâ, à Præposito sibi debeant erudiri.* » Vide alia ap. *Instit.*, R. de M., p. 266, t. 2.

Erant autem antiquitùs, apud Cathedrales et Collegiatas, Gymnasia, ubi clerici, vitam communem observantes, ad sacrum ministerium instituebantur; his successerunt, sæculo VIII, publicæ Academiæ variis privilegiis à SS. Pontificibus Honorio III et Innocentio IV ditatæ (Caput *Super specula* 5, *de magistris*, et cap. *De diversis, de Privilegiis*), quibus tandem Concil. Trident., sess. 23, cap. 18, *de ref.*, suffecit Seminaria utpote clericorum institutioni aptiora: sic verò habet Concilium :

925. « Sancta Synodus statuit ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum et diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum, in collegio ad hoc, prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere ac religiosè educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc verò Collegio recipiantur, qui ad minimum 12 annos, et ex legitimo matrimonio nati sint » (nec iis etiam exceptis qui super defectu natalium dispensationem obtinuerint ad recipiendum beneficium aut dignitatem, nisi specialem insuper veniam habeant ingrediendi seminarium. Ita S. Congreg. anno 1595, juxta *Prælect. S. Sulpitii*, n° 332), « ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuò inservituros[1]. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò suo sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi... ita ut hoc Collegium Dei ministrorum *per-*

[1] Ex his auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 332, meritò deducit mentem Concilii nullatenus fuisse ut, in eodem seminario, clerici ac laici insimul instituantur, ratione non habitâ vocationis

» *petuum Seminarium* sit... Tonsurâ statim atque habitu
» clericali semper utentur; grammatices, cantûs, computi
» ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam
» discent: Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homi-
» lias Sanctorum, atque sacramentorum tradendorum.....
» et rituum ac cæremoniarum formas ediscent. Curet
» Episcopus ut singulis diebus missæ sacrificio intersint,
» ac saltem, singulis mensibus, confiteantur peccata, et,
» juxta confessoris sententiam, sumant Corpus Domini
» J.-C. Cathedrali et aliis loci ecclesiis, diebus festis in-
» serviant. »

926. Circa hoc ultimò enuntiatum, observandum est Bened. XIII Episcopis interdixisse ne, pro se vel suis Vicariis aut familiaribus quibuscumque, sub quovis prætextu, uterentur famulis, aut officialibus, vel lectoribus magistris, sacerdotibus et clericis Seminarii. «Non tamen per hoc, inquit
» Pontifex, interdicimus Episcopo Pontificalia exercenti,
» ne cæremoniarum magistro, vel sacerdotibus à Seminario
» retentis uti possit, imò ut eorum operâ et assistentiâ in
» ejusmodi sacris functionibus liberè uti valeat, plenam ipsi
» Episcopo tribuimus facultatem. » Vide *Prælec. S. Sulpitii*, n° 333.

927. Ex toto contextu citationis præfatæ Concil. Trident., patet seminaria debere esse instituendis clericis exclusivè propria, et comprehendere posse, non tantùm juvenes qui theologiæ operam navant, sed et juniores qui grammaticæ student, modò sciant legere et scribere, et ad duodecimum annum pervenerint.

928. Potest autem Episcopus, ex eodem Concilio, plura Seminaria habere, sed saltem tenetur habere unum, nisi paupertas excuset; etiam in iis locis ubi existeret Universitas canonicè instituta. *Inst.* R. de M., tom. 2, p. 269. Si plura sint Seminaria, ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit, cætera in omnibus dependeant (Concil. Trid., *ibid*).

929. Quærit. 1° Quomodo administranda sint Seminaria?

Resp. Distinguendo : vel de administratione spirituali agitur, vel de temporali :

1° Pro spirituali administratione eligendi sunt ab Episcopo, de gremio Capituli Cathedralis, duo Canonici, quorum consilium exquirere debet Episcopus in constituendis regulis universalibus Seminarii, in electione alumnorum introducendorum, in librorum delectu, in punitione dyscolorum, in visitationibus, in electione et remotione magistrorum, confessoris, et similibus (Concil. Trident., *ib.*).

930. 2° Pro administratione vero temporali, dicit D. Bouix (*De Capitulis*, p. 481, etc.), quod duæ sint aliæ commissiones instituendæ : una nempe conflanda ex duobus canonicis, quorum alter ab Episcopo, alter vero a Capitulo eligendus sit, et ex duobus de clero civitatis, quorum unius electio similiter ad Episcopum, alterius ad clerum totius diœcesis pertineat.

931. Et secunda quæ conflari pariter debet ex duobus canonicis, sed a solo Capitulo deputatis, et duobus aliis clericis a civitatis clero duntaxat deputatis. Sed ex decisione S. Congr. Concilii 31 mart. 1855, et Resp. Secretarii ejusdem Congreg. 27 aug. 1864, unica sufficit pro temporali ista administratione commissio, et quidem primo modo conflata, excepto quod non requiratur electio facta a clero totius diœcesis, sed satis sit ut fiat a totius civitatis clero. (V. *Revue des sciences eccl.*, t. XXVII, p. 366.)

932. Porro hujus secundæ commissionis consilium requirere tenetur Episcopus juxta Trident. pro taxa contributionis a beneficiatis exigendæ, pro uniendis seminario beneficiis, pro deputatione et expulsione seminarii ministrorum ac professorum, imo et Rectoris (ita S. Congr. Conc. 26 mart. 1689), pro expensis quotidianis, provisionibus bladorum, etc. ; pro reddenda singulis annis ratione reddituum seminarii ; uno verbo pro omni temporali administratione (V. Bouix, *De Episcopo*, t. II, p. 72, *De Capitulis*, p. 481, et *Revue des sciences eccl.*, ibid.).

933. Nota 1° Episcopum teneri quidem has Commissiones consulere, etiam ad validitatem actuum ; sed illarum non

teneri sequi consilia. Ita pluries decisum à S. C. Conc., et specialiter, anno 1585, in Oscensi, ubi : « Censuit Episco-
» pum Oscensem cum consilio deputatorum teneri, tam
» circa institutionem, disciplinam et mores clericorum,
» quàm circa temporalium rerum administrationem pro-
» videre : sufficere tamen quòd Episcopus hujusmodi con-
» silium requirat, eorumque consilio adhibito, posse
» Episcopum statuere et deliberare quæ pro prudentiâ
» suâ magis expedire judicaverit. » Vide ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 476, etc.

Pro modo practico administrandi cum prædictis Commissionibus, vide *Acta Eccles. Mediolan.*, ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 502.

934. Nota 2° mutari et removeri haud posse sinè justâ causâ, nec eos qui pro spirituali administratione, nec illos qui pro temporali Commissionem constituunt. Ita decisum à S. Congr. Concilii, refert D. Bouix, *De Capitulis*, p. 479 et 483. « Est autem causa legitima, senectus, infirmitas » et similis alia. » Sic decisum 5 sept. 1602. Vide Bouix, *ib.*, p. 475. Hæ autem causæ non sufficiunt pro removendis beneficiariis, ut supra diximus.

Sunt ergo inamovibiles deputati ad recipiendam rationem reddituum Seminarii, quidquid dicat D. Bouix, *De Capitulis*, p. 491.

935. Quærit. 2° An Seminaria committi possint regenda Religiosis Congregationibus?

Resp. Affirmativè, observatis tamen quibusdam conditionibus : cùm enim Religiosæ Familiæ non soleant Seminariorum regimen accipere, nisi sub conditione quòd ad eorum Superiorem Generalem pertinebit Rectorem Magistrosque Seminarii eligere et deputare; quòdque hi administrabunt absque præfatis Commissionibus; nec ab ipsis nisi ex causâ, poterit regimen auferri et aliis committi; cùmque hæc omnia, ut patet, contraria sint supra expositis Concilii Trid. dispositionibus; nec possit Episcopus juri communi derogare aut ligare suorum Successorum potestatem, necessariò intervenire debet Sedis Apostolicæ auctoritas. Porrò, in hoc negotio, recurritur ad S. Congr.

Concilii, et ea de quibus fuit conventum Episcopum inter et Congregationes religiosas, per approbationem S. Congr. Concilii, pro lege stabili, inter eos sunt habenda; nec liberum est Episcopis, etiam Successoribus, ab iis recedere Legi potest ap. *Instit.* R. de M., t. 2, p. 287, unum exemplar modificationum quas S. C. Concilii in hujusmod approbationibus inserit. Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 73.

936. Quærit. 3° Quid sit sentiendum de modo quo hodie in Galliâ, Seminaria soleant administrari?

Resp. Hodie in Galliâ duo regulariter in unâquâque diœcesi existunt Seminaria, alterum quod vocatur *magnum*, in quo superioribus studiis Theologiæ videlicet, Scripturæ Sacræ, Juri canonico, etc., vacatur; alterum quod *minus* seu *parvum* Seminarium nuncupatur, in quo admittuntur alumni Grammaticæ et Humanitatibus, et interdum etiam Philosophiæ studentes, licet nondum duodecimum annum attigerint, et hoc regulariter *non omninò gratis*, etsi sint pauperes, nec pariter *tonsurati*, imò plerumque absque promissione statum clericalem amplectendi, nec habitum clericalem gestantes, etsi statum clericalem animum habeant suscipiendi.

Nullæ ordinariè instituuntur Commissiones, nec pro spirituali, nec pro temporali regimine; sed solus administrat Episcopus per se et per alios, præsertim Superiores et Œconomos hujusmodi Seminariorum : ita etiam ante perturbationem 1789 res se habebant apud nos, ut constat ex *Mémoires du Clergé*, et ex Durand de Maillane (ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 498; *Prælect. S. Sulpitii*, n° 387). Solet tamen in unâquâque diœcesi adesse Commissio Episcopis à lege civili imposita, quæ nonnisi pro negotiis in quibus recursus ad Gubernium est necessarius consulitur. De eâ Commissione sic habet Decretum 6 nov. 1813, art. 13 :
« Il sera formé pour l'administration des biens du Séminaire
» de chaque Diocèse, un bureau composé de l'un des Vi-
» caires Généraux, qui présidera en l'absence de l'Évêque,
» du Directeur et de l'Économe du Séminaire, et d'un qua-
» trième membre remplissant les fonctions de Trésorier,

» qui sera nommé par le Ministre des cultes, sur l'avis de
» l'Évêque et du Préfet. »

Præfatæ dispositiones, exceptâ fortè divisione Seminariorum in Majora et Minora, adversantur, ut patet, præscriptionibus S. Synodi Tridentinæ. Unde hùc redit quæstio, à nobis jam exagitata in Prolegomenis, an nostræ consuetudines prævalere possint Decretis præfati Concilii (93 et 144).

Quidquid sit, cùm Decreta Concilii Tridentini tam sapienter, afflante Sancto Spiritu, instituta, ejus naturæ sint, ut multùm valeant ad promovendam felicem Seminariorum gubernationem, in quibus tota Sanctuarii spes residet, optandum summopere est, ut apud nos, sicut apud alios, quantùm fieri potest, accuratè observentur : eo præsertim quòd in hoc puncto nihil videatur seriò obstare, saltem quoad formationem variarum Commissionum. Re quidem verâ, à Gubernio præscribitur formatio unius Commissionis omninò à Tridentinis diversa : sed cùm hujusmodi Commissio laicalis rarò consulatur, et sit aliunde ex ecclesiasticis viris conflata, nunquam, aut rarissimè, impletioni præscriptionum Tridentin. erit obstaculum. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 497, et *De Episcopo*, p. 74-79, ubi annotat quòd « quæ ex morali necessitate contra Tridentinas dis-
» positiones aliasve merè ecclesiasticas leges fiunt, legitimè
» fieri dubium non est. » Quòd applicandum videtur imprimis Concilii dictis circa taxam beneficialem olim pro Seminariis impositam.

§ V.

De officio et potestate Episcopi quoad Synodum diœcesanam.

937. Diximus supra in Prolegomenis (80) quid per Synodum diœcesanam sit intelligendum : proprium autem objectum Synodorum diœcesanarum est de his quæ spectant ad curam pastoralem agere et deliberare. In iis olim jus Cathedraticum Episcopo solvebatur, id nempè quod Prælato pro honore Cathedræ suæ præstare tenebantur Sacerdotes;

item in iis quasi in senatu dijudicabantur clericorum causæ; dirimebantur lites; et ad id eligebantur Judices Synodales, ac nominabantur Testes Synodales qui Diœcesim perlustrantes, corrigenda notarent ; pariterque Examinatores Synodales à quibus concurrentes ad beneficia parochialia erant examinandi.

938. Ex præscripto Concilii Tridentini (sess. 24, cap. 2, *de reform.*), tenentur Episcopi *quotannis* Synodum diœcesanam celebrare, et si in hoc, ait S. Synodus, « Tam » Metropolitani quàm Episcopi.... negligentes fuerint, » pœnas sacris canonibus sancitas incurrant. » Quænam verò sint illæ pœnæ indicat Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 1, cap. 6, n° 5), qui asserit eos « Pœnam incurrere suspen- » sionis ab officio, statutam in cap. *Sicut olim*, *de accu-* » *sationibus : quisquis autem hoc salutare statutum negle-* » *xerit adimplere, à sui executione officii suspendatur ;* » licet pœna hujusmodi, ut ipsa indicat vox *suspendatur*, non sit latæ sed ferendæ sententiæ.

939. Ad Synodum diœcesanam, inquit Devoti (*de Prolegom.*, cap. 3, § 43) : « Episcopus... vocat Archipresby- » teros, Archidiaconos et cæteros, qui Dignitatem habent, » Personatum, Officium; Vicarium Generalem et Vicarios » foraneos, parochos et omnes, nemine excepto [1], qui » curam habent animarum » (non tamen omnes tenentur accedere, sed excusantur illi omnes qui necessarii sunt ad administranda infirmis sacramenta); « præterea Capi- » tulum Ecclesiæ Cathedralis et Canonicos Collegiatarum, » Abbates sæculares atque etiam regulares qui genera- » libus Capitulis non subduntur, cunctosque exemptos » qui alioquin, sublatâ exemptione, ad Synodum venire » deberent. » Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 357.

Juxta auctorem *Prælect. S. Sulpitii*, n° 160, II, disputatur an Canonici teneantur Synodo assistere.

940. « Habenda sunt hæc Concilia, pergit Devoti (*ib.*,

[1] In Concilio tamen Avenionensi 1849 (tit. 6, cap. 3, p. 72), dicitur : « (Parochis titularibus) adjungi poterunt *aliquot* parochi ex illis qui gal- » licè dicuntur *desservants*. »

» 14), annis singulis (Conc. Trident., sess. 24, cap. 2, *de*
» *reform.*); quæque ibi decreta sunt obstringunt diœcesim
» universam. Ea indicit Episcopus electus et confirmatus,
» haud verò Archiepiscopus antequam Pallium acceperit,
» neque Episcopus titularis, neque Vicarius Generalis,
» nisi peculiarem eâ de re potestatem ab Episcopo impe-
» traverit, neque Vicarius Capitularis, nisi post annum à
» proximâ habitâ Synodo, neque demum Vicarius Apos-
» tolicus, non impetratâ veniâ à S. Pontifice. »

941. Sacerdotes vocati ad Synodum non habent inibi vocem deliberativam et decisivam, imò nec jus ad consultativam. Vide Concil. Aven. 1849 (tit. 6, cap. 13, p. 72); eruitur ex proposit. 9ª et 10ª damnatis per Bullam *Auctorem fidei;* et ita decidit S. Congr. Concilii, quæ sæpe interrogata utrùm ad valorem Constitutionum Synodalium requireretur approbatio sacerdotum, constanter respondit *negativè, non obstante quòd in formâ Pontificalis Romani, pro celebrandâ Synodo diœcesanâ, expressè habeatur ut Constitutiones promulgandæ per verbum* PLACET *approbentur.* Vide etiam decisionem datam ad Archiepisc. Hispalensem; Epistolam ad Patriarch. Venet., 27 apr. 1592, et ad Oriolanum... apud Bened. XIV, *De Synod.*, lib. 13, cap. 1.— Vide insuper *Confér. d'Angers, Synodes*, p. 343, 363, etc.; Lequeux, etc.; Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 387-390.

942. Ut autem obligare incipiant Statuta Synodalia, non aliâ indigent promulgatione præter eam quæ in ipsâ Synodo fit (Bened. XIV, *De Synod. Diœces.*, lib. 13, cap. 4); non debet verò Episcopus ea in publicum edere, inconsulto Capitulo. Ita S. Cong. Conc. (*ib.*, nis 13 et 16).

943. Cavere debet Episcopus ne, in Statutis Synodalibus aut aliis, decidat quæstiones dubias atque inter Doctores controversas. Bened. XIV, lib. 7, cap. 7. Ratio est quia non est infallibilis.

Nota quòd non liceat Episcopo mulctis aut censuris singulos presbyteros cogere ad sibi emendum codicem Constitutionum Synodalium. Pluries decisum à S. C. Concilii, vide ap. Bened. XIV, *De Synod.*, lib. 13, cap. 5, nº 14. Vide et alia ap. D. Bouix, *De Episc.*, tom. 2, p. 399.

944. Quærit. Utrum adhuc obliget lex Tridentina quoad annuam Synodi celebrationem?

Resp. Sola ratio quæ allegari potest in gratiam opinionis negantis hanc hodie existere obligationem, est desuetudo seu consuetudo in contrarium; at legitimè dubitari potest num hæc ratio sit satis convincens : 1° quia illa desuetudo venire potuit ex impossibilitate in quâ erant Episcopi synodos congregandi, ob oppositionem, v. g. Gubernii; porrò consuetudo, quæ non est libera, non potest legem introducere vel abrogare. Vide dicta supra (116). 2° Quia agitur de lege Tridentinâ : porrò, ad minùs incertum est an consuetudo possit prævalere contra decreta Tridentina (144). 3° Quia consuetudo non potest nervum ecclesiasticæ disciplinæ relaxare, ut diximus supra (120); sed lex præscribens celebrationem Synodi, de iis videtur esse quæ relaxari nequeunt quin simul dissolvatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Ergo, etc.

945. Unde non sunt sequendi quidam DD. à Bened. XIV relati, qui ultra modum benignè voluêre prædictam obligationem ad solum triennium, aut etiam ad diuturnius tempus reducere. « Nos verò, inquit doctissimus Pontifex (*De » Syn.*, lib. 1, cap. 6, n° 5), quanquam non negemus » potuisse Tridentini Decretum contrariâ consuetudine » non nihil emolliri et temperari, non idcircò tamen » approbamus effrenam istam licentiam, quam privati » doctores sibi usurpant, illud pro libito, etiam expressa » ejusdem verba interpretandi et limitandi : neque illos » excusamus Episcopos, qui cùm nihil sit quod eos im» pediat, ex solâ socordiâ et negligentiâ Synodum facere » prætermittunt : eosque magis redarguimus, qui, cùm » plures annos diœcesim gubernaverint, ne de cogendâ » quidem Synodo unquam cogitârunt. Hi enim... memi» nisse deberent se præter reatum inobedientiæ, pœnam » incurrere suspensionis ab officio, etc. » Sed vide 938.

Non putat tamen urgendam esse in conscientiâ legem Synodum quotannis celebrandi, auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 160), ob diuturnam et universalem consuetudinem in contrarium vigentem : circa quod vide supra (144).

Multa adhuc essent dicenda circa Synodum diœcesanam; sed de eis legi possunt Gavantus *Praxis diœcesanæ Synodi;* Bouix, *De Episcopo,* tom 2, p. 347, etc.; et Cardin. Gousset, *Exposition des principes,* etc., nº 323, etc.

946. In Galliâ, juxta legem organicam (18 germin. an X), nulla Synodus diœcesana haberi potest sinè expressâ Gubernii licentiâ.

§ VI.

De legislativâ Episcoporum potestate.

947.—1º Potest Episcopus, etiam extra Synodum, statuta condere vim legis habentia, etiam sub pœnâ excommunicationis et aliis : hoc certum est, et « nemo, salvâ fide, » inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 4, nº 3), » potest jurisdictionem illis (Episcopis) abjudicare suas » oves legibus astringendi quibus obtemperare *cogantur.* » Vide etiam *ib.*, cap. 4, nº 1. Statuta autem Episcopalia non expirant morte ipsorum : hoc etiam est certum, si statuta sint condita in Synodo. Si verò sint extra Synodum edita, quæstio controvertitur.—V. Bened. XIV, *De Syn. Diœces.*, lib. 5, cap. 4, nº 3. Attamen, in lib. 13, cap. 5, nº 1 ejusdem operis, dicit Pontifex meliùs sentire eos qui perpetuitatem tribuunt statutis episcopalibus, factis et promulgatis extra *synodum, audito tamen consilio Capituli.* Imò Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 5, p. 12, illam sententiam *veriorem* vocat, nec mentionem facit de necessitate consilium Capituli exquirendi.

948.—2º Episcopum nihil statuere posse contra jus commune manifestum est; et hoc verum est, etsi jam legitimè præscriptum fuerit contra jus commune : ratio est quia consuetudo, debitis conditionibus vestita, potest quidem abrogare legem etiam universalem ; sed « si inferior, con» suetudini Superioris legi contrariæ, suo peculiari sta» tuto, vires adjicere velit, videbitur.... auctoritatem sibi » arrogare delendi legem Superioris, quod ei licere non » potest », inquit Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 12, cap. 8, nº 8.

949. Quærit. An Constitutiones Synodales condere possit Episcopus absque consensu vel consilio Capituli? — Observa ante responsionem quòd Constitutiones Synodales sunt illæ quæ saltem in Synodo promulgantur. Hoc prænotato:

Resp. 1° Regula generalis est posse edi vel publicari Constitutiones in Synodo absque *consensu* Capituli : id fuit pluries decisum à S. Congreg. Concil., ut videre est apud D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 386; ap. Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 13, cap. 1, et prout jam diximus supra (942).

950. Duo casus excipiuntur. Primus est si quæstio esset de iis materiis pro quibus consensus Capituli expressè à jure requiritur, v. g., si de alienatione rerum et jurium ad Ecclesias pertinentium, vel de erectione novæ Parochiæ aut Dignitatis aut Canonicatûs, vel de unione, disjunctione aut suppressione beneficiorum ageretur, aut de iis quæ ad Capituli interesse specialiter et notabiliter spectant. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 387, etc.

951. Secundus casus est si existeret legitima consuetudo exquirendi Capituli consensum. Ita decisum à S. Cong. Conc., *in causâ Burgensi*, ut videre est ap. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, cap. 1, n° 9.

952. Resp. 2° Regula etiam generalis est, non valere Constitutiones Synodales, nisi Episcopus Capituli *consilium* exquirat, quamvis illud sequi non teneatur. Hoc constat ex Can. *Episcopus*, dist. 24; et cap. *Olim* 17, *De Privil.*: « Si Episcopus, inconsulto Capitulo, novas Constitutiones » ediderit, atque in Synodo promulgaverit, illæ profectò, » utpote deficientes à normâ à jure præscriptâ, firmitate » carebunt; quamvis si justæ et rationabiles deprehendan- » tur, sanari queant à S. Congr. Concilii. » Bened. XIV, lib. 13, cap. 1, n° 16.

953. A præcedente regulâ, excipiendus est casus quo vigeret consuetudo legitimè præscripta, ut Episcopus absque ullo Capituli consilio Synodales Constitutiones edere possit. Vide Bened. XIV, *De Syn. diœces.*, lib. 13, cap. 1, n° 8, ubi allegat cap. *Ea noscitur*, *de his quæ fiunt*; et

cap. *Non est*, *de Consuetudine*, in 6°. Et hæc consuetudo non consulendi Capitulum *in plurimis*, *ferè ubique habetur*, inquit Ferraris (v° *Capitulum*, art. 2, n[is] 28-30). « Quâ » legitimè exstante, non ampliùs requiritur ipsius Capituli » consensus. » Præter dicta juris capitula, Ferraris citat insuper declarationem S. Congr. Concil. *In Gerundinâ*, 19 dec. 1739, ad 4[m], etc.

Circa existentiam præfatæ consuetudinis, legi adhuc possunt *Institutions de Digne*, tom. 1, p. 136; *Confér. d'Angers, des Synodes*, p. 483, édit. 1830; Lequeux, n° 35.

§ VII.

De potestate Episcopi quoad fidem, doctrinam et impressionem librorum.

954. Extra Concilium Generale, nequit Episcopus definire quæstiones ad fidem pertinentes, quia non est infallibilis, et hujusmodi quæstiones, utpote inter majores causas computandæ, Summo Pontifici reservantur; sed jubere potest ut caveantur errores jam ab Ecclesiâ proscripti. Vide Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 6, cap. 3, n° 7.

Item Episcopus non potest decernere circa quæstiones liberè inter DD. catholicos controversas; nec ei proinde licitum est animadvertere in clericos qui opinionem ab Ecclesiâ toleratam amplectuntur, et ad praxim, juxta prudentiæ regulas, reducunt: utuntur enim suo jure; et aliundè, ut modò dicebamus, Episcopi non sunt infallibiles. V. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 7, cap. 11, n° 2; et *Prælect. S. Sulpitii*, n° 148.

Diximus in Prolegomenis quid valeat Episcopus quoad acceptationem Constitutionum pontificiarum (35-39).

955. Episcopi est, institutioni sive privatæ sive publicæ quæ in Scholis habetur, ita invigilare ut nihil tradatur quod fidei, moribus et disciplinæ adversetur. Ita Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 5, p. 11. — Quoad Seminaria, diximus supra, § 4.

Quoad impressionem librorum diximus supra (593, 743,

762, etc.) quid ad Episcopos pertineat. Sufficiat hîc adjicere quædam circa dispositiones legis civilis in Galliâ, præsertim quoad libros liturgicos et sacros.

956. Lex civilis concedit quidem libertatem libros prælo mandandi, sed hæc libertas solum ordinem politicum concernere potest.

Agnoscit tamen lex civilis jus Episcoporum quoad impressionem et reimpressionem librorum liturgicorum : ita enim se habet Decretum 7 germinalis anni XIII : « Article 1er. Les livres d'église, les heures et prières ne » pourront être imprimés ou réimprimés que d'après » la permission donnée par les Évêques diocésains, la» quelle permission sera textuellement rapportée et im» primée en tête de chaque exemplaire.

» Art. 2. Les imprimeurs-libraires qui feraient imprimer » ou réimprimer les livres d'église, les heures et prières, » sans avoir obtenu cette permission, seront poursuivis » conformément à la loi du 19 juillet 1793. » Hæc lex 1793 præcipuè spectat jura auctorum : in primo enim ejus articulo ipsis asseritur jus proprietatis per totam vitam ; et in secundo articulo, idem jus conceditur eorumdem hæredibus per decem annos. Non indè autem concludas jura proprietatis à lege sanciri in gratiam Episcoporum, relativè ad libros liturgicos ab ipsis non compositos ; sed in eis lex nostra agnoscit duntaxat jus inspectionis et approbationis. Unde si, independenter ab eorum consensu, liber liturgicus publicetur et vendatur, ipsis non datur actio civilis ad petendam damni reparationem, sed *Ministerium publicum ex officio* debet insequi legis infractorem, et hujus repressionem ipsimet Episcopi possunt expostulare. Vide Arrestum Curiæ Parisiensis in hoc sensu, ap. Lequeux, n° 310.

§ VIII.

De potestate Episcopi dispensandi in legibus Ecclesiasticis.

957. Dispensatio est *relaxatio à legis obligatione, ab eo qui legitimam habet auctoritatem facta, pro aliquo casu in quo lex cæteroquin obligaret.*

Dicemus 1° de hâc potestate Episcopi in genere; 2° quænam sint in specie in quibus Episcopus valeat dispensare.

PUNCTUM I.

DE POTESTATE EPISCOPORUM DISPENSANDI IN GENERE SUPER LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

958. « Quidam audaciores, inquit Lequeux (n° 291), » dixerunt jus illud Episcopis ita esse essentiale ut nunquam » potuerit ligari. Ultimo sæculo, tum in Galliis tum in » Lusitaniâ, hanc opinionem plures jurisperiti tuiti sunt. » Anno 1781, illud tanquam in principio positum, in praxim » reduci... mandavit (Imperator) Josephus II. Plures etiam » Germaniæ Episcopi, anno 1786... (in congressu Ems), » statuerunt se deinceps propriâ auctoritate largituros esse » dispensationes... pro quibus, singulis quinquenniis, » Indulta apostolica expetebantur. »

959. Sed 1° falsa et rejicienda est eorum sententia qui dixerunt Episcopum posse in suâ diœcesi quidquid potest Papa in Ecclesiâ universali, exceptis duntaxat iis quæ Sedes Apostolica sibi specialiter reservavit. Exinde enim sequeretur posse Episcopum in suâ diœcesi inanes reddere omnes fermè leges Ecclesiæ, etiam à Conciliis generalibus statutas : iis enim derogare potest S. Pontifex, nec in iis solet adjici clausula prohibens Episcopis ne in eis dispen- » sent : unde « tota everteretur Ecclesiæ disciplina, » caput subjiceretur membris, et... actum esset de eccle- » siasticâ Hierarchiâ divinitus institutâ. » (*De Synod.*, lib. 9, cap. 1, n° 3.) His adde quòd Episcopi non possint definitiones fidei edere, nec dispensare cum religioso professo, aut clerico in sacris constituto, nec presbyterum deputare pro administrando confirmationis sacramento, nec multa alia quæ facere potest S. Pontifex, quin aliquo juris textu exprimatur ea esse ad Papam reservata. Ergo, etc.

Nec valet dici quòd Episcopi immediatè à Deo jurisdictionem habeant : nam respondetur quòd, quidquid sit sentiendum de hâc assertione (de quo vide dicta supra 868-872), in omni tamen sententiâ, jurisdictio Episcopi, etiam jure divino,

debet esse subordinata S. Pontifici (881). S. Liguor., lib. 1, n° 191.

960. 2° Falsa pariter et derelinquenda est opinio quæ olim tenebat Episcopum dispensare posse, quando Papa hanc potestatem non sibi reservàrat in universalibus Ecclesiæ legibus.

Sic reverà tenuêre S. Antoninus, Sotus, Covarruvias, Berardi, Collator Andegav. (*sur le mariage*) etc.; et suam sententiam probabant præsertim ex capite *Nuper*, *de sent. excomm.* Vide S. Liguor., lib. 1, n° 191.

Sed hanc S. Antonini sententiam quam idem S. Liguor. primùm censuerat probabilem, re meliùs perpensâ, existimavit esse derelinquendam, *ac omninò tenendam* opinionem oppositam. Idem judicium tulit Bened. XIV, ut videre est in capite 1, libri 9, *De Syn. diœc.*, et plures alii à S. Liguorio et à D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 86, etc., citati. Vide Auct. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 154. — Hæc sententia probatur 1° eâ ratione præpotente quòd voluntas inferioris non possit prævalere voluntati superioris; 2° ex pluribus capit. juris canonici à Bened. XIV relatis (*De Syn.*, lib. 9, cap. 1, n° 6). Sufficiat hìc referre Clement. *Ne Romani*, *de elect.*, in quâ Clemens V ait : « Nos inter cætera, præ- » cipuè attendentes, quòd *lex Superioris per inferiorem* » *tolli non potest*, etc., » et cap. *Dilectus*, *de tempore ordinat.*, ubi Innocentius III dicit : « Si de mandato Archiepis- » copi constaret, cùm illi hujusmodi dispensatio à canone » minimè sit permissa, ipsi obtemperare non debuit in » hâc parte. » Ergo ad ligandas inferioris manus, inquit Bened. XIV (*ibid.*), necesse non est ut res interdicatur, sufficit non esse permissam. Ergo falsa est et rejicienda opinio, etc. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 86; et S. Liguor., lib. 1, n° 191.

961. Objic. 1° cap. *Nuper*, *de sent. excomm.*, ubi dicitur : « Quia... Conditor canonis ejus absolutionem sibi spe- » cialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem » aliis relaxandi. »

Resp. Sermonem ibi esse de absolutione à censuris de quâ, ait annotator Ferraris (v° *Episcopus*, annot. post art. 5)

longè diversa ratio est quàm de dispensatione : ideo enim feruntur censuræ ut ad meliorem frugem reducant, et tunc ab ipsis absolvatur; leges verò ecclesiasticæ non ideo statuuntur ut desinant obligare : unde etiam à parochis et meris sacerdotibus approbatis dari potest absolutio censurarum quando non sunt reservatæ; sed minimè hoc est dicendum de dispensatione in legibus ecclesiasticis, quando non reservatur potestas in iis dispensandi (excipe tamen quædam impedimenta matrimonium tantùm impedientia : *De Syn.*, lib. 9, cit., n° 7 *in fine*). Ergo, ex præfato canone nihil concludi potest contra thesim supra demonstratam.

Objic. 2° Auctoritas S. Antonini et Gallorum qui ipsius sententiam amplexati sunt.

Respondeo hanc auctoritatem non impedire quominus hujusmodi opinio ut falsa habeatur à Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 1, et à cæteris modernis communiter. V. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 106; S. Liguor. lib. 1, n° 191.

962. 3° Ut ergo Episcopi valeant in generalibus Ecclesiæ legibus dispensare, requiritur, vel 1° quòd in ipsâ lege à Papâ vel à Concilio Episcopis expressè concedatur facultas dispensandi, aut saltem in eâ dicatur, *posse in eâ dispensari :* hæc enim verba non de *Papâ*, sed de solis Episcopis intelligi debent; quippe, ut Papa possit dispensare non est necesse quòd in lege exprimatur potestas dispensandi. Vide S. Liguor., lib. 1, n° 190, v° *Notandum.* Ab hâc regulâ excipitur potestas dispensandi in matrimonio de quâ agitur in Concilio Trident., sess. 24, cap. 5, *de reform. matr.;* scimus enim ex praxi quòd hæc potestas Episcopis non sit data per hujusmodi dispositionem. V. Reiffenst., pars 2, lib. 1, tit. 2, n° 408.

963. Vel 2° quòd urgeat necessitas dispensationis, et periculum sit in morâ : nam meritò S. Pontifex vel Concilium Generale censetur concedere tunc facultatem dispensandi (S. Liguor., *ib.*, v° *Item*). Si tamen difficultas adeundi Papam orta esset ex prohibitione à Principe sæculari factâ ad S. Sedem recurrendi, ob ejus animum erga spiritualem auctoritatem malè affectum, tunc S. Pontificis consensus non posset legitimè præsumi; unde à dispensa-

tione se deberent tunc abstinere Episcopi, ne, sic dispensando, viderentur cooperari bello injustè illato Sedi Apostolicæ. Vide Carrière, *De Matrim.*, tom. 2, n° 1090; et Lequeux, n° 298.

964. Vel 3° quòd adsit consuetudo legitimis conditionibus vestita, vi cujus Episcopi facultatem dispensandi exerceant.

965. Vel denique 4° quòd dubitetur an casus dispensatione indigeat : tunc enim communiter dicunt Doctores Episcopum posse declarare dispensationem non esse necessariam, aut ab ipso *ad cautelam* et pro quiete animarum, impertiri posse. V. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 92; S. Liguor., lib. 1, n° 192.

966. Adde insuper 5° quòd Episcopi valeant dispensare in levibus et frequenter accidentibus, ob præsumptum S. Pontificis consensum, ad quem tunc nimis esset onerosum debere recurrere. V. Reiffenst., lib. 1, tit. 2, n° 473. Estque aliunde notum, inquit idem, quòd in moralibus parum pro nihilo reputetur (*ibid.*).

967. « Potestas dispensandi in prædictis casibus con-
» cessa Episcopis *est ordinaria*, ac proinde, sede vacante,
» etiam competit Capitulo. » Reiffenst., *ib.*, n° 475; et etiam potest delegari. S. Liguor., lib. 6, 1125; Lequeux, n° 301, citans Suarez, *De Legibus*, lib. 6, c. 15, n° 1.

968. Quærit. An dispensatio, ab Episcopo sinè causâ sufficienti data, sit valida?

Resp. 1° Dispensatio ab Episcopo data in propriâ lege, valida est, etsi data sinè causâ, quia obligatio legis à voluntati Legislatoris pendet; est tamen illicita.

2° Dispensatio in lege Superioris, etiam in votis et juramentis, data cum dubio an adsit causa vel sufficiens sit, est pariter valida, quia in dubio standum est pro valore dispensationis, et præterea pro quiete animarum, præsumitur Deus ratam habere talem dispensationem.

969. — 3° Disputatur verò utrum valida sit dispensatio data bonâ fide, cum causâ quæ putabatur adesse et sufficiens esse, quæ tamen revera non sit. Plures cum Sanchez, Lessio, Salmantic., etc., existimant illam esse validam, quia

præsumitur Deus illam validare, ne conscientiæ anxietatibus vexentur; oppositam tamen sententiam sequitur S. Liguor. lib. 3, n° 251, loquendo de voto, ob principium certum quòd inferior nequeat dispensare in lege superioris, et iste immeritò præsumeretur dare consensum errori manifesto si postea detegatur. Quæ ratio valet etiam quoad leges ab hominibus latas. Dispensatus tamen potest dispensationi acquiescere quamdiu veritas causæ non apparet in contrarium.

970. 4° Dispensatio in lege Superioris, si scienter fiat absque justâ causâ, invalida est, quia Superior non censetur dare licentiam dispensandi sinè causâ sufficienti. V. Reiffenst., pars 2, lib. 1., tit. 2, n° 478. Si verò causa justa adesset, etsi data fuisset dispensatio malâ fide ab inferiore putante talem causam non adesse, valde probabile est tunc validam fuisse hujusmodi dispensationem. S. Liguor., lib. 3, n° 252 in fine.

PUNCTUM II.

DE POTESTATE EPISCOPI IN SPECIE DISPENSANDI SUPER LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

971. Ex his quæ modò diximus patet plures esse casus in quibus Episcopi valent dispensare :

1° Nulla potest esse difficultas circa potestatem Episcopi dispensandi in omnibus Statutis Episcopalibus, etiam latis in Synodo Diœcesanâ; hanc potestatem, independenter à Capitulo et Clero, possidere Episcopum communiter asseritur; et idem est dicendum de Capitulo, sede vacante; hanc tamen non habet Vicarius Generalis, nisi hoc expressè ab Episcopo ei fuerit concessum. Vide S. Liguor., lib. 1, n° 190.

« Duo verò excipiuntur casus : prior est si Constitutio à » S. Pontifice confirmata fuit in formâ, ut aiunt, *non* » *communi*, sed *specificâ*. Alter est si Constitutio abierit in » *contractum*. » Ap. Ferraris, v° *Dispensatio*, addit. ex alienâ manu, n° 92, etc.

972. 2° « Episcopi possunt etiam dispensare super legibus

» Concilii Provincialis in suis Diœcesibus. Hoc enim expedit » ad bonum regimen, Salm., cum Sanchez, Suar., Bonac., » Palaus. » Ita S. Liguor., *ib.* Immeritò autem Lequeux (nº 290) asserit omnes de hoc convenire : nam aliter sentiunt, tum ille qui novas additiones adjecit Ferraris (*ib.*, nº 96), tum D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 101. « Regulariter, inquit Annotator Ferraris, Episcopus ne- » quit dispensare super Synodo Provinciali. Quinimò » nec Archiepiscopus dispensare valet super (eodem); cùm » ab ipso tanquam inferiori ad Provincialem Synodum » appelletur. » Sed sententia affirmans S. Liguorio, sicut suavior sic æquior videtur, cùm ex unâ parte possunt esse casus in quibus utilis, imò et necessaria potest esse dispensatio super decretis Synodi Provincialis; et ex aliâ parte, æquum videtur ut Episcopi tunc habeant facultatem in hujusmodi decretis dispensandi, ut non sit exspectandum aliud Concilium Provinciale, vel sit recurrendum ad Sedem Apostolicam.

Quidquit sit sentiendum de sententiâ modò relatâ Annotatoris Ferraris et D. Bouix, « quando reservatio fit in Pro- » vinciali Synodo, juxta ipsummet Bouix (*De Episcopo*, t. 2, » p. 244), non adimitur singulis Provinciæ Episcopis po- » testas ab iis absolvendi : quia tunc Synodus non sibi... » sed singulis Episcopis casus reservasse censetur. Vide » Bened. XIV, *De Synod.*, lib. 5, cap. 4, nº 3. »

973. 3° Possunt Episcopi dispensare cum suis subditis in jejuniis, pro singulis casibus occurrentibus, cum justâ tamen causâ; si autem causa non videatur sufficiens, vel si de ejus sufficientiâ dubitetur, poterit Episcopus partim dispensare et partim commutare in aliud opus pium. Vide S. Liguor., lib. 3, nº 1032.

Item possunt Episcopi ex justâ causâ, cum particularibus personis dispensare in lege abstinentiæ à carnibus, ovis et lacticiniis, et in præcepto abstinendi ab operibus servilibus, diebus festis toti Ecclesiæ communibus. Idem potest Capitulum, Sede vacante; adest enim, quoad hæc omnia, *generalis consuetudo* cui meritò censetur consentire S. Pontifex, ob frequentem necessitatem in talibus casibus dispen-

sandi. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 93 et 96; Ferraris, v° *Festa*, n'' 20, 21, etc.

974. « Dispensationes super observantiâ Quadragesimæ » concedendæ non sunt, nisi adjecto præcepto de unicâ » comestione et de non permiscendis epulis. » Const. *Cognivimus* et Constit. *Fraternitas* Bened. XIV, ap. Ferraris, v° *Dispensatio*, n° 59.

975. Quærit. 1° Utrum, in præfatis legibus, absque Indulto Pontificio, Episcopi valeant dispensare generaliter quoad totam diœcesim.

Resp. Juxta S. Liguor., lib. 3, n° 1032: « Potest... Episcopus, ob aliqualem specialem causam, dispensare pro » unâ vice in lege universali jejunii, aut commutare: cùm » ejus officium sit saluti suarum ovium invigilare et scan- » dala infirmorum tollere, puta si periculum sit alicubi je- » junium non observari. Ita Laymann.., Azor, Salm... etc. » Sed, pergit idem Sanctus, Bened. XIV, in Bullâ *Prodiit* » *jamdudum*, § 10.., dixit sententiam oppositam, nimirùm » non posse Episcopos pro universo grege dispensare in » lege jejunii, esse non modò communiorem, cum Rey- » naud... Merati, Dianâ, Monacelli, Leandro et Ferrari, sed » etiam magis rationi consentaneam. Et sic ipse respon- » dit quibusdam Episcopis rogantibus an possent Vigiliam » S. Matthiæ occurrentis in ultimo die Bacchanalium, ad » præcedens Sabbatum transferre. » Et reverà cùm agatur de lege ad jus commune pertinente, Episcopi, inquit Bouix (*De Episcopo*, t. 2, p. 96), in eâ dispensare nequeunt, nisi illud ipsis sit concessum, quod dici nequit in casu præsenti; et quod dicitur hîc de lege jejunii, dicendum est de lege abstinentiæ à carnibus, et de præcepto ab operibus servilibus diebus festis se abstinendi.

976. An autem illud possint Episcopi saltem vi consuetudinis, quæ in quibusdam locis, v. g., in pluribus Galliæ Diœcesibus, viget, ut ipsi generaliter in lege abstinentiæ Quadragesimalis dispensent absque Indulto Pontificio ?—Negat D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 99. Nobis tamen, attento longo tempore quo generaliter apud nos viguit hujusmodi consuetudo, difficilè videtur quòd non

reclamasset S. Sedes, si hanc consuetudinem, quam ignorare non potest, improbaret. Unde non audemus dicere improbabilem esse sententiam quòd nostri Antistites possint sic à prædictâ lege abstinentiæ Quadragesimalis generaliter dispensare, præsertim quoad usum ovorum et lacticiniorum. Sic videtur sentire Eminent. Gousset, in suâ *Theolog. morali*, t. 1, n° 306.

977. Attamen secus videtur esse dicendum pro hâc Provinciâ Avenionensi. In Concilio enim Provinciali 1849 legitur (tit. 3, cap. 2, p. 47): « Provincialis Synodus... opportunum duxit, ut deinceps Episcopi Comprovinciales inter se conferant de dispensationibus sive concedendis, singulis annis, sive ab *Apostolicâ Sede obtinendis.* » Hæc dicta sunt de jejunio Quadragesimali. Ergo, juxta Synodum, sunt in Provinciâ nostrâ dispensationes, quoad legem jejunii, pro quibus ad *Sedem Apostolicam* est recurrendum. Porrò tales dispensationes aliæ esse non possunt nisi dispensationes generales. Ergo in hâc provinciâ, minimè invocari potest consuetudo non recurrendi ad S. Sedem pro hujuscemodi dispensationibus. Et reverà RR. DD. Chatrousse, tantùm vi Indulti Pontificii super lege Quadragesimali generaliter dispensabat in suâ Diœcesi Valentinensi, ut videre est in suis ultimis Mandatis de Quadragesimali observantiâ editis.

978. Quoad autem abstinentiam ovorum et lacticiniorum, ipse Bened. XIV relinquit judicio aliorum, *dummodo docti sint et de conscientiæ suæ puritate animarumque salute religiosè solliciti sint*, expendendum an possit observari consuetudo alicubi vigens manducandi ova et lacticinia, tempore Quadragesimali, eò quòd iis in locis non facilè inveniantur pisces (*De Syn. diœces.*, lib. 11, cap. 5, n° 14).

979. Quidquid sit dicendum de supra dictâ quæstione an Episcopi possint generaliter dispensare vi consuetudinis, privati qui justas habent rationes, possunt uti dispensatione generaliter datâ ab Episcopis; nam Episcopi saltem valent cum justâ causâ dispensare in particularibus casibus; porrò qui generalem dispensationem concedit à fortiori in casibus particularibus vult dispensare. Ergo, etc. Major

esset difficultas, ut patet, pro his qui justas non haberent rationes. Attamen si ex Indulto S. Pontificis Episcopi dispensarent ob causas legitimas verè existentes, etiam privati qui non haberent motiva propter quæ data fuit dispensatio, illâ uti possent. Ita Bened. XIV, in Encyclicâ 1741. Vide *Manuel d'un jeune prêtre,* tom. 2, p. 221.

980. Quærit. 2° An Episcopus possit dispensare in sacris ritibus?

Resp. « Dispensationes super ritibus ecclesiasticis, à » S. Sede petendæ sunt, nec, eâ inconsultâ, ab alio quo- » libet concedi possunt. » Bened. XIV, Const. *Omnium*, ap. Ferraris, v° *Dispensatio*, n° 67. Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 100; et decisiones supra relatas (773-776).

981. Quærit. 3° An, et in quibusnam irregularitatibus et censuris, Episcopus valeat dispensare?

Vide infra in tractatibus de irregularitatibus et censuris.

Item infra dicemus de potestate Episcoporum dispensandi super votis et impedimentis, quando de votis et impedimentis matrimonii tractabimus (5242-5245). Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 107, 134, 257, etc.

De potestate autem Episcopi absolvendi à casibus Bullæ *Cœnæ* et aliis S. Pontifici reservatis, dicemus inf. (1647-1648).

§ IX.

De potestate Episcopi quoad varia ad Liturgiam pertinentia.

982. De his specialiter dicturi sumus in libro secundo, ubi loquemur de Sacrificio Missæ, de Festis, de Officio divino, et aliis. Vide etiam D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 115; et quædam alia supra (773-776).

De potestate Episcopi quoad oratoria, dicemus tractando de Sacrificio Missæ (3568-3586). Sufficiat hic annotare :

1° Episcopus potest olea sacra cathecumenorum et infirmorum, si à Cathedrali abfuerit, in aliâ ecclesiâ consecrare et benedicere. S. Rit. Congr., 17 nov. 1600.

Item ex causâ necessitatis, potest conficere olea sacra cum minori numero ministrorum quam præscribitur in *Pontificali*. S. R. Congr., 21 aug. 1604; Ferraris, v° *Episcopus*, art. 4, n^is 40 et 41.

983. 2° Ad Episcopum spectat concedere licentiam Sanctissimum Sacramentum exponendi (Ferraris, *ibid.*, art. 6, n° 144).

3° Ex causâ potest concedere laicorum Confraternitatibus, ut in earum ecclesiis conservetur SS. Sacramentum. S. Congr. Rit. *In Iscolensi de ferro*, 11 jun. 1604 (Ferraris, *ib.*, n° 46).

Anno tamen 1853, petita fuit à quodam Galliæ Episcopo facultas asservandi SS. Sacramentum in Ecclesiâ monialium, et à Papâ hæc licentia concessa fuit tantùm *ad septennium;* idem contigit quoad Helvetiam. Vide *Analecta*, 24° livr., col. 505, n^is 317, 319. Vide etiam Card. Petra apud D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 123. Sanctitas Sua, Pius IX, tunc Sedem Apostolicam tam gloriosè occupans, RR. DD. Chatrousse Valentinensi Episcopo asseruerat sibi, dum esset Archiepiscopus Spoletanus, denegatam fuisse à Prædecessore suo Gregorio XVI, licentiam asservandi SS. Sacramentum in propriâ Capellâ Palatii Archiepiscopalis.

984. 4° Episcopus non potest concedere licentiam celebrandi missam cum pileolo (Ferraris, *ib.*, n° 84). Sed vide infra (3690).

985. 5° Nequit Episcopus de novo concedere Canonicis almutiam (S. R. Congr., 16 jan. 1620); neque cappam sinè expressâ licentiâ Sedis Apostolicæ. S. R. Congr., 16 jan. 1604, etc. (Ferraris, *ib.*, n^is 76 et 77).

§ X.

De officio et potestate Episcopi quoad Pontificalia.

986. « Nulli Episcopo, inquit Conc. Trident (sess. 6,
» cap. 5), liceat cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia
» in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressâ
» licentiâ, et in personas eidem Ordinario subjectas tan-
» tùm; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pon-

» tificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso
» jure suspensi. »

Juxta Barbosam, nullam pœnam meretur Episcopus extraneus benedicendo sinè solemnitate personas devotè præsentes; secus si solemniter, dicendo : *Sit nomen Domini*, etc., benediceret. Vide Lequeux, n° 287.

De conditionibus ad ordines recipiendos requisitis, dicemus infra in sectione 2ª (1954, etc.). Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 143.

§ XI.

De officio et potestate Episcopi quoad Sacramentum Confirmationis.

987. Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis.

Ex capite unico, *de Sacrâ Unctione*, ex Decreto Eugenii IV et juxta sententiam communem, de essentiâ sacramenti hujus est ut *unctio* fiat in *fronte*, in *formâ crucis*, et per *manum ipsius Episcopi ministrantis*, non verò mediante ullo instrumento. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 164 in fine, et n° 166.

Ex necessitate præcepti, et quidem probabiliter, sub gravi obligantis (quod tamen à pluribus negatur), unctio fieri debet pollice manûs dexteræ : valida tamen esset Confirmatio data digito sinistræ manûs, quia verè fieret per episcopalis manûs impositionem. S. Liguor., lib. 6, n° 165.

988. « Episcopus confirmans in alienâ diœcesi, etiam
» subditos suos, incurrit suspensionem à Pontificalibus
» ipso jure, ex Concil. Trid., sess. 6, c. 5, et declaratione
» S. C. ap. Salm. » S. Liguor., lib. 6, n° 171. Vide modò dicta 986.

Per se, Episcopo illicitum est, et quidem sub gravi, alienos confirmare, etiam in suâ Diœcesi; communiter tamen DD. admittunt illud licitum esse, si talis vigeat consuetudo. Ita S. Liguor, lib. 6, n° 172, qui addit, n° 173, *ut communius et probabilius* quòd Episcopi, nisi aliter constet, possint præsumere de consensu aliorum Episcoporum,

« quia credendi sunt velle suas oves non privari hoc sacra-
» mento, cùm nullum incommodum ex eo ipsis prove-
» niat. » Ille consensus præsertim præsumi posset si confirmandus esset ordinandus afferens dimissoriam sui Ordinarii.

989. Etsi de consilio sit quòd jejunus sit tam confirmans quàm confirmandus, tamen hoc non est de præcepto : consuetudo enim obtinuit ut confirmatio etiam post prandium conferatur (S. Liguor., *ib.*, 174).

Controvertitur utrùm obligatio ministrandi confirmationem in Ecclesiâ sit *sub gravi :* sed saltem videtur esse *sub levi,* nisi aliqua rationabilis causa excuset. Dubium autem non est quin licitè possit Episcopus in suo oratorio domestico confirmare, item ipsi licet confirmare etiam in die non festivo. S. Liguor., lib. 6, 174 et 184, not. II.

990. Quærit. 1° An et qualis sit obligatio Episcoporum sacramentum Confirmationis administrandi ?

Resp. Certum est apud omnes graviter peccare Episcopum si longo tempore non confirmet, quia subditos ingenti bono privat. Unde juxta S. Liguor. (*ib.*, n° 175) : « Episco-
» pus tenetur... *suis expensis* circumire ad confirmandum,
» ut Pal. et Croix, qui tamen excipit, cum Gob..., nisi sit
» rationabilis consuetudo expensas exigendi. Hinc dicit
» Croix... peccare graviter Episcopum qui per 8 vel 10
» annos differret circumire saltem per loca præcipua..,
» nisit excuset moralis impossibilitas ; si autem adsit justa
» causa, non peccat qui differt per tres vel plures annos.»

991. An peccet graviter Episcopus non confirmans moribundum petentem ? — Controvertitur et probabile est nec etiam in hoc adesse peccatum veniale, ob incommolitatem et praxim communem (S. Liguor., *ib.*).

992. Juxta Catechismum Romanum (n° 18), *minus expedit* quòd sacramentum Confirmationis pueris administretur ante usum rationis : « Quare, inquit, si duodennis annus
» exspectandus non videatur, usque ad septimum certè
» hoc sacramentum differre maximè convenit. » Et in suâ Constit. *Eo quamvis,* Bened. XIV dicit hoc *consultissimis decretis cautum esse.*

Certum est tamen apud omnes licitè confirmari infantes, ante usum rationis, si justæ accedant causæ, nempe periculum mortis, absentia Episcopi, usus in aliquo loco existens, prout in Hispaniâ et apud Græcos; si verò non adsint causæ hujusmodi, hodie ampliùs non licet sic confirmare. Ita præfata Constit. Bened. XIV anni 1745. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 178.

Etiam amentibus Confirmatio est conferenda, juxta Bened. XIV, *ibid.*; est commune, inquit S. Liguor., lib. 6, nº 180.

993. In suâ Encyclicâ *Etsi minimè*, anni 1742, Bened. XIV jubet ut Episcopi moneant parochos, eisque distinctè præcipiant ne quis eorum *schedulam* Confirmationis iis tradat, qui graviora fidei capita et sacramenti vim ignorant. Apud Lequeux, nº 722.

994. Quærit. 2º An graviter peccet Episcopus administrans Confirmationem absque sacris vestibus et cæremoniis in Pontificali præscriptis?

Resp. cum S. Liguor. (lib. 6, nº 184): « Episcopus debet » esse indutus amictu supra rochetum, vel superpelliceum » si sit religiosus, ac stolâ, pluviali albi coloris, mitrâ et » baculo... Veriùs... Diana, Tanner, Sporer... dicunt esse » mortale omittere omnia prædicta instrumenta, cùm ipsa » pertineant ad reverentiam sacramenti; secùs si aliquod » tantùm omittatur; quia id non videtur esse materia » gravis... Advertendum tamen, quoad baculum, sufficere » quòd... maneat publicè expositum, vel a clerico deti- » neatur... Item S. Congr. de Propagandâ Fide, 7 dec. 1726, » declaravit sufficere quòd Episcopus sinè mitrâ, adhibitâ » tantùm stolâ, confirmet.

» Notandum... omissionem alapæ, secluso scandalo, » nunquam esse mortalem...; omissionem autem cerei, » Ledesma... et Sa... absolutè negant unquam posse esse » mortalem, cùm hæc cæremonia minimè inveniatur » præscripta, sed ex solo usu sit introducta.

» Frons confirmati obliganda est fasciâ lineâ cruce » notatâ, gestandâ uno, tribus vel septem diebus, pro » consuetudine, illotâ interim fronte; sed hodie, inquit

» S. Liguor. (lib. 6, n° 188), ex desuetudine, hæc cære-
» monia non ampliùs in nostris partibus est in usu, cùm
» statim post unctionem extergatur frons confirmati, et sic
» dimittatur. » Ita fit etiam in Galliâ.

« Benedictio communis, quæ datur ab Episcopo confir-
» matis in fine, non est necessaria ad sacramentum, sed
» est simplex cæremonia. » (S. Liguor., *ib.*, n° 188.)

995. Quærit. 3° An absolutè requiratur Patrinus pro susceptione sacramenti Confirmationis?

Resp. Affirmativè, et quidem sub gravi, juxta communem DD. sententiam, nisi haberi non posset; et casu quo confirmandus est puer, patrinus (aut matrina) designandus est à parentibus, vel ab Episcopo, eorum defectu. Unus tantùm (vel una) est admittendus, et quidem qui sit ejusdem sexûs ac confirmandus (Cap. fin., *de cognat spiritual.*, et *Pontificale*). Patrinus, juxta sententiam communem, debet et ipse esse confirmatus : si secus fiat, controvertitur utrùm talis patrinus contrahat cognationem cum confirmato et ejus parentibus. Vide S. Liguor., lib 6, nis 185 et 186, qui sententiam negantem probabiliorem vocat, ob declarationem S. Congr. Conc., 13 junii 1634.

Patrinus esse non debet religiosus, nec matrina monialis, nisi persona confirmanda esset pariter regularis. Sufficit ut Patrinus manum dexteram super humerum confirmandi ponat. Ita S. Liguor. (*ib.*) qui allegat decis. S. C. Rit., 20 sept. 1749, à Conciná relatam.

Sic habet Pontific°. : *Nullus præsentet nisi unum aut duos, non plures, nisi necessitas suadeat arbitrio Episcopi* Vid. alia infra (3334, etc.).

§ XII.

De potestate et officio Episcopi in causis hæreseos.

996. Legitimi judices non sunt laici in causâ hæreseos, sed tantùm 1° S. Pontifex quoad totum orbem; 2° Episcopi quoad suos diœcesanos; 3° Inquisitores fidei, juxta Delegationem ipsis à S. Sede impertitam. Constat cap. *Ut inquisitionis, de hæreticis*, in 6°; cap. *Quanto, de judiciis;* cap. *Si judex, de sent. excomm.*, in 6°. Vide Reiffenst., lib. 5,

t. 7 n° 431, etc.; Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 216, etc.

Etiam in regulares exemptos Episcopi prædictam potestatem habent, sed duntaxat quatenus Sedis Apostolicæ delegati (cap. *Ad abolendum*, *de hæreticis*). Proinde hæc potestas quoad exemptos, non transit, sede vacante, ad Capitulum. Vide Reiffenst., *ib.*, n° 440.

In diœcesibus ubi adsunt Inquisitores à S. Sede deputati, potestas inquirendi in hæreticos eosque judicandi, in ipsis simul et Episcopis cumulativè residet. Liberum est autem Inquisitori et Episcopo, vel conjunctim vel separatim, procedere. Si separatim procedant, debent sibi invicem communicare processum ante sententiam condemnatoriam. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 217, et supra (724).

Cùm hodie, pluribus in locis, potestas civilis auxilium non præstet potestati ecclesiasticæ, Episcopi non possunt regulariter infligere, contra hæreticos, nisi pœnas spirituales; de formâ autem procedendi tunc observandâ dicemus in libro tertio.

997. Quærit. An Episcopi absolvere possint ab hæresi?

Resp. Ipsis quidem datam fuisse hanc potestatem à Concilio Trident. (sess. 24, c. 6), ubi dicitur: « Liceat Episcopis.... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi suâ, per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem et *in hæresis crimine*, in eodem foro conscientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum. »

Sed hæc facultas ab occultâ hæresi absolvendi, Episcopis deinde fuit sublata ab Apostolicâ Sede. Illud constat 1° ex Bullâ *Cœnæ*, in quâ, post Concilium Trident., et quidem, prout videtur, tempore Gregorii XIII (Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 9, c. 4, n° 8), inserta fuit sequens clausula: « A prædictis... nullus per alium quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus... absolvi possit; etiam prætextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis.... *etiam Episcopali* vel aliâ majori dignitate præditis, per nos ac dictam

» Sedem aut cujusvis Concilii, decreto... concessorum. »

2° Illud etiam declarârunt plures SS. Pontifices, videlicet S. Pius V, Gregorius XIII, Clemens VIII, ut videre est ap. Bened. XIV, *De Synodo,* lib. 9, cap. 4, n° 9 : « Unde, ait Reiffenst. (lib. 5, t. 7, n° 354), et S. Franciscus » Salesius, cùm in examine Episcoporum, sibi ex 35 quæs- » tionibus Clemens VIII primam proposuisset : *Possuntne* » *Episcopi ab hæresi absolvere?* Isque respondisset : *Pos-* » *sunt ex Concilio Tridentino ;* Papa respondente *non* » *esse suam mentem ; antiquatum enim esse illum articu-* » *lum ;* mox sententiam retractans verus Ecclesiæ filius » subjunxit : *Quandoquidem non est mens Vestræ Sancti-* » *tatis, à meâ discedo, prorsùs Pontificiæ acquiesco.* » Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 230.

3° Illud fuit insuper decisum à S. Cong. Inquis. et à S. C. Conc., ut videre est apud Bened. XIV (*ibid*).

4° Ut *scandalosa* ab Alexandro VII damnata fuit, 24 sept. 1665, propositio sequens : « Sententia asserens Bul- » lam *Cœnæ* solùm prohibere absolutionem hæresis et alio- » rum criminum, quando publica sunt, et id non derogare » facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo » est, anno 1629, 18 julii in Consistorio S. Cong. EE. Car- » dinalium visa et tolerata est. » Ergo non ampliùs possunt Episcopi absolvere ab hæresi occultâ, propriâ auctoritate.

998. Attamen, etsi fateantur Tridentinæ dispositioni derogatum fuisse per Bullam *Cœnæ,* ac proinde extraneos Episcopos non posse ab occultâ hæresi absolvere, gallicani theologi contendunt aliter esse sentiendum de Galliarum Antistibus, quia : 1° Bulla *Cœnæ* apud nos non fuit recepta ; 2° quia à longo tempore invaluit consuetudo quòd nostri Episcopi ab hæresi occultâ, propriâ auctoritate absolvant. Vide Bouix, *De Episcopo* (ib.); et Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, c. 5, n° 1.

Sed quàm falsa sint hæc duo asserta pluribus demonstrat idem Bened. XIV (*ib.*): in pluribus enim Conciliis, ad Sedem Apostolicam recursum habuerunt Gallicani Antistites, ut obtinerent facultatem ipsis sublatam ab hæresi absolvendi. Ita Concilium Rothomagense anno 1581, Concil. Turonense,

anno 1583. Idem fuit efflagitatum in Comitiis Cleri Gallicani anno 1585. Vide alia ap. Bened. XIV; et Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 225, etc.

Quòd verò hodiernam Galliæ consuetudinem absolvendi ab hæresi nolit approbare S. Sedes, patet ex iis quæ refert auctor operis proscripti : *Mémoire sur la situation présente de l'Eglise Gallicane relativement au droit coutumier*, in quo (p. 107) legitur : « Le Concile de Paris, en proscrivant » l'œuvre de la Miséricorde, avait défendu aux confesseurs » d'absoudre les adeptes de cette secte, à moins qu'ils ne » donnassent des preuves authentiques de leur repentir, et » qu'ils n'abjurassent leurs erreurs. La Congrégation du » Concile a demandé [1] qu'on ajoutât cette clause si grave; » *et à moins que le confesseur n'ait obtenu les facultés né-* » *cessaires du Siége Apostolique* (*nisi insuper iidem anima-* » *rum curatores opportunas in id facultates ab Apostolicâ* » *Sede obtinuerint*). » Hæc insuper constant C. *Apost Sed.*

Vide ap. Bouix (t. 2. p. 233) solutionem quarumdam objectionum.

Quoad potestatem quam habent Episcopi, per se vel per Vicarium, absolvendi ab hæresi in quibusdam casibus, dicemus infra (1166), etc.), loquendo de Vicario Generali

§ XIII.

De potestate Episcopi casus sibi reservandi.

999. Certum est competere Episcopis potestatem sibi casus reservandi. Vide Concil. Trident., sess. 14, cap 7.

Convenientiùs autem Episcopi hanc potestatem exercent in Synodo : præter varias rationes quas affert Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 5, cap. 4, n° 3) hæc præsertim est ponderanda : « In » Synodo facta (reservatio) induit naturam legis quæ, nullo » contradicente, perpetua est, et, quandiu non revocatur,

[1] « Locutio hæc *a demandé* accurata non est, inquit Bouix (*ib.*, » p. 232). Hanc, inter alias, correctionem faciendam significavit S. Con- » gregatio, nec licet conciliorum Provincialium decreta edere, nisi cum » indicatis à S. Congr. correctionibus. » Et revera cum hâc emendatione edita fuêre decreta Concil. Parisiensis anni 1859. Vide supra (86).

» perseverat; facta autem extra Synodum, non ab omni-
» bus reputatur perpetua, opinantibus plerisque theologis...
» illam, decedente Episcopo à quo facta est, illicò expi-
» rare. »

1000. Pluries monuit S. Congr. Episc. et Reg. ut *paucos* duntaxat, eosque *ex gravioribus* casus Episcopi sibi reservarent. Ita 9 jan. 1601, 26 nov. 1602. V. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 5, c. 5, n° 4.

Eadem Cong. (26 nov. 1602) prohibuit: « Ne (Episcopi)
» sibi superfluè reservent casus, in Bullâ *Die Cœnæ* legi
» consuetâ, contentos, neque alios Sedi Apostolicæ spe-
» cialiter reservatos (Bened. XIV *ib.*).

» Facultas absolvendi à casibus Papæ reservatis nequa-
» quam includit potestatem absolvendi à casibus reservatis
» Episcopo. Ita definitum a Clem. X, Constit. *Superna.* »
V. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 5, cap. 5, n^is 7 et 9; et ap. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 243.

1001. Nota quòd à Concilio Trident. (sess. 24, cap. 8, *de ref.*) attributa fuerint Episcopo ea omnia quæ pœnitentiam publicam spectant.

Quid verò valeant Episcopi relativè ad approbationem confessariorum, sive sæcularium sive regularium, pro sæcularibus aut monialibus, circa absolutionem peccatorum aut censurarum Sedi Apostolicæ reservatorum, dicemus infra tractando de confessariis (1550-1661).

§ XIV.

De potestate Episcopi in Clericos.

Clerici vel sunt diœcesani vel extranei : unde duo erunt puncta :

PUNCTUM I.

DE POTESTATE EPISCOPI IN CLERICOS DIŒCESANOS.

1002. Nulli antiquitùs ordinabantur clerici quin alicujus Ecclesiæ servitio manciparentur : à quâ Ecclesiâ discedere eis non licebat sinè Episcopi veniâ, aliàs suspensionis pœ-

nam incurrebant. Ita sancivit Concil. Arelatense, anno 314, can. 2 et 21; ita pariter Concil. Nicænum I, can. 15, et Chalcedon., c. 6. Vide ap. Gratianum, causâ 7, q. 1, can. *Non oportet;* et dist. 70, can. *Neminem* (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 11, cap. 2, n° 4).

« Cette discipline, inquit auctor operis *Hist. des Sacre-*
» *ments* (*Cursus complet.*, D. Migne, t. 20, col. 809), s'est
» conservée jusqu'à la fin du onzième siècle, où nous
» voyons qu'il est encore recommandé d'ordonner un clerc
» toujours pour le même titre où il a été attaché d'abord
» (In Syn. Clarom. c. 13). »

1003. Hæc salubris disciplina, quæ jam à multis sæculis obsoleverat, restituta fuit à Concilio Trident. (sess. 23. cap. 16) his verbis: « Cùm nullus debeat ordinari, qui ju-
» dicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ec-
» clesiis, S. Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii
» Chalcedonensis inhærendo, statuit ut nullus in posterum
» ordinetur qui, illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus neces-
» sitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis
» fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus; quòd
» si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum
» exercitium interdicatur. » Quæ disciplina adhuc obligat juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 2, n° 13). Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 172.

1004. Attamen non ubique, hodiernis temporibus, observatur hæc ordinandorum adscriptio servitio specialis Ecclesiæ; in usu enim non est in Galliâ, ubi clerici ordinantur cum libertate commorandi apud suos vel in seminario, usquedum facti sacerdotes ad munus Vicarii vel ad aliud officium advocentur. Et reverà, rebus prout nunc sunt apud nos exstantibus, non magnæ utilitatis foret præfata adscriptio: antequam enim clerici sacerdotio initientur, modicum auxilium parochis afferre possunt, præsertim cùm in seminariis, pro studiorum necessitate, ferè continuò degere debeant, et semel ad presbyteratum promoti ad alia munera advocandi sint.

1005. Quædam insuper declarationes S. Congr. Concil. supponere videntur non adesse strictam obligationem om-

nes ordinandos adscribendi servitio alicujus ecclesiæ : sic in causâ Ariminensi, 5 decemb. 1574, dicitur : « Clericus, » qui *certo loco non est adscriptus*, ab Episcopo invitus » retineri non potest. » Vide alias decisiones ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 283.

Idem etiam supponunt, vel supponere videntur plures auctores ibidem citati, videlicet Barbosa, Monacellus, Ferraris, Fagnanus, etc.

1006. Quærit. 1° An clerici possint, invito Episcopo, è diœcesi discedere et alibi commorari?

Resp. 1° Certum esse clericos, alicujus ecclesiæ vel beneficii personalem residentiam exigentis servitio adscriptos, haud posse, invito Episcopo, è diœcesi discedere et alibi commorari : illud constat ex decreto Concil. Trid. modò relato, et communi DD. sententiâ, qui verbis *inconsulto Episcopo*, intelligunt, *invito Episcopo*; et ita decisum fuit à S. Cong. Conc. 8 maii 1756 et 5 dec. 1574, ubi dicitur: « Adscriptus verò retineri potest invitus. » Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 270, etc. Idem eruitur etiam ex promissione obedientiæ die ordinationis factâ, de cujus vi lege S. Liguor., lib. 6, n° 828, et supra (622).

Posset tamen sic adscriptus, absque Episcopi licentiâ, assentire suæ electioni ad aliquod beneficium in alienâ diœcesi existens; sed absque dictâ licentiâ, non potest discedere. Interveniente verò justâ causâ, à Superiore cogi poterit Episcopus ad dandam licentiam discedendi, vel saltem ad congruam adscripto assignandam. Hæc deducuntur ex præfatis argumentis; et quoad congruam, decretum fuit in causâ *Amerinâ* (Bouix, *ib.*).

1007. Resp. 2° Quoad non adscriptos aut non habentes beneficium personalem residentiam exigens, multi canonistæ à D. Bouix citati, videlicet Schmalzgrueber, Barbosa, Monacellus, Pirrhing, Ferraris, Fagnanus, etc... asserere non dubitant posse eos, invito Episcopo, è diœcesi discedere et alibi commorari. Pluribus S. Congr. Conc. decisionibus à Ferrario relatis nituntur (v° *Testimoniales litteræ*, n° 11), quarum unam scilicet datam in causâ *Ariminensi*, 5 dec. 1574, hic tantùm transcribemus : « Clericus

» qui certo loco non est adscriptus, ab Episcopo suo invi-
» tus retineri non potest, ne à suâ diœcesi discedat et alibi
» parcchiam accipiat : adscriptus verò, retineri potest
» *invitus.* »

1008. Sed ab hâc sententiâ discedere postea visa est S. Congr. Concilii. In causâ enim *Nucerinâ*, 5 sept. 1818, in quâ agebatur de sæculari sacerdote, ad titulum patrimonii ordinato, qui professoris theologiæ munus explebat in suâ diœcesi, quique, ob insufficiens salarium, transire voluit ad aliam diœcesim, et huc, non obstante comminatione ab Episcopo factâ pœnæ suspensionis ipso facto incurrendæ, reverà commeavit, sequentia dubia S. Congregationi proposita fuêre: « 1° An præceptum Episcopi
» Nucerini... sit observandum?... 2° An constet de irri-
» gularitate incursâ à presbytero?... seu potius sit consu-
» lendum Sanctissimo pro dispensatione?... S. Congreg.
» respondit: ad primum, affirmativè, dummodo Episcopus
» provideat.... congruâ.... sustentatione; ad secundum,
» affirmativè ad primam partem, et consulendum Sanc-
» tissimo pro absolutione.., post reditum ad diœcesim et
» petitam veniam ab Episcopo. » Vide in eodem sensu duas alias declarationes ejusdem Congreg. 26 jan. 1833 et 14 dec. 1822, ap. Bouix (*ib.*, p. 283, etc.).

Undè hodiè etiam non adscripti servitio alicujus ecclesiæ, aut non habentes beneficium personalem residentiam exigens, non videntur posse, invito Episcopo, è diœcesi recedere: ratio esse videtur quia hujusmodi clerici, etsi non adscripti fuerint servitio ullius ecclesiæ, saltem adscripti censentur servitio diœcesis, pro cujus necessitate vel saltem utilitate ad ordines fuêre promoti : nonnisi enim pro utilitate diœcesium, præsertim in Galliâ, ad ordines clerici promoventur et promoveri debent ex Concilio Trid. supra (1003) relato. In hoc sensu pronuntiant Statuta nostræ diœcesis Valentinensis (v. *Ordonn.*, p. 341).

An autem, invito Episcopo, clerici et parochi valeant religionem ingredi, expendemus in libro sequenti, ubi de *Statu religioso* (2616-2621).

1009. *Quæstio subsidiaria:* Cùm sinè litteris testimonia-

libus discedere nequeant clerici è suâ diœcesi, hìc quæri potest quomòdò differant inter se *dimissoriæ testimoniales* et *commendatitiæ litteræ*.

Resp. 1° « Propriè loquendo *litteræ dimissoriæ* » (quæ etiam *reverendæ* seu *licentiales* dicuntur. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 630) : « Sunt quæ ab Episcopo subditis suis » dantur, ut ab alieno Episcopo ordinentur, vel etiam per » quas clerici à jurisdictione sui Episcopi liberè dimittun- » tur. » Ita Pirrhing, ap. D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 297. Sed in hoc posteriori sensu, *dimissoriæ* apud nos vocantur: *Litteræ excorporationis*, *Exeats ;* olim *formatæ* dicebantur. Hujusmodi litteræ non operantur excorporationem à propriâ diœcesi nisi excorporatus consentiat; ita enim se habet c. 1, dist. 72 : « Episcopus subjecto sibi » sacerdoti vel alii clerico, nisi ab ipso postulatus, dimis- » sorias non faciat, ne ovis quasi perdita aut errans inve- » niatur. » Item necesse est ut excorporatus ab alio Episcopo recipiatur, alioquin esset pariter in hoc casu sicut *ovis perdita aut errans*. Quandonam verò censeatur admissus in alienâ diœcesi, vide id expensum à D. Bouix, in Collect. *Revue des sciences ecclésiastiques*, n° 25, 20 janv. 1862, p. 37, etc. Vide App. XIV.

2° *Litteræ testimoniales* « fidem faciunt de susceptis or- » dinibus et carentiâ impedimenti canonici quod clericos » à celebratione divinorum removeat; non verò de probi- » tate vitæ et morum integritate.

3° » Econtra *commendatitiæ litteræ* sunt quæ... non » tantùm de legitimâ ordinatione et carentiâ impedimenti » celebrationi obstantis, sed etiam de moribus et doctrinâ » testimonium locorum Ordinariis præbent. Undè litteræ » commendatitiæ per se plus sane important quàm sim- » pliciter testimoniales. » Ferraris, edit. Cassin... v° *Testimoniales litteræ*, n° 1.

1010. Quærit. 2° An presbyteri nulli Ecclesiæ adscripti, nec habentes beneficium residentiam exigens, possint cogi ab Episcopis ad assistendum missis solemnibus aut aliis sacris functionibus Cathedralis Ecclesiæ?

Resp. S. Congreg. Conc. in *Amerinâ* declarasse 15 jan.

1639 : « Ab Episcopo non potuisse sacerdotes et alios cle-
» ricos, nulla vel tantùm simplicia beneficia obtinentes,
» etiam diœcesanæ Synodi auctoritate compelli, ut domi-
» nicis et aliis diebus festis, ad Ecclesiam Cathedralem
» accederent, et missis majoribus et aliis divinis officiis
» intersint: sed si aliquis adesset in ordinatione servitio
» dictæ Ecclesiæ Cathedralis adscriptus, qui locum, incon-
» sulto Episcopo, desereret, interdicendum erit tantum-
» modo sacrorum exercitium. »

Addit Monacellus à D. Bouix citatus (*De Episcopo*, tom. 2, p. 288): « Si verò, ob parvum numerum Canonicorum et
» deficientiam Mansionariorum, servitium...Cathedralis de-
» trimentum pateretur, tunc erit recurrendum ad Congr.
» Concil. quæ solet indulgere ut possint cogi presbyteri,
» qui habent beneficia vel capellanias in Cathedrali, ad
» inserviendum missis solemnibus pro diacono et subdia-
» cono, assignatâ ipsis aliquâ emolumentorum portione; »
et affert in probationem decisionem dictæ Congregationis.

Cogi etiam ad hoc possunt sacerdotes, ubi adesset consuetudo immemorabilis legitimè probata, ut constat ex variis Declarationibus à Monacello relatis, ap. Bouix (*ibid.*, p. 289).

1011. Episcopus potest retinere apud se unum vel duos canonicos, sive ex Cathedrali, sive ex Collegiatâ. Item potest assumere duos beneficiatos seu Mansionarios ex Cathedrali aut Collegiatâ, modò non habeant curam animarum, ita tamen ut ultra duos ex omnibus istis, non assumat, qui omnes pro residentibus tunc censentur, et si absint à choro, lucrantur suarum præbendarum fructus, non obstante consuetudine in contrarium, non tamen distributiones quotidianas. Vide hæc omnia decisa à S. C. Conc., ap. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 6, n^is 21, 151-156. Etiam quotidianas distributiones lucrantur quando Episcopum comitantur in visitatione Sacrorum Liminum (Ferraris, *ib.*).

De potestate quam habet Episcopus cogendi clericos ad interessendum conferentiis casuum conscientiæ, dicemus infra (1510). — Adde resp. S. C. C. relatam in app. IX.

PUNCTUM II.

DE POTESTATE EPISCOPI IN SACERDOTES EXTRANEOS.

1012.— 1° Certum est Episcopum non posse duntaxat, sed debere prohibere ne in suâ diœcesi ad celebrandum admittantur presbyteri vagi et ignoti, aut peregrini commendatitias sui Ordinarii litteras non habentes.

Constat ex Concil. Trident. : « Nullus præterea clericus » peregrinus, sinè commendatitiis sui Ordinarii litteris, » ab ullo Episcopo ad divina celebranda et sacramenta » administranda admittatur. » (Sess. 23, c. 16, *De reform.*) « Singuli (Episcopi) in suis diœcesibus interdi- » cant ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare » liceat. » (Sess. 22, *Decret. de observ. et evit.*, etc.).

Pro *ignoto* autem habendus non est, qui testimoniales habet litteras, vel alicui personæ diœcesis fide dignæ, notus est. Vide Bouix, *De Regularibus*, t. 2, p. 188.

Jam longè antea in suâ Decretali *Tuæ*, *de cleric. peregr.*, Innocentius III sic responderat Patriarchæ Hierosolymitano : « Nisi legitimè tibi constiterit, sive per litteras, sive per » testes, de illorum (sacerdotum peregrinorum) ordinatione » canonicâ, qui penitus sunt ignoti, non debes ipsos per- » mittere in tuis plebibus celebrare : sed si forsitan eorum » aliquis secretò ex devotione celebrare voluerit, poteris » sustinere. » Vide et can. 13 Synodi Chalcedonensis.

1013.—2° Quamvis Episcopus possit permittere ut rectores ecclesiarum ad celebrandum admittant peregrinos sacerdotes commendatitiis litteris munitos, prohibere tamen potest quin illud faciant erga extraneos, qui non haberent in scriptis licentiam à se vel à suo Vicario Generali datam. Ita Schmalzgrueber et alii, ap. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 290, etc.

1014.— 3° Episcopi, in his quæ pertinent ad missæ celebrationem, procedere possunt contra quoscumque etiam exemptos, sed tunc solùm tanquam delegati Sedis Apostolicæ. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 6, n° 142.

1015.—4° Etiam regularibus et in Ecclesiis exemptis, pro-

hibere potest Episcopus sub censuris, ne ad missæ celebrationem admittant peregrinos etiam notos, sive sæculares, sive regulares *diversi ordinis*, antequam ipse vel Vicarius Generalis eis licentiam dederit. Non tamen solent Episcopi id statuere de peregrinis sufficienter notis, saltem quoad octo vel decem primos dies. Regularis verò celebrare potest in conventu sui Ordinis absque dictâ Ordinarii licentiâ. Ita communiter; et constat ex Concilio Trid. (sess. 22, *Decret. de observ.*, etc.), in quo Episcopi, quoad hoc et alia multa de missæ sacrificio, constituuntur *etiam delegati Sanctæ Sedis*, *non obstantibus privilegiis*, *exemptionibus quibuscumque*. Vide insuper Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 9, c. 15, nº 5; et Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 189. Quoad licentiam datam regularibus celebrandi in ecclesiâ conventûs sui Ordinis, constat ex Constit. Bened. XIV *Quàm grave*, 2 aug. 1757, § 12. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 292; et *De Regular.*, ibidem, p. 190; Ferraris, vº *Sacerdotium*, nº 152.

5º Ad celebrandum admittendus est ab Episcopo presbyter extraneus, etsi non habeat commendatitias litteras, si per testes aut alio modo probet se esse sacerdotem commendabilem. Juramentum tamen solum non potest supplere litteras commendatitias. Ita Innocent. III, cap. *Tuæ*, et cap. *Inter, de clericis peregrin.*

1016. 6º Obligatio Episcopi non admittendi ad celebrandum peregrinum, qui commendatitiis litteris caret, intelligi debet de ignoto, non autem de extraneis benè notis : sic fert praxis quotidiana, inquiunt Schmalzgrueber et Leurenius, ap. D. Bouix; et deduci posse videtur ex verbis Conc. Trid. quod loquitur de *vagis et ignotis*.

« Item non indiget illis (litteris clericus) si litteræ dimissoriæ ad presbyteratum suscipiendum fuerunt paulò ante datæ : quia Episcopus approbans ad presbyteratum, satis videtur approbare mores... secus si magnum intervallum interfuit. » Ita Sanchez, ap. D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 295.

1017.—7º Sacerdos extraneus litteris commendatitiis destitutus, et ideo ad celebrationem non admissus, potest tamen

secretò celebrare, dummodo absit scandalum. Ita communiter, juxta D. Bouix citantem inter alios Layman et Castropolaum.

8° Nequit Episcopus extraneos sacerdotes arcere à missæ celebratione ob solam rationem quòd extranei sint. Vide illud probatum ap. Bouix, *De Episcopo*, p. 296, etc., et sequitur ex dictis supra, n^is^ 4 et 5. — Secus sentiunt Ducasse, *Jurisdiction ecclés.*, chap. 7, sect. 6, n° 3, et auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 152. Sed sat solido fundamento niti non videtur illorum sententia.

1018. — 9° Imò juxta Barbosam et alios canonistas ab eodem D. Bouix citatos (*ib.*, p. 300), sinè justâ causâ, non potest Episcopus expellere alienum clericum commorantem in ejus diœcesi sinè litteris sui Episcopi, si ipse nolit exercere ordines, sed solùm tanquam advena ibi commorari.

1019. « Episcopus non potest cogere, sed hortari curatos et rectores ecclesiarum, ut necessaria ministrent presbyteris celebrare volentibus, in eorum ecclesiis. S. Cong. Conc., 15 dec. 1703. » Ferraris, v° *Episcopus*, art. 6, n° 83.

§ XV.

De potestate Episcopi quoad indulgentias.

1020. — 1° In Dedicatione Ecclesiæ Episcopi possunt unius anni indulgentiam concedere; in aliis verò casibus, indulgentiam duntaxat 40 dierum (Ferraris, v° *Indulgentia*, art. 2, n° 7).

2° Præfatas indulgentias concedere possunt Episcopi confirmati, etsi nondum consecrati (Ferraris, *ib.*, et v° *Episcopus*, art. 2, n° 37).

3° Eas concedere possunt solis diœcesanis, etiam exemptis, vivis, non autem defunctis (Ferraris, *ibid.*).

4° Hanc potestatem delegare possunt aliis præterquam presbyteris, dummodò sint clerici (*ib.*).

1021. — 5° Indulgentias concedere nequeunt Coadjutores Episcoporum, neque Episcopi titulares seu *in partibus infidelium*, neque Vicarii Generales, nisi ab Episcopo spe-

cialiter ad id delegationem accipiant, neque Vicarius Capitularis. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 301.

1022. Quærit. Quodnam sit jus Episcopi circa recognitionem et publicationem indulgentiarum Papalium?

Resp. 1° « Indulgentias... per Ordinarios locorum, adhi-
» bitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo
» publicandas esse decernit. » Concil. Trid., sess. 21, cap. 9.

2° Sinè ergo Episcoporum licentiâ vel auctoritate, nemo potest Brevia indulgentiarum publicare, non obstante quâcumque exemptione et prætensâ consuetudine in contrarium, etiamsi pro regularium ecclesiis concedantur; et sic fuisse pluries decisum à S. Congr. Concilii, testantur Monacelli et Cardinalis Petra. Vide Ferraris, v° *Indulgentia*, art. 4, n° 31; et Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 302. Vide etiam infra (4560-4571).

Fusiùs infra dicemus de Indulgentiis et de Confraternitatibus. V. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 315; Ferraris, v° *Confraternitates*; Concil. Avenion., 1849, p. 91, etc.

§ XVI.

De potestate et officio Episcopi quoad Reliquias SS.

1023. « Per Reliquias... Sanctorum et Beatorum intel-
» liguntur eorum corpora et corporis partes etiam mini-
» mæ... cineres, pulveres, item vestes... quibus in vitâ
» usi sunt vel quibus eorum corpora... post mortem
» fuerunt involuta. Item instrumenta pœnarum et morti-
» ficationum, et hujusmodi. » Ferraris, v° *Cultus SS.*, n° 52.

1024. Certum est Reliquias noviter inventas, aut productas non posse coli cultu publico, nisi priùs legitimè recognoscantur et approbentur. Constat ex cap. *Cùm ex eo, de Reliq. venerat.*; etc. et Conc. Trident., sess. 25, *de Invocat.*, etc., ubi statuitur : « *Nulla etiam admittenda miracula nova,*
» *nec novas Reliquias recipiendas, nisi recognoscente et*
» *approbante Episcopo.* » Ferraris, *ibid.*, n° 53. Vide tamen quid dixerimus circa Reliquias quæ ab antiquo venerantur,

1025. Cultu autem privato coli possunt Reliquiæ quæcumque, non solùm Canonizatorum aut Beatificatorum, sed etiam cum famâ sanctitatis defunctorum, quamvis nec recognitæ nec approbatæ fuerint. Ita communiter. Vide Ferraris, *ib.*, n° 60; et Reiffenstuel, lib. 3, tit. 45, n° 29.

1026. Quærit. 1° A quo recognosci et approbari debeant Reliquiæ quominus publico cultu colantur?

Resp. Vel agi de Reliquiis nondum Beatificatorum, vel de Beatificatorum aut Canonizatorum :

1° Episcopus non potest approbare, in ordine ad cultum publicum, Reliquias defunctorum cum famâ sanctitatis sed nondum Beatificatorum; hoc enim reservatur Romano Pontifici, ex cap. jam citato, *Cùm ex eo*, *de Reliquiis,* ubi dicitur : « Inventas de novo Reliquias nemo publicè venerari præsumat, nisi *priùs auctoritate Romani Pontificis sint approbatæ.* » Nec obstat decretum supra relatum Concil. Trid., quod communiter intelligitur de solis Reliquiis saltem Beatificatorum noviter inventis. Vide Ferraris (*ib.*, n° 59).

1027.—2° Si quæstio sit de Canonizatorum vel Beatificatorum Reliquiis, non tantùm Papa, sed etiam Episcopi possunt illas recognoscere et approbare : constat ex textu supra citato Concil. Trid.; et ita docent Ferraris, *ibid.*, n° 54; Reiffenstuel, lib. 3, tit 45, n° 27, etc.

Etsi à Papâ Reliquiæ fuerint approbatæ, tamen ab Episcopo adhuc sunt recognoscendæ, non quidem ut denuò ab ipso approbentur, sed solùm ut videat an revera Romæ fuerint approbatæ, et vitetur fraus. Sic decrevit Sixtus V, Constit. *Dominus*, et S. Congr. Rit. 19 oct. 1591; et hoc etiam pro Reliquiis exponendis in ecclesiis regularium, ut fuit decisum in unâ *Viterb.* 26 jun. 1627 (Ferraris, *ib.*, n° 56).

1028. « Ad hoc autem ut Episcopus ritè approbet alicu-
» jus jam *Canonizati aut Beatificati* Reliquias noviter in-
» ventas, Romæ nondum approbatas, necesse est, ut
» *adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat*
» *quæ veritati et pietati consentanea judicaverit*, ut expressè
» statuit Conc. Trident. loco citato... et si aliquod circa id

» emerserit grave dubium, nihil, inconsulto S. Pontifice, » novum aut in ecclesiâ hactenus inusitatum est decer- » nendum, textu expresso... Concilii Trid. loco citato, » in fine. » Ferraris, *ib.*, n° 57, etc. Vide etiam Bened. XIV, *De Beatific. et Canon. SS.*, lib. 4, pars 2, c. 24, n° 8.

1029. Ut constet de identitate SS. Corporum et Reliquiarum, non requiritur evidentia metaphysica aut physica, inquid Bened. XIV (*ib.*, n° 9), sed moralis sufficit, sive quæstio sit coram Ordinario, sive coram Sacrâ Congregat. : ita Suar., Sanchez, etc.; quamvis major requiratur coram S. Congreg. Rit., eo quòd Apostolica approbatio sit majoris momenti quàm approbatio Episcopalis (*ibid*). Non sufficere autem unius testimonium ad statuendam illam moralem evidentiam, concludit Bened. XIV, ex uno decreto S. Cong. Rit. 13 jul. 1709 (*ib.*, c. 25, n° 1).

1030. Quærit. 2° An, inconsultâ Sede Apostolicâ, fieri possint translationes Reliquiarum insignium?

Nota quòd Reliquiæ insignes sint corpus integrum aut magna pars ejusdem, nempe caput, brachium integrum, crus, aut pars illa corporis in quâ Martyr passus est, modò sit integra et non parva. Unde non sunt Reliquiæ insignes manus, pes aut aliud frustum, nisi in istis passus sit Martyr. Ut crus et brachium censeantur integra, debent constare duobus ossibus præcipuis. Vide *Sacr. Liturg.* (Herdt) tom. 2, pars 3, n° 27, VI. — His explicatis :

Resp. 1° Corpora SS. et insignes eorum Reliquiæ non possunt transferri de ecclesiâ ad ecclesiam, inconsultâ Sede Apostolicâ. Ita Bened. XIV (*De Beatific. et Canoniz. SS.*, lib. 4, pars 2, cap. 22, n^is 11-20), qui affert Declar. S. Congr. Conc. in quâ dicitur : « Sanctissimus.. respondit » transferentes non esse excommunicatos; sed tamen hodie » ex stylo, talem translationem non esse faciendam, in- » consultâ Sede Apostolicâ. » Secus tamen sentiunt plures ab eodem Bened. XIV citati, Fagnanus nempè, Pirrhing, Delbene, etc., qui dicunt id fieri posse auctoritate Episcopi, prævio assensu Capituli; secus pariter sentit Reiffenst., lib. 3, tit. 43, n° 32, qui in probationem allegat can. *Corpora, de Consecr.*., dist. 1, extractum ex Concilio Moguntino.

2° « Item transferri non possunt *de loco ad locum* cor-
» pora, neque Reliquiæ Beatorum nondum Canonizato-
» rum, nec fieri potest mutatio capsæ in quâ eorum ossa
» recondita sunt, nisi accedente S. Pontificis aut S. Congr.
» Rit. auctoritate. » Ita Ferraris, *ibid.*, n° 65 qui citat Bened. XIV (*ibid.*, ut supra, à n^is 7-10).

1031. — 3° Quoad corpora Servorum Dei nondum Beatificatorum, vel causæ introductionis commissio nondum signata fuit à S. Pontifice, vel jam fuit signata : si priùs, eorum potest fieri translatio de licentiâ Ordinarii sinè solemnitate, inconsultâ S. Sede; si posteriùs, necessaria est licentia Papæ vel S. Congr. Rit., ut transferantur de loco ad locum, etiam in eâdem ecclesiâ. Bened. XIV, *ibid.*, n^is 1-6. Ferraris, *ibid.*, n^is 66-67.

1032. *Nota* quòd Reliquiæ insignes non debeant collocari in privatis ædibus nec apud laicos homines, sed in ecclesiâ. Excipiuntur tamen magni principes, et præcipui ecclesiæ Præsules. Bened. XIV, *De Beatif.*, etc., lib. 4, pars 2, cap. 26, n° 2.

1033. Quædam adhuc hic sunt notanda circa Reliquias:

Resp. 1° Reliquiæ in altari collocandæ pro ejus consecratione, debent esse Sanctorum ab Ecclesiâ approbatorum. S. C. Episcop. 13 sept. 1593 (Gavant., *Manuale Episc.*, v° *Altare*, n° 12). — Corpora autem Sanctorum nondum canonizatorum non possunt poni sub altari. — S. C. Episcop., 10 jun. 1587 (Gavantus, *ibid.*, v° *Reliquiæ Sanctor.*, n° 12).

2° Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuò ardere in altari duo lumina; aliàs non exponantur. S. Rit. Congreg., 22 jan. 1701. Ferraris, v° *Cultus SS.*, n° 72.

1034. — 3° De Sancto, cujus habetur corpus vel insignis Reliquia, non potest fieri officium, nisi constet de identitate, et nisi reperiatur in Martyrologio Romano (v. Herdt, *Sacr. Liturg.*, t. 2, pars 3, n° 27, VII). Quod est applicandum etiam iis Sanctis quorum corpora eruta sunt è Catacumbis Romæ, et evidentia martyrii signa habent; videlicet, vel mentionem in marmore sculptam, vel vas sanguinis in monumento inclusum. Vide Bened. XIV, lib. 4, pars 2.

cap. 28, n^{is} 26 et 27. Hujusmodi Reliquiæ tamen deferri possunt processionaliter, quamvis aliter sit dicendum de Beatificatis nondum canonizatis. Bened. XIV (*ibid.*, n^{is} 30-34), et decretum S. Congr. Rit., 17 septemb. 1650, ap. Reiffenst., lib. 3, tit. 45, n^{is} 11-17.

1035. — 4° Reliquia modica jam facta alienabilis, alicui ecclesiæ vel oratorio donari potest. S. Rit. Congr., 8 jun. 1602; aliàs non posset alienari sinè beneplacito S. Sedis. Barbosa et alii, ap. Ferraris, v° *Cultus Sanct.*, n° 84.

Sublatis cæteris censuris latæ sententiæ, hodie excommunicatione simpliciter reservata ipso facto plectuntur : « Extrahentes absque legitima venia reliquias ex » sacris cœmeteriis vel catacumbis urbis Romæ ejus- » que territorii, eisque auxilium vel favorem præ- bentes. » Ben. XIV, Const. 46; Ferrar., v. *Reliquiæ*, n. 1.

5° Reliquiæ et ossa SS. radi non possunt, ut rasura detur cum potu infirmis. S. C. Episc. et Reg., 17 dec. 1691. Ferraris, v° *Cultus SS.*, n° 86.

1036. — 6° In altari in quo est expositum SS. Sacramentum non possunt exponi Reliquiæ SS. — Instr. Clement XI, ap. Ferraris, *ib.*, 87. Nec in tabernaculo sunt condendæ ubi asservatur SS. Sacramentum (*ib.*, 88); nec supèr tabernaculum SS. Sacramenti, licet non expositi; neque ante tabernaculi ostiolum, aut alio modo quo simplices adorare possint Reliquias pro SS. Sacramento... Vide *Sacr. Liturg.*, Herdt., t. 2, pars 3, n° 27, III...; Bened. XIV, *De Beatific.*, lib. 4, pars 2, cap. 26, n° 3. — In processione cum SS. Sacramento non sunt deferendæ (*ibid.*).

1037. — 7° Reliquiæ SS. non debent deferri sub baldachino in processionibus, nisi agatur de ligno SS. Crucis aliisque instrumentis Dominicæ Passionis. Vide S. Congr. Rit., ap. Gardellini, n^{is} 4420, 4471; Herdt, *Sacr. Liturgiæ*, t. 2, p. 3, n° 27, VIII; *Diction. des décrets*, D. Boissonnet, v° *Baldaquin*; Ferraris, *ib.*, n° 96. — Contrariam tamen opinionem prævaluisse in Congregationibus habitis coram Eminentissimo Archipresbytero unà cum Pontificiis Magistris cæremoniarum, asserit Bened. XIV, *De Beatific. et Canon.*, lib. 4, pars 2, cap. 23, n° 15.

1038. — 8° Reliquiæ antiquæ SS. extra capsam nulla-

lenus ostendantur (exceptis illis qui speciali Dei dono à corruptione sunt præservati), et ne venales exponantur seu vendantur. Ita Reiffenst., lib. 3, t. 45, n° 31, ex cap. 2, *de Reliquiis*.

9° Quoad corpora è Catacumbis Romæ extracta, sub « pœnâ excommunicationis latæ sententiæ prohibitum fuit » ne, vel in tradendis sacris corporibus, vel pro confec» tione litterarum patentium, earumque sigillo, aliquid » vel modicum à suâ sponte dantibus, accipiatur. » *De Beatific. et Canon.*, lib. 4, pars 2, cap. 28, n° 10. — Suppressa videtur pœna.

§ XVII.

De potestate Episcopi quoad missarum stipendia et reductionem piarum fundationum.

1039. Quærit. 1° An et quatenus ad Episcopum pertineat stipendium missarum taxare ?

Resp. 1° « Communiter dicunt DD... stipendium justum » missæ non esse quidem victum unius diei..., sed esse » illud quod taxatum est ab Episcopo (sive intra, sive » extra Synodum, ap. Ferraris, v° *Taxa*, 15), vel à consue» tudine, vel saltem à viro prudenti, si deest taxa à con» suetudine vel ab Episcopo facta. Ita Suar... ex Declar. » S. C. Conc., ap. Bened. XIV, *Notif.* 56, n° 10.» S. Lig. lib. 6, n° 319. Huic taxæ stare debent etiam Regulares (*ibid.*, 320).

1040. — 2° Certum est Episcopum non posse prohibere ne accipiantur eleemosynæ taxâ pinguiores, si sponte offerantur. Ita decisum à S. C. Concilii, 16 jan. 1649, ap. Bened. XIV, *Notif.* 56, n° 11 (S. Liguor., *ib.*).

3° Disputatur an Episcopus possit prohibere ne sacerdotes accipiant minus justo. Dicit S. Liguor. (*ib.*, dub. 3) probabilius id affirmare Suar.; item Ben. XIV cum aliis, ex Declar. S. C. Conc., 16 jul. 1689. Vide *De Syn. diœces.*, lib. 5, cap. 9, n° 2, in fine. Quapropter, pergit S. Liguor., in casu quo Episcopus id prohibet, omninò ei est obtemperandum, cùm certum sit subditos teneri obedire Supe-

riori præcipienti cum opinione probabili. Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 302.

1041. Quærit. 2° An suscipi valeant perpetua missarum onera absque Episcopi licentiâ?

Resp. Negativè, si agatur de sæcularibus; necessaria est enim tunc licentia in scriptis data ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali. Si verò ageretur de regularibus, necessaria esset licentia Superioris Generalis vel Provincialis. Constat Decreto *Cùm sæpè*, S. Cong. Concil., Urbani VIII auctoritate edito. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 304.

1042. Quærit. 3° Quid sit specialiter observandum quoad loca ubi multæ colliguntur pro missis celebrandis eleemosynæ?

Resp. Cum Scarfantonio, apud Bouix, *De Capitulis*, p. 299, etc: « In Ecclesiis in quibus multæ colliguntur » eleemosynæ pro missis celebrandis, non licet eas in adeo » ingenti numero accipere, si congruo tempore omnibus » satisfieri non possit, vel saltem apponenda esset in pu- » blico tabella, in quâ notum fieret offerentibus eleemo- » synas, quòd celebratio missarum propter ingentem nu- » merum differri oporteat...

1043. » Debent... Episcopi curare ne ecclesiarum rectores » vel administratores... sibi retineant aliquam vel minimam » portionem, etiam favore ecclesiarum, nisi adeo essent pau- » peres ut subire non possent propriis redditibus expensas » necessarias... quo casu permitti possunt... ut tantummodo » sibi retineant portionem quæ non excedat valorem dic- » tarum expensarum, ut declaravit S. C. Conc., *in Mexic.*, » 11 jan. 1698. » Vide etiam infra (3511).

1044. « Tandem debent curare Episcopi ut in Ecclesiis, » præsertim ubi plures missæ celebrantur.., retineantur » duo libri, in quibus diligenter adnotentur eleemosynæ » quæ dietim recipiuntur cum adimplemento missarum.., » ac retineatur capsa particularis pro reponendis eleemo- » synis manualibus, ut de dicto implemento rationem » exigere queant ab iis quos spectat, prout rigorosè tenen- » tur virtute decreti Innocentii XII, de celebratione missæ, » die 21 decemb. 1697. Contra contumaces in non implen-

» dis missis, procedere debent. » Ita Scarfantonius (*ibid.*, p. 300.)

Non tamen ad Episcopos pertinet illarum eleemosynarum administratio in Cathedralibus et Collegiatis. Vide S. C. Conc. *in Sarnensi*, 27 jun. 1705, ap. Bouix, *ib.*, p. 301. Vide etiam dicenda infra (5362, etc.).

1045. Quærit. 4° An Episcopis competat missarum aut aliarum piarum fundationum onera reducendi potestas?

Resp. 1° Quoad missarum reductionem, Episcopis quidem à Concilio Tridentino attributa erat facultas onera missarum reducendi in Synodo diœcesanâ, quando vel tam magnus earum numerus impositus fuerit, ut illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri; vel eleemosyna hujusmodi adeo tenuis sit ut non facilè inveniatur qui velit huic oneri se subjicere. Vide sess. 25, cap. 4; sed huic Tridentinæ dispositioni derogatum fuit ab Urbano VIII, Constit. *Cùm sæpè* 21 jan. 1625, confirmata ab Innocentio XII, ubi : « Districtè prohibet, ne Episcopi in diœcesanâ » Synodo, aut generales, in Capitulis generalibus vel » aliàs, quoquomodo reducant onera ulla missarum cele- » brandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in » limine fundationis; sed pro his oneribus reducendis, aut » moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem » recurratur, etc. Alioquin, reductiones, moderationes... » hujusmodi, si quas contra hujusmodi formam fieri conti- » gerit, omninò nullas et inanes decernit. » Juxta ergo Urbani decretum facultas data à Concilio Trident. intelligitur tantùm de reducendis missis ante Concilium relictis, et non impositis in limine fundationis. Vide S. Liguor., *de Privil.*, n° 70, et lib. 6, n° 331.

In Galliâ tamen Episcopi exercent facultatem præfatam onera missarum reducendi, et quidem soli absque diœcesanâ Synodo (*Diction.* d'André v° *Fondation*, in fine). « Les » Bulles d'Urbain VIII et d'Innocent XII n'y ayant pas été » promulguées, » inquit DD. Affre (*Admin. tempor.*, p. 555, not. 4, édit. 4ª); et èo usque progreditur D. Dieulin (*Guide des curés*, t. 1, p. 194) quòd asserat : « *les lois canoniques* » et civiles n'attribuent ce pouvoir qu'à lui seul (à l'Evêque).

» Le Décret de 1809 (art. 29) dispose que les réductions » seront faites *par l'Evêque conformément aux lois cano- » niques.* » Numquid oculis gravissimorum istorum DD. *Lex canonica* non esset Constitutio Urbani VIII ab Innocentio XII confirmata?

An autem dicta Galliæ praxis licita sit pro conscientiâ, vide quid dixerimus in Prolegomenis de Promulgatione Bullarum (40-46), de Consuetudinibus (112-138), et præsertim de Jure Gallicano (151-155). Certum videtur quòd hujusmodi praxis, si unquam fuerit legitima antè Concordatum 1801, per Bullam tamen *Qui Christi* fuit antiquata. An à tempore Concordati evaserit legitima, dubitamus.

1046. Quidquid sit de hâc quæstione : « In ipsomet De- » creto Urbani, declaratum fuit benè posse Episcopos redu- » cere missas, si testator expressè hanc ipsis dederit facul- » tatem. » S. Liguor., libr. 6, n° 331.

Est autem magnum discrimen inter condonationem seu remissionem missarum et illarum reductionem, cùm reductio respiciat tempus futurum, dum condonatio solummodò tempus præteritum : « Condonationibus faciendis » immisceri se nequit Episcopus, utpote quæ privativè re- » servatæ sunt auctoritati Romani Pontificis. » Ita Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, cap. ultimum, n^is 15 et 28; et hoc viget in Galliâ, juxta Lequeux, n° 678, in hoc contrarium DD. Affre, *De l'administr. tempor. des paroisses*, p. 543.

Innocent. XII, in Constit. à Bened. XIV relatâ (*ib.*), admonet condonationes et reductiones non admitti à S. Sede, nisi petantur ex rationabili causâ et cum hâc clausulâ : *dummodò petentes malitiosè non omiserint animo habendi compositionem.*

1047. Juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 331, et *de Privilegiis*, 70), « Casu quo redditus (*fundationis*) à principio fuerint » sufficientes, et postea ita imminuuntur ut nullo modo » sufficiant ad onera ferenda, tunc, dicit Fagnanus, non » videri sublatam Episcopis facultatem, quam habent de » jure communi, missas moderandi, ex cap. *Nos quidem*, » *de Testam.*, et ex Trid., sess. 22, cap. 8, ubi conceditur

» Episcopis, ut, unà cum hærede vel exsecutore, possint ul-
» timas voluntates in alium pium usum commutare. »

Secus tamen sentire videtur Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, cap. ult., n° 26, ubi dicit : « Quapropter tutò con-
» cludi posse censemus Episcopos, quibus facultas est
» reducendi missarum onera, vel ex Concilii Romani am-
» pliatione vel ex sæpiùs memoratâ instructione (Vide *ib.*,
» n° 22), non posse missarum numerum, in contractu (actu
» fundationis) præscriptum ac vicissim acceptatum mi-
» nuere seu reducere, *quamvis imminuti fuissent redditus*
» ob eum finem assignati; sed hâc fortè (est exceptio quam
» videtur admittere Pontifex) propositâ facti specie, opor-
» tere, ut judicis partes assumant, investigantes an talis sit,
» quæ obvenit reddituum imminutio, ut juxta recepti juris
» regulas, sufficiat ad rescindendum contractum, vel
» saltem ad eumdem ad justi et æqui normam redigendum,
» quod etiam satis rectè tuetur Monacelli... » Quod non esset propriè actus reductionis, sed potiùs interpretatio extensionis obligationis à fundatore impositæ.

Quidquid sit de hoc, si redditus à principio essent insufficientes, ita ut nullus vellet missas acceptare, tunc certè ex Decretis ab ipsomet S. Liguorio relatis (*ibidem*, dub. 2), recurrendum esset ad S. Sedem.

1048. — 2° Quoad reductionem aliorum piorum operum, plures DD. apud S. Liguor. (*De Privileg.*, n° 68), asserunt posse Episcopum ex justâ causâ commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quòd ipsi habeant dispensandi potestatem in lege quæ jubet impleri ultimas voluntates, quoties adest justa causa; idque confirmant ex Trident., sess. 22, cap. 6. « Sed, inquit S. Liguor., nos negamus cum sen-
» tentiâ probabiliori.... quia in cap. *Tua, de testam.*, et
» cap. 8, ejusdem sess. 22... jubentur Episcopi adamus-
» sim exequi ultimas voluntates. » Vide etiam sess. 25, ultim. Conc. Trid. Decret. *de Purgatorio*.

Facultates à S. Sede Episcopis concessæ missas reducendi, non debent, inquit Bened. XIV (*De Synod.*, lib. 13, cap. ult., n° 22), « protendi ad reliqua pia legata, piasve
» dispositiones inter vivos, quibus, exempli causâ eleemo-

» synam pauperibus distribui aut inopes virgines dotari
» præcipiatur. »

In Galliâ tamen, ob praxim apud nos vigentem, videtur quòd sit licitum stare judicio Episcoporum, quoad has reductiones, et ipsemet S. Liguor. videtur huic sententiæ non contradicere, lib. 6, n° 331, dub. 3, et lib. 3, n° 931; plures causas enumerat ob quas licitum est Episcopo ultimas voluntates commutare.

1049. *Nota* 1° ex cap. *Nos quidem*, et cap. *Tua nobis, de testam.*, piarum dispositionum curam et executionem ad Episcopos pertinere : « Licet etiam à testatoribus id contin» geret interdici, » ut ait Pontifex in dicto cap. *Tua nobis.* Conceditur tamen fundatori, inquit. Bened XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. ult.), ut aliquem designare ac constituere valeat exsecutorem; sed si hic sit negligens in exsecutione piorum legatorum, ad Episcopum devolvitur onus et cura exsequendi quòd alii neglexerunt. Concil.Trident., sess. 22, cap. 8, *de reform.* Vid. Card. Soglia, *Instit. jur priv.*, § 12, in fine; Ferraris, v° *Episcopus*, art. 6, n° 172; Dieulin, *Guide des curés*, tom. 1, p. 193, edit. 1844; *Décret sur les Fabriques*, 30 dec. 1809, art. 26.

Nota 2° Casu quo Episcopi habent potestatem fundationes generatim reducendi, reducenda sunt potiùs reliqua opera quàm missarum onera, juxta praxim S. C. Conc., ut videre est ap. Bened. XIV (*ib.*, n° 23) : hoc pati posse difficultatem apud nos, asserit DD. Affre, *Administr. tempor.*, pag. 553, 4ª edit. Excipiendi sunt casus sequentes : 1° si fundator manifestaverit suam esse voluntatem quòd, obveniente necessitate onera reducendi, potiùs minueretur numerus missarum quàm cæterorum operum; 2° Si assignatus fuerit certus ac determinatus fundus pro missarum celebratione, et iste fundus diminutus fuerit.

1050. *Nota* 3° Quando facienda est reductio missarum, potiùs reduci debet ritus et solemnitas quàm missarum numerus. S. C. Conc., 4 aug. 1725 (*De Syn.*, lib. 13, cap. ult, n° 34).

§ XVIII.

De officio et potestate Episcopi quoad taxas Cancellariæ Episcopalis.

1051. Circa taxam Cancellariæ Episcopalis, editum fuit Decretum ab Innocentio XI, quod in extenso reperitur ap. Ferraris, vº *Taxa.*

Hoc Decretum italicè conscriptum non est aliud, inquit Card. Petra, quàm summarium quoddam ordinationum Sacrorum Canonum et Sacrarum Congregationum. Vide Ferraris, *ibid.*

« Die 8 oct. 1678, S. Congr. Conc., inhærendo manda-
» tis Sanctitatis Suæ, censuit præmissam taxam ; seu de-
» clarationes... ad quoscumque locorum Ordinarios trans-
» mittendas (esse), ut eas in Cancellariâ in loco omnibus
» patenti, retineri faciant, easdem adamussim observent
» ac faciant observari. »

Undè, ait Ferraris (*ib.*, nº 12), « Taxa Innocentiana ser-
» vanda est in omnibus Curiis, etiam extra Italiam » ; allegantur contra duæ decis. S. Cong. Conc. 6 febr. 1734, in causâ *Vasionensi*, et 1 sept. 1742 *in Alexanensi* (*ib.*, 12 et 14); sed eæ non benè probant.

1052. Quidquid sit, juxta D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, pag. 313), id est intelligendum, salvis contrariis consuetudinibus præscriptis; et insuper ex illâ taxâ Innoc. XI non sequitur quòd nequeat Episcopus ullum, hâc de re, edictum facere, sed tantùm quòd debeat taxam, juxta illud Decretum determinare, observando quòd hodiè pecuniæ valor multùm immutatus sit, ita ut, v. g., quòd olim uno scuto romano emebatur, hodiè nonnisi cum duobus emi possit (Bouix, *De Episcopo,* ib., p. 312); si autem nimia decernatur taxa dari potest recursus ad S. Congregationem Concilii (*ib.*).

1053. Quærit. 1º Quænam sint præcipuæ dispositiones Decreti Innocentii XI?

Resp. 1º Nec Episcopus, nec ipsius Vicarius aut Officiales

possunt aliquid recipere etiam sponte oblatum pro collatione ordinum, et etiam tonsuræ, nec pro facultate datâ accipiendi ordines ab alio Episcopo, aut similibus qui ordinationem respiciunt actibus. Potest tamen Ordinans recipere oblationem cerei, ut habetur in Pontificali, et quidem ejus qualitatis et ponderis quæ ab Ordinario statuta fuerint. Imò aliquod moderatum sponte oblatum, collato ordine, posse accipi probabiliter putat S. Liguor., lib. 3, n° 109, non obstante cap. 1 Concilii Trident. sess. 21, ob consuetudinem quæ præsumitur justâ causâ introducta. Vide infra dicenda (6186).

2° Nihil possunt exigere vel accipere iidem pro collatione beneficiorum aut immissione in eorum possessionem; nihil item pro novis fundationibus, erectionibus beneficiorum, capellaniarum, benedictionibus, consecrationibus, visitatione aut approbatione Ecclesiarum et Oratoriorum; nec pro executione dispensationum apostolicarum, vel dispensatione publicationum matrimonii, pro licentiâ contrahendi tempore vetito, etc.; nihil pariter etiam sponte oblatum, pro admissione monialium ad habitum aut professionem, etiam in conservatoriis (possunt solùm accipere comestibilia si à monialibus sponte offerantur), aut pro aliis actibus ad earumdem regimen spectantibus. Idem dicendum pro administratione baptismi, confirmationis, pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ-unctionis, aut pro licentiâ eadem sacramenta administrandi, aut pro examine et approbatione ad illam administrationem prærequisitis. Item nihil exigi potest pro benedictione quæ puerperis impertiri solet, quando post partum Ecclesiam primâ vice ingrediuntur. Nec pro licentiâ prædicandi, aut pro recognitione, approbatione et publicatione indulgentiarum, et concessione altaris privilegiati, pro licentiâ quæstuandi, pro facultate absentandi è loco residentiæ, pro executione Brevium S. Pœnitentiariæ, etc.

1054. A præfatâ tamen generali regulâ excipiendus est Cancellarius Episcopalis : de eo sic habet Concil. Trident. (sess. 21, c. 1) : « Notarii verò, in iis tantùm locis in quibus » non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro

» singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus, decimam
» tantùm unius aurei partem accipere possint; dummodò
» eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercen-
» do : nec Episcopo ex notarii commodis aliquod emolu-
» mentum ex eisdem ordinum collationibus directè vel
» indirectè provenire possit. Tunc enim gratis operam
» suam eos præstare omnino teneri decernit. » In taxâ verò Innocentianâ, hæc decima aurei pars determinatur de decimâ scuti romani parte.

1055. Item 1° ex eâdem taxâ Innocentianâ, Cancellarius potest etiam decem julios [1] recipere pro conficiendis instrumentis collationis beneficiorum, et pro exsecutione dispensationum, tres decimas partes scuti romani; pro testimonio autem de statu libero decimam partem scuti romani.

2° Pro fundationibus, erectionibus beneficiorum; pro benedictionibus, consecrationibus, etc.,. ecclesiarum, oratoriorum potest exigere mercedem labori congruentem, ita ut tamen scutum aureum non excedat.

3° Pro causis contentiosis, nihil Innocentius determinavit, sed reliquit determinandum ex legitimis Curiarum Episcopalium consuetudinibus; Sac. autem Congr. Episc. et Regul. determinavit solvendam esse vigesimam partem scuti romani pro 40 lineis, quarum unaquæque 20 litteris constet (Ferraris, v° *Cancellaria*, n° 16).

1056. Sed prohibuit Innocentius ne Cancellarius aliquid exigeret pro licentiâ administrandi sacramenta, aut examine et approbatione prærequisitis, vel pro licentiâ prædicandi, celebrandi, pro approbatione indulgentiarum, concessione altaris privilegiati, pro executione Brevium S. Pœnitentiariæ, pro licentiâ quæstuandi, absentandi à loco residentiæ, pro attestatione paupertatis. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom 2, p. 307-310; Ferraris, v° *Cancellaria*, n° 19.

1057. Quærit. 2° An et quatenus Episcopus possit de proventibus Cancellariæ suæ disponere?

[1] 1o Julius valet 10 baiocos, id est 0 fr. 535 nostræ monetæ, prout deduci posse videtur ex iis quæ dicit Ferraris, vo *Cancellaria*, nis 16, 17.

Resp. Nequit Episcopus eos ad proprios vel suorum usus convertere : Sacra tamen Congreg. Episcop. aliquando concessit ut Episcopi possent uti dictis emolumentis pro solvendâ pensione (25 jan. 1647), vel pro suis necessitatibus (31 maii 1647). Vide Ferraris, v° *Cancellaria*, n° 12. Sed absque Indulto Pontificio, peccaret etiam contra justitiam Episcopus qui sibi Cancellariæ emolumenta appropriaret.

« Hinc, inquit D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 314,
» post solutum Cancellario et aliis Cancellariæ ministris
» salarium suum, ac deductis insuper expensis pro ipsâ
» Cancellariâ factis, si quid ex emolumentis remaneat, id
» causis piis est expendendum, utpote quod neque ad Epis-
» copum, neque ad ullum jure pertineat. » Vide Conc. Trid. modò citat., sess. 21, c. 1. Et quod dicitur hîc de Cancellariæ emolumentis, à fortiori est dicendum de pecuniis provenientibus ex dispensationibus matrimonii : « Conceditur
» (enim) Episcopis in talibus dispensationibus, accipere
» aliquid eleemosynis distribuendum (modò ipsis, vel suis
» nihil proveniat), per modum pœnæ vel commutationis,
» non autem per modum sustentationis. Hoc enim vetitum
» est illis, ex cap. *Jacobus*, *de Simoniâ*, et à Trident. sess.
» 24, c. 5. » S. Liguor., lib. 3, n° 96. Vide etiam eumdem lib. 6, n° 1130; et D. Carrière, *de Matrim.*, n° 1128. Imò hujusmodi proventus nec etiam Cancellario pro salario sunt applicandi.

1058. Dicunt tamen *Analecta*. nov. 1855, col. 1814, cum J. Ferrario : « Quelques Evêques du Malabar avaient pris
» l'usage de faire payer les dispenses matrimoniales, et ils
» donnaient cet argent aux pauvres, ou s'en servaient pour
» les besoins de l'Eglise. La S. Cong. du S. Office leur dé-
» fendit cela par décret du 6 avril 1669 : Cùm solitum fuerit
» ut Episcopi, etc., in visitationibus quas faciebant, pecu-
» nias adscriberent pro dispensationibus quas concede-
» bant... quas pecunias asserebant se applicare pauperibus
» et Ecclesiæ usibus : quæritur an idem permittendum sit
» novo Episcopo ? S. Congr. respondit *quòd pro dispensa-*
» *tionibus matrimonialibus, non possint recipi* : quo verò

» ad alia emolumenta in visitationibus dari solita...
» nihil innovetur. »

§ XIX.

De potestate Episcopi Vicarios constituendi et congruam eisdem assignandi.

1059. Certum est 1° Episcopum cogere posse parochos, quando ipsi non possunt sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, *ut sibi adjungant tot sacerdotes quot necessarium est ad hoc munus implendum* (Concil. Trid., sess. 21, c. 4). Imò possunt ipsimet dare parochis coadjutores, quando munus suum implere non valent propter perennem infirmitatem corporis aut animæ vel propter imperitiam. Ad Episcopum autem, non verò ad parochum pertinet judicare an necessarii sint, nec ne, vicarii. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 327. Vide infra dicenda. *De Parocho* (1337, etc.).

1060. Certum est 2° Episcopum posse vicario congruam de fructibus parochiæ assignare : constat ex Const. *Apostolici ministerii* Innoc. XIII, § 13. « Quoties... oportuerit ex
» justâ causâ provideri per coadjutores parochorum, aut
» per vicarios temporarios, curæ erit Episcopis, *pro datâ*
» *sibi à Trident. Synodo potestate,* partem fructuum præ-
» dictis coadjutoribus aut vicariis assignandam determi-
» nare in eâ quantitate, quæ pro suo prudenti arbitrio et
» conscientiâ conveniens videbitur. » Vide etiam Concil. Trid., sess. 7, c. 5. Si proventus parochiæ non sufficerent, juxta sententiam communem, præferendus est Coadjutus, et ex aliis bonis, in quantum fieri poterit, coadjutori Episcopus providebit. Bouix, *De Parocho*, p. 438; et *Analect.* sep. 1855, col. 1655, ubi citatur S. C. Conc. quæ dixit hæc etiam esse applicanda parochis amovibilibus.

In lege civili nostrâ sic statuitur in Decreto 17 nov. 1811, et Instruct. Ministeriali 1 april. 1823 : « Pour le cas de ma-
» ladie, l'indemnité due au remplaçant sera : dans une
» succursale, 250 fr.; dans une cure de 2e classe, 400 fr.;
» dans une cure de 1re classe, 700 fr.

» Pour le cas de suspense ou d'interdit du titulaire, le » remplaçant a droit, dans une succursale, à la moitié du » traitement; dans une cure de 2° classe, aux trois cinquièmes; et dans une cure de 1re classe, aux deux tiers.

» Pour le cas d'absence du titulaire, il sera assigné au » remplaçant une indemnité qui, n'ayant pas été déter» minée par le décret, doit être arbitrée par l'Évêque. » Dans les trois cas, le remplaçant jouit de la totalité du » casuel. » Ita Dieulin, *Guide des Curés*, p. 485, 3e édit.

1061. Quærit. An possit Episcopus pro congruâ Vicariorum assignare oblationes, quæ ex sacramentorum administratione vel ex funeribus proveniunt?

Resp. Jure communi illas oblationes ad parochos pertinere. Ita communiter DD.; nulla ergo esset difficultas circa solutionem præsentis dubii, et pars affirmativa certò esset amplectenda, si certum esset præfatas oblationes fore computandas *inter fructus beneficii parochialis;* sed de hoc controvertitur; imò multò probabilius tenetur illas non debere inter dictos fructus annumerari, et id colligitur ex multis decis. Congregationum Romanarum à D. Bouix relatis (*De Episcopo*, tom. 2, p. 330). Porrò jus tribuere non videtur Episcopis facultatem congruam assignandi nisi ex beneficii parochialis fructibus: undè meritò dubitatur an illæ oblationes valeant assignari vicariis pro congruâ. Vide rationes pro et contra, ap. D. Bouix (*ibid.*), qui solutionem hujus dubii doctioribus relinquit.

1062. Nobis tamen videtur quòd sententia affirmans possit tutò ad praxim reduci: nam Conc. Trident., sess. 21, cap. 6, Episcopo concedit ut valeat « Coadjutores aut » vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum » iisdem pro sufficienti victu assignare, *vel aliter providere* » *possit.* » Ex quibus posterioribus verbis, videtur posse colligi quòd Episcopus valeat etiam assignare emolumenta quæ non essent ex fructibus beneficii, ac proinde etiam oblationes supra enuntiatas. Habitâ ergo ut saltem verè probabili sententiâ affirmante, standum erit decisioni Episcopi, si hujusmodi oblationes assignet Vicario pro congruâ.

Refert D. Bouix quòd, anno 1848, occasione Decreti RR. DD. Affre, Parisiensis Archiepiscopi, in quo statuebatur ut de dictis oblationibus massa communis conficeretur certo modo dividenda, recursus fuerit habitus ad Sedem Apostolicam ex parte parochorum Parisiensium; sed non fuit publicata decisio S. C. Conc., cui certè esset standum, si in lucem prodiisset (Vide *De Episcopo*, t. 2, p. 329).

§ XX.

De nonnullis aliis officiis et potestatibus Episcoporum.

1063. 1° De obligatione prædicandi et docendi hæc statuit Conc. Trid. (sess. 5, cap. 2) : « Decrevit eadem Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos... teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum J. C. Evangelium. Si verò contigerit Episcopos et alios prædictos legitimo detineri impedimento.., viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exsequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.» Et ad hoc Episcopos teneri ex jure divino, eadem S. Synodus declarat, sess. 23, cap. 1, *de ref.*, et sess. 24, c. 4.

Hoc præceptum sub gravi obligare dicit S. Liguor., lib. 3, n° 269 : « Episcopi autem rariùs... quam parochi tenentur conciones facere » ; sed debent personaliter invigilare ut alii prædicent, et saltem aliquando tenentur ipsi ad concionandum : lib. 4, n° 127. Sic, ait idem, per consuetudinem universalem moderata fuit sanctio Concilii Tridentini.

1064. Ad solum Episcopum pertinet dare licentiam prædicandi : «Nullus», inquit Concilium Trident. (sess. 24, c. 4), « sivè sæcularis, sivè regularis, etiam in Ecclesiis propriorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.» De quo, vide supra dicta (595) et infra dicenda (1497).

Ab Episcopo prædicator debet benedictionem petere. Vide Lequeux, n° 285.

« Concionatores Quadragesimæ, sive Adventûs, quorum

» deligendorum facultas laicis facta est, eò quòd honora-
» rium iisdem solvunt, ab Episcopo approbandi sunt. »
(Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 5.)

1065. S. Congregatio Concilii consulta fuit à Fabricâ Cathedralis Sarzanensis « an et ad quem spectet onus sol-
» vendi eleemosynam Concionatori Cathedralis ? » S. Congr. respondit : « Spectare ad Episcopum. » (Vid. *Analecta*, 30ᵉ livr.. col. 128. Ita expressè cap. *Inter cætera*, *de Officio jud. ordinarii.)*

1066. 2° Quoad missam : « Dicit Habert, ex cap. ultimo,
» *de Privileg.*, in 6°, eos non decere ullam diem transi-
» gere sinè missâ, remotâ rationabili causâ; sed adverten-
» dum quòd textus non loquitur absolutè de celebratione,
» sed, vel de celebratione vel de auditione missæ. » S. Liguor., lib. 6, n° 313.

« In die Paschæ, Episcopus, nisi aliquo legitimo impe-
» dimento fuerit impeditus, missam solemnem omninò
» celebrare debet. » Ita Cæremoniale Episcop., lib. 2, c. 29... Hæc solemnis celebratio item commendatur in die Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Festi SS. Petri et Pauli, Assumptionis, Festi Omnium SS., Dedicationis Ecclesiæ, et Festi Patroni Civitatis. Vide Cæremoniale, lib. 2, cap. 2.

Adverte insuper quòd non sit « postremum Episcopo-
» rum officium... sacrificium offerre pro populo, curam-
» que suscipere pupillorum, viduarum et eorum qui in
» paupertate sunt. » Card. Soglia, *Instit. jur. publici*, § 51, in fine. Concil. Trid., sess. 23, cap. 1. Cf. app. x.

1067. 3° Episcopi tenentur convenire Concilio Provinciali si sint convocati. Vide Concil. Trident., sess. 24, cap. 2, et dicta supra (82).

1068. 4° « Episcopus non debet clericis permittere lu-
» dum alearum : non obstantibus consuetudinibus quibus-
» cumque. » Trid., sess, 22, cap. 1, *de reform.* Unde à fortiori non debet ipse aleis ludere. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 6, n° 121.

1069. 5° Ad Episcopum pertinet suarum ecclesiarum temporalia bona administrare, unde suo arbitrio moderare

potest scamna et loca laicorum in ecclesiâ. Ita multoties S. Congr. Rit., et imprimis 10 decembr. 1606. Pro foro civili in Galliâ, vide art. 25 Decreti 30 decemb. 1809.

Potest prohibere ne sedes laicorum etiam Præfecti et Majoris collocentur in presbyterio apud altare, non obstante quâcumque consuetudine in contrarium. Ita S. Congregat. Rit., 10 jun. 1602. Vide plures alias decisiones in eodem sensu, apud *Analecta jur. pont.*, 45e liv., col. 823, etc., et supra dicta (639). Pro foro civili in Galliâ, vide art. 10 Decreti 24 messidor, an XII, *Journ. des Fabr.*, tom. 9, p. 280; Dieulin, *Guide des curés*, p. 119.

Potest removere indecentia et scandalosa in ecclesiis, arbitrio suo. Ferraris, vº *Episcopus*, *ib.*, nis 3-5.

1070. Juxta litteras Encyclicas Pii IX, 1 jun. 1847 quibus prædecessorum suorum Constitutiones, et imprimis Pii IV, *Romani Pontificis* et Innocentii XII *Inscrutabili* innovantur et confirmantur, Episcopi tenentur suæ ecclesiæ Cathedrali relinquere omnia vasa sacra, ornamenta et alia ad cultum divinum destinata, quæ non constat fuisse aliis boniis acquisita quàm ecclesiasticis. Unde sedulò, prout à S. Pontifice ad id hortantur, conficere debent Episcopi inventorium authenticum omnium rerum cultui divino inservientium, quas post suam promotionem bonis ecclesiasticis comparârunt, quæque ideo ad Cathedralem Ecclesiam pertinent. Vide *Analecta*, 27e livr., col. 950.

1071. Plures sunt aliæ Episcoporum obligationes de quibus in decursu hujusce Manualis tractabimus : dicemus enim de potestate Episcoporum in regulares loquendo de istis (2960-2981); de potestate ferendi censuras ubi de censuris; de officio Episcopi quoad sacramentum pœnitentiæ, loquendo de confessariis; de ipsius potestate, quoad habitum clericalem, ubi de clericorum obligationibus; de obligatione syndicandi Vicarium Capitularem, loquendo de Administratione Capitulari, Sede vacante (in fine); de potestate administrandi bona Ecclesiæ juxta canones, loquendo de bonorum illorum administratione (5302-5347); jam diximus de obligatione Episcoporum conferendi beneficia dignioribus. Vide (475-488). An et quandonam

Episcopus indigeat consensu vel consilio Capituli sui, expendemus in tractatu de Capitulis : de quo etiam aliquid jam indigitavimus supra (949-953). De pluribus aliis hic mentionem facere omittimus.

ART. III.

DE JURIBUS EPISCOPORUM UTILIBUS ET HONORIFICIS.

§ I.

De juribus utilibus.

1072. Pleraque jura utilia Episcopis competentia, sub denominatione *Legis diœcesanæ* olim designabantur : quinque verò præcipua jura utilia numerabantur :

1° *Jus Procurationis* et *Circadæ*, quo exigere valebant necessaria ad visitationem peragendam ; de hoc locuti sumus supra (916-918). Vide Lequeux, n° 320.

2° *Jus Subsidii caritativi*, vi cujus Episcopi ex justâ causâ poterant extraordinariè expetere à suis clericis subventiones necessarias, quando redditus propriæ Ecclesiæ non sufficiebant oneribus sibi impositis. Vide Reiffenst., pars 3, lib. 3, tit. 39, n° 19; et infra dicenda (5359, 5395, 5460).

3° *Jus Cathedraticum* in eo consistens, quòd census Episcopo seu tributum quotannis solvebatur ab omnibus Ecclesiis diœcesis pro honore Cathedræ. Vide Cardin. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 39. Vide insuper Reiffenst., circa tria præfata, lib. 3, tit. 39, ubi accuratè explanantur.

Non ampliùs in usu videntur hæc duo posteriora, saltem in Galliâ, ubi tamen viget ferè ubique subsidium pro sacerdotibus senio vel infirmitate debilitatis.

4° *Quarta canonica*, quæ erat portio Episcopo debita occasione funerum, quod jus penitus obsolevit saltem apud nos.

1073. 5° *Jus Sigilli* de quo satis diximus supra (1051-1058).

Nota hic quòd bona Ecclesiæ Episcopalis vacantis administrari quidem debent ab œconomo, quandiu Successor possessionem Sedis non iniit, sed ad ipsum Successo-

rum sunt reservanda integra ex Concilio Chalcedonensi et Constit. Julii III, confirmatâ ab Urbano VIII, per Constit. *Æternus rerum Conditor* (Ferraris, vº *Episcopus*, art. 3, nº 65). Secus tamen fit, ubi pro tempore vacantiæ persolvi debent Cameræ Apostolicæ, et pariter ubi existit jus regaliæ, prout in Galliâ olim vigebat. Vide Hallier, *De sacris election.*, etc., tom. 24, col. 1442 (*Cur. complet. theologiæ* D. Migne). Vide supra (373, 534), et infra dicenda (1285).

§ II.

De juribus honorificis Episcoporum.

1074. 1º Episcopus, etsi nondum consecratus sed tantùm confirmatus, præcedit ubique Protonotariis Apostolicis. Ferraris, vº *Episcopus*, art. 4, nº 1.

2º Debet habere pacis osculum ante Præsidem et Consiliarios regios, et super quoscumque sæculares etiam Principes præcedentiam habere in suâ Ecclesiâ et Diœcesi. Vide Concilium Tridentin., sess. 25, c. 17; Ferraris, *ibid.*, nis 7 et 8.

1075. 3º In ecclesiâ debet in sublimiori loco sedere, eique in omnibus suæ Diœcesis ecclesiis, quantumvis exemptis et privilegiatis, in choro, in capitulo, in processionibus ac aliis actibus publicis, primus locus et prima sedes quam ipse elegerit, debetur cum baldachino. Concil. Trident., sess. 25, cap. 6, *de reform.*; et S. Congr. Rit., 7 decemb. 1613 (Ferraris, *ib.*, nis 9 et 10). Vide infra dicenda (2282).

4º Sedem habere debet pulchriorem et majorem quàm Gubernator civitatis, et quidem fixam et immobilem, semper ornandam, non tamen coloris rubri. S. Congr. Rit., 3 oct. 1615, 23 maii 1613. Ferraris, *ib.* nis 11 et 12.

5º Episcopi sedes apud parietem contra altare constituenda est, et hinc et inde sedes seu stalla pro Dignitatibus et Canonicis poni debent. S. Congr. Rit., 9 oct. 1606. Potest tamen Episcopus aliam sedem extra chorum habere, dummodo etiam pro canonicis locus paretur... S. Rit. Cong., 9 maii 1606. Ferraris, *ib.*, nis 14 et 15.

1076. 6° Quando Episcopus accedit ad ecclesiam exemptam, in quâ Abbas mitratus sedem habet, Episcopi sedes, convenienter ornata cum baldachino, paranda est in dextro cornu chori sive ecclesiæ, ita ut uno gradu eminentior sit quàm sedes Abbatis. Sedes autem Abbatis poni debet in sinistro cornu, absque ornatu et gradu humiliori, et ad id pœnis et censuris regulares compelli possunt. Ferraris, *ib.*, n° 21.

Baldachinus autem non debetur Vicario Episcopi, absente Episcopo, imò nec Episcopo Coadjutori. (Ferraris, *ib.*, n° 20); nec ulli laico, etiam Domino loci. Ita S. R. Cong., ap. *Analecta juris pontif.*, 45° livr. col. 823, 4°.

1077. 7° Episcopi soli, dum privatim celebrant, possunt accipere paramenta in ipso altari, et duos habere ministros superpelliceis indutos, præter alium ministrum clericum vel laicum communi veste indutum. S. Congr. Rit., 7 jul. 1708. Ferraris, *ib.*, n° 18.

Episcopus non debet Vesperas cum cappâ celebrare. S. Cong. Rit., 23 mart. 1608 (Ferraris, *ib.*, n° 35). Episcopo missam pontificaliter celebrante, poni debet in altari, juxta Cæremoniale, septimum candelabrum; sed illud non est ponendum in Vesperis nec in Missis Defunctorum. Ita S. R. Congr., in *Placentinâ*, n° 204, ad 8.

8° De privilegio Episcopis concesso altaris portatilis seu celebrandi ubique, vel missam audiendi, dicemus ubi de Sacrificio missæ (3570). Vide Lequeux, n° 274; et Bouix, *De Episcopo*, t. 2, pag. 124.

1078. 9° In omnibus suæ diœcesis ecclesiis quantumvis exemptis et privilegiatis, Episcopus potest missas et divina officia celebrare *in Pontificalibus*, cum assistentiâ suorum canonicorum (aliquos enim, ut jam diximus, potest secum adducere, et ad ipsos, non ad clerum loci, pertinet jus Pontifici assistendi. Ferraris, *ib.*, n^is 31 et 32); quod si tantùm missæ solemni intersit Episcopus, potest ibidem habere cum eis circulos ad *Gloria* etc. Ad ipsum tunc pertinet confessionem facere cum sacerdote, incensum ponere et benedicere, et solemniter post Vesperas aut Missam benedictionem dare. S. R. Congr., ap. Ferraris, *ib.*, n^is 19 et 20.

1079. Communiùs tamen negatur posse Episcopum, in ecclesiis regularium exemptorum, exercere, ipsis invitis (si illæ ecclesiæ non sunt parochiales), actus jurisdictionales, v.g. prædicare, chrisma facere, confirmationem ministrare, ordines conferre, etc. Monacelli tamen contrarium putat verius. Ferraris, *ib.*, n[is] 22-24.

10° Episcopo celebranti pontificaliter tenentur assistere quinque personæ, juxta formam *Pontificalis;* inter quas debet esse Prima Dignitas. Ferraris, v° *Episcopus, ibid.*, n[is] 29 et 30.

11° Episcopus divinis officiis assistens cum cappâ, non debet singulos Canonicos antè ipsum cernuos salutare detegendo caput, sed satis est illis manu benedicere. S. R. Cong., 10 jan. 1604 (Ferraris, *ib.*, n° 36).

1080. 12° Episcopus in publicis processionibus, cum cappâ et birreto, non inter Dignitates, sed solus incedere debet. Quod si deferatur aliqua imago seu reliquia, ipse cum cappâ et birreto incedere debet post imaginem vel reliquiam, nisi adsit consuetudo in contrarium. (S. Cong. Rit., 20 nov. 1626). Ferraris. *ib.*, n° 42.

Quoad præcedentiam Episcoporum ad invicem, vide supra (628). Hic addendum 1° quòd Episcopus ad Archiepiscopatum promotus, præcedat Episcopis antè ipsum ad Episcopatum evectis; imò præcedit Archiepiscopis post ipsum ad hanc Dignitatem evectis, etsi antiquioribus in Episcopatu... Ferraris, *ibid.* (*Addit. ex alienâ manu*). 2° Qui dimisit Episcopatum jus non habet interessendi Concilio Provinciæ in quâ moratur, prout nec Episcopus extraneus. Inibi tamen uterque admitti potest, etiam ad votum decisivum, sed tantùm ex unanimi Patrum consensu. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 341. In hoc casu hujusmodi Episcopi sedent post omnes provinciæ Episcopos, nisi fuissent Archiepiscopi. 3° Imò Episcopus, qui fuerat antea Archiepiscopus, præcedit Episcopos ordinatione anteriores. Ita Card. Petra, apud D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 342. 4° Episcopus interveniens nomine Metropolitani præcedit omnibus etiam antiquioribus (*ib.*). Vide App. XV.

1081. — 13° Episcopus et Prælati minores (quo nomine

veniunt Abbates et Superiores locales et etiam Prælati Romanæ Curiæ, Protonotarii, Auditores Rotæ, etc.) possunt sibi eligere confessarium, etsi reperiantur extra propriam diœcesim, modò sit subditus, aut sit ab Ordinario hujus loci approbatus. Ita S. Liguor., *Appendix de Privilegiis*, nº 65, ex cap. finali, *de pœnit. et remiss.* modificato à S. C. cum approbatione Gregorii XIII. Vide infra (1561).

ART. IV.

DE VARIIS EPISCOPORUM SPECIEBUS, ET DE PRÆLATIS JURISDICTIONEM QUASI EPISCOPALEM HABENTIBUS.

1082. Præter Episcopos actu exercentes jurisdictionem in suos diœcesanos, sunt et alii actu et exercitio jurisdictionis carentes, qui vocantur *Episcopi titulares* seu *in partibus infidelium*. De iis quædam hìc sunt dicenda : item est aliquid hìc dicendum de Episcopis Regularibus, de Episcopis Coadjutoribus et de Prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus ; undè quatuor erunt paragraphi.

§ I.

De Episcopis titularibus.

1083. Ne illarum Episcopalium Sedium, quæ antiquitùs florentissimæ fuerant, sed sub infidelium jugo transierunt, memoria penitùs obliteretur, solent SS. Pontifices, inquit Bened. XIV (*De Syn.* l. 2, c. 7), nonnullos quandoque Episcopos ad earumdem titulum instituere. Porrò illos Episcopos, *titulares* seu *annulares*, aut *in partibus infidelium* vocare mos est. Vide etiam Bened. XIV in Bullâ *Cùm a Nobis*. His utuntur SS. Pontifices ut sibi assistant in Apostolico ministerio obeundo, vel ut, tanquam suffraganei, pastoralia munia expleant, in diœcesibus amplioribus. Nulla titularium Episcoporum sub hoc nomine mentio reperitur antè Conc. Lateranense V, sub Leone X, sess. 9, *de Cardin.* Vide Ferraris, vº *Episcopus*, art. 7, n 23. Hodiè non ampliùs dicuntur *in partibus infidelium*, sed tantùm *titulares*. S. C. de Prop. Fide, 27 feb. 1882.

Attamen « neque absonum, aut recens institutum est,
» ait Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 2, c. 7, n° 1), ut Romanus Pontifex aliquos ad Episcopatum promoveat quin ullius specialis Ecclesiæ actualem administrationem illis tradat; » et citat deinde varia exempla.

Sufficiat hic referre testimonium Sozomeni in lib. 13, cap. 8, n° 12, *De Syn.* relatum : « Adde his, inquit Sozomenus (*Histor. eccles.*, lib. 6, c. 24), *Barsen et Eulogium qui ambo creabantur Episcopi, non urbis alicujus, sed honoris causâ, qui vitæ piè anteactæ compensatio illis in propriis monasteriis deferebatur.* Hæc hodie, pergit Bened. XIV (*ib.*), immutata est disciplina, neque ullus consecratur Episcopus, nisi ut certæ præficiatur Ecclesiæ, vel actualiter ab ipso regendæ, si pateat ad eam accessus, vel saltem habitualiter, si ad eam... accedere prohibeatur : cujus generis ii sunt Episcopatus qui *in partibus* dicuntur. »

1084. Porrò speciales sunt circa hujusmodi Episcopos dispositiones juris : 1° Non vacat beneficium eorum qui ad Episcopatum titularem promoventur; unde v. g., si ante promotionem erant canonici, Canonicatum retinent post promotionem. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 7, n° 37.

2° « Episcopus titularis Canonicatum obtinens in Ecclesiâ Cathedrali... debet in eâ uti habitu... quo utuntur Episcopi in Romanâ Curiâ : id est rocheto supra subtanam et mantelletto violacei coloris. S. C. Rit., 11 jun. 1617. » (Ferraris, *ib.*, n° 33.)

3° « Debere præcedere omnibus aliis Canonicis et Dignitatibus, tam quoad stallum quàm quoad functiones cantandi missas et omnia alia. S. Cong. Rit., 22 jun. 1592. » (Ferraris, *ib.*, n° 34.)

4° Episcopum titularem esse de jure vocandum ad Concilia Generalia, asserit Ferraris (*ib.*, n° 38); contrarium tamen sentire videtur D. Bouix cum Melchiore Cano, *De Episcopo,* tom. 1, p. 86 et 493.

1085.— 5° Episcopus titularis qui est Canonicus, Ordinarii subest visitationi ad instar aliorum Canonicorum, et

tenetur ad observationem legis diœcesanæ sub pœnis in eâ contentis (Ferraris, *ib.*, nº 35).

1086. 6º Insuper quoad Episcopum titularem simul et Canonicum, in causâ Asculanâ sequentia, 20 mart. 1720, resoluta sunt : 1º post delatam per subdiaconum assistentem Episcopo locali pacem, non debet per eumdem subdiaconum deferri Episcopo titulari, antequam Canonici assistentes in throno illam receperint ab Episcopo locali; 2º in Missis et Vesperis cantatis cum assistentiâ Episcopi localis, tenetur Episcopus titularis discedere à stallo, unà cum aliis Canonicis, ad faciendos consuetos circulos in Cæremoniali præscriptos; 3º pontificalia exercente locali Episcopo cum assistentiâ Capituli in paramentis sacris, potest Episcopus titularis deferre pluviale, et cum pluviali mitram, sed lineam tantùm et de consensu localis Episcopi, et in hoc casu illam sibimet imponit et à capite amovet; 4º pro cantandâ missâ de turno, expedit ut aliquem ordinariè sibi subroget Episcopus titularis; sinè autem licentiâ Episcopi localis illam cantare nequit utendo faldistorio et indumentis pontificalibus : ap. Ferraris, *ib.*, nº 41. — Nec sinè expressâ licentiâ Ordinarii potest ulla pontificalia exercere. Ferraris, *ib.*, n[is] 27 et 44. — Nota quòd Episcopus Canonicus non amittat distributiones, etsi se abstineat ab hebdomadarii officiis, modò choro interfuerit. Ita S. C. Rit., 16 mart. 1833, ad 5m. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 517 et 518.

1087. 7º Episcopis titularibus præcedunt Episcopi locales, etsi posteriores sint consecratione, et hoc quidem etiam in Conciliis. Vide Ferraris, *ib.*, 43. Contradicit tamen auctor *Prælect. S. Sulpitii*, nº 188, III, qui insuper asserit Episcopos titulares gaudere etiam privilegio oratorii privati et *altaris portatilis*.

1088. 8º S. Pontifex privativè sibi reservat curam actualem Ecclesiæ in titulum collatæ; illamque committit Vicario Apostolico : undè Episcopus titularis non potest audire in confessione fideles in suâ Ecclesiâ commorantes, nec sacerdotem ad hoc deputare, nec etiam deputare ad prædicandum aut alia ministeria exercendum ; posset tamen,

juxta Andreucci, validè, sed non licitè, assistere matrimonio sui subditi, quia ad hoc jurisdictio non requiritur : « Cæterùm, ait idem Andreucci, simul ac in suam civita-
» tem admitterentur, et Delegatus Apostolicus ab adminis-
» tratione removeretur, possent, absque aliâ concessione
» Pontificis et factâ mutatione ex parte ipsorum Episco-
» porum (Titularium), Christianos fideles judicare. » Ita auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 188. Vide etiam Constit. Bened. XIV *Cùm à nobis ;* et Ferraris, *ibid.*, n° 94.

1089. 9° Circa visitationem Sacrorum Liminum, non sibi concors est Bened. XIV : ad illam enim Episcopum titularem astringi negat (*De Syn.*, lib. 2, cap. 7, n° 2) ex declar. Clement. VIII anni 1594 ; dum econtra affirmat (*ibid.*, lib. 13, cap. 6, n° 5). — Sententiæ neganti adhærendum esse putat D. Bouix, propter Declarat. S. C. Conc. et auctoritatem Clem. VIII (*De Episcopo*, tom. 1, p. 495).

§ II.

De Episcopo Regulari.

1090. Aliquando regulares ad Episcopatum evehuntur : illud autem fieri nequit sinè licentiâ Superioris hujusmodi Electi.

Factus Episcopus regularis non desinit esse religiosus et triplici substantiali voto obstrictus (hoc tamen controvertitur ap. S. Liguor., qui sententiam affirmantem sequitur et probat, lib. 4, n° 2), imò et aliis votis essentialibus, prout in ordine Minimorum voto abstinentiæ Quadragesimalis per totum annum.

1091. Post suam promotionem ad Episcopatum, regularis non tenetur Prælato suæ Religionis obedire, sed tantùm S. Pontifici, ex vi voti obedientiæ.

Remanet incapax sibi acquirendi; sed quod acquirit, non suo Monasterio, sed suæ Ecclesiæ aut mensæ acquirit. Quoad usum verò rerum temporalium, illum multò latiorem habet post promotionem quàm antea, ob exigentiam statûs Episcopalis.

Solutus est ab obligatione et observantiis suæ regulæ, et hoc à die promotionis in Consistorio. Unde tenetur recitare officium juxta ritum suæ Diœcesis, non verò juxta ritum suæ Religionis. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 7, n° 7.

Tenetur tamen Religionis suæ habitum retinere, quoad colorem, non quoad formam : hoc autem non procedit quoad Canonicos regulares S. Augustini et clericos regulares. Ferraris, v° *Episcopus*, art. 7, n^is 6, 50, 51.

1092. Si Episcopatum, concedente Papâ, dimiserit aut ab eo disjectus fuerit, tenetur ad claustra redire, nisi facultatem extra claustra degendi à Sede Apostolicâ obtinuerit.

Ad suam Religionem regressus, ejusdem officia et Dignitates obtinere prohibetur. Ferraris, *ib.*, n° 19. Vide circa hæc omnia D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 496, etc.; Ferraris, *De Episcopo*, art. 7; S. Liguor., lib. 4, n^is 2 et 3.

§ III.

De Episcoporum Coadjutoribus.

1093. Coadjutores Episcoporum sunt illi qui à potestate legitimâ constituuntur cum officio adjuvandi Episcopos in eorum diœcesis administratione.

Duplicis generis esse possunt : vel Coadjutores *in temporalibus* tantùm, qui darentur, v. g. Episcopo dilapidatori, quique caractere Episcopali non sunt necessariò insigniendi, ut patet : vel Coadjutores *in spiritualibus simul et temporalibus*, qui dantur ut valeant exercere etiam Pontificalia, ideoque caractere episcopali insigniuntur; de his posterioribus solummodo hic agitur.

1094. Sæpe ab auctoribus Coadjutores *Suffraganei* nuncupantur, quamvis magis propriè eo nomine vocentur qui ad adjuvandum Cardinalem Episcopum deputantur : « Coadjutor, inquit Ferraris, ferè coincidit cum Suffraganeo, qui solet deputari pro Ecclesiis Cardinalium et pro aliis quæ consueverunt *Suffraganeum* habere » (v° *Coadjutor*, n° 23). Alium adhuc habet sensum vox *Suffraganeus* ut dictum fuit supra (832, in notâ 1).

1095. Differt Coadjutor ab *Administratore Apostolico :* Coadjutor enim datur Episcopo in suâ Sede residente, qui ob senium vel adversam valetudinem, explendo muneri suo impar est, dum Apostolicus Administrator « à Sede Apos» tolicâ dari solet Episcopis e suo episcopatu legitimè ab» sentibus, vel Personis Principibus auctoritate Apostolicâ » cum dispensatione promotis ad Episcopatum antè legi» timam ætatem. » Ferraris, *ib.*, n° 22. Vide etiam Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 674 ; et Bened. XIV, *De Syn. Diœces.*, lib. 13, c. 6, n° 5.

1096. Coadjutores vel sunt cum *futurâ successione* vel sinè illâ : priores *perpetui* nuncupati, mortuo Episcopo, statim evadunt proprii diœcesis Episcopi, posteriores verò amittunt suam potestatem statim ac Coadjutus expirat, ideoque *temporales* dicuntur.

Coadjutoria, etiam *cum futurâ successione*, non est beneficium, sed simplex officium, ad instar Vicariatûs Generalis. Vide id probatum, ap. Leuren., *De Coadjutoriis*, quæst. 316.

1097. Coadjutor est quidem Prælatus ratione caracteris Episcopalis : an sit pariter Prælatus, ratione Coadjutoriæ suæ, disputatur. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 498-500.

Coadjutor habere debet omnes qualitates de jure requisitas ad illud officium pro quo datur. V. Conc. Trid., sess. 25, cap 7, *de reform.;* Ferraris, v° *Coadjutor*, n[is] 18-25.

1098. Quærit. 1° Quid de Coadjutoriis statuerit Concilium Tridentinum ?

Resp. Sic de illis decernitur in sess. 25, c. 7 : « In » Coadjutoriis... cum futurâ successione, idem posthac » observetur ut nemini, in quibuscumque beneficiis eccle» siasticis, permittantur. Quòd si quando Ecclesiæ Cathe» dralis aut monasterii urgens necessitas, aut evidens uti» litas postulet Prælato dari Coadjutorem, is non aliàs cum » futurâ successione detur, quàm hæc causa priùs dili» genter à Sancto Romano Pontifice sit cognita, et quali» tates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à jure et » decretis hujus Sanctæ Synodi in Episcopis et Prælatis » requiruntur : aliàs concessiones... subreptitiæ esse cen» seantur. »

1099. Quærit. 2° A quo possint constitui Coadjutores Episcoporum?

Resp. A solo Papâ constitui posse : vel enim agitur de Coadjutoribus *cum futurâ successione*, vel de Coadjutoribus sinè tali successione : in priori casu patet, ex textu modò relato Concilii Tridentini, generaliter prohiberi Coadjutorias cum futurâ successione, et à solo Papâ, concurrentibus certis conditionibus, dari posse; in secundo casu, sic statuit Bonifacius VIII, in capite unico, *de clerico ægrotante*, in 6° : « Declaramus atque statuimus Coadjutorum Episcoporum et superiorum Prælatorum dationem intelligendam esse de causis majoribus, et referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab Eâ, consuetudine non obstante contrariâ, tantummodò postulandam. »

1100. Concedit tamen idem Pontifex (*ib.*) casu quo diœcesis detrimentum pateretur, si Coadjutor à S. Sede esset exspectandus, ut, *auctoritate Pontificiâ*, Episcopus diœcesis administrandæ impar, possit cum consensu majoris partis Capituli, sibi unum aut duos Coadjutores assumere.

Imò ex eâdem Decretali, idem potest Capitulum in casu dementiæ Episcopi, modò consentiant duæ tertiæ partes Capitularium, eâ conditione tamen ut quamprimum relationem de toto negotio ad Sedem Apostolicam referat: sed hoc ei non conceditur extra casum dementiæ, etsi Episcopus qui, aliàs certè indiget Coadjutore, illius necessitatem non agnoscens, renuat eligere; superest tantùm Capitulo rem tunc deferre ad notitiam S. Pontificis. Vide infra (1220).

1101. Causæ propter quas dari potest Coadjutor, sunt : 1° corporis infirmitas quâ impar explendo muneri suo efficiatur Episcopus quæque stabiliter permansura prævideatur; 2° senium; 3° amentia. Vide alias causas, ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 506; et Ferraris, v° *Coadjutor*, n^is 11-18.

1102. Si causa requirat, invito Coadjutor dari potest (cap. *ex parte* 5, *de clerico ægr.*, et cap. *Pastoralis*, ejusdem tit., in 6°). Praxis tamen S. Sedis est quòd non detur invito, præsertim ubi agitur de Coadjutore *cum futurâ successione* (Bouix, *ib.*, p. 507-508).

1103. Quærit. 3° Quænam sit Coadjutorum potestas?

Resp. 1° Attendendus est tenor Litterarum pontificalium, quibus deputatus fuit Coadjutor : Si remaneat dubium in aliquo puncto :

2° « Videndum est, inquit Schmalzgrueber, an datus sit » dementi, an verò seni et infirmo, sed mentis compoti : » *si primùm*, generalem et liberam potestatem tam in » spiritualibus quàm in temporalibus habet, ita ut etiam » beneficia in diœcesi vacantia conferre et resignationes » illorum possit recipere. » Vide tit. *de clerico ægr.*, n° 26. Et hoc verum est, sive *cum*, sive *absque futurâ successione* Coadjutor datus sit.

1104. *Si secundum*, nempe si detur Coadjutor Episcopo seni aut infirmo, sed mentis compoti, tunc ille Coadjutor etsi datus *cum futurâ successione* et *cum plenâ et liberâ potestate*, non potest solus administrare, invito Coadjuto : quia, inquit Fagnan. (ap. Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 511), « Coadjutus retinet in habitu potestatem et jurisdic» tionem : at frustra retineret, si, causâ suadente, illius » usum non haberet. » Unde, concludit idem Fagnan. cum S. Congr. Conc., Coadjutorem minimè posse se immiscere in exercitio Pontificalium, neque jurisdictionalium quibus defungi potest et vult ipse Episcopus Adjutus, neque ea solus expedire quibus ex *rationabili causâ* idem Adjutus contradicit : tanquam certa hæc disciplina communiter habetur. Vide Ferraris, v° *Coadjutor*, n^is^ 29 et 30; Schmalzgrueber, *ibid.*, n^is^ 27 et 28; secus si irrationabiliter contradiceret Adjutus; sed tunc ordinariè prudenter aget Coadjutor, recurrendo ad Sedem Apostolicam.

1105. Nihilominus nequit Adjutus alteri quàm Coadjutori delegare ea quæ ipse non vult aut non potest facere, et quæ Coadjutor peragere non renuit. Ita communiter. Vide Ferraris qui citat decisionem S. Congregat. Episcoporum (v° *Coadjutor*, n° 60).

Si potestas conferendi beneficia non exprimatur aliquo modo in Litteris Pontificiis, Coadjutor datus Episcopo infirmo et seni, sed mentis compoti, non potest sibi hoc jus arrogare, invito Adjuto; subsistunt tamen collationes ab eo

factæ cum tacitâ Adjuti permissione (ap. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 513).

1106. « Ab alienatione quâlibet de bonis ecclesiasticis » Prælatorum ipsorum vel Ecclesiarum suarum, quomodolibet penitus abstinentes » erunt Coadjutores, ait Bonifacius VIII (cap. *Pastoralis*, *de Clerico ægrot.*, in 6°).

Coadjutor non habet tribunal separatum (Ferraris, v° *Coadjutor*, n° 62).

Non debet dispensare super interstitiis, nisi habeat speciale mandatum; neque votum habet in approbatione ordinandorum (Ferraris, *ib.*, 102).

1107. Quærit. 4° Quænam sint speciales Coadjutoris obligationes?

Resp. 1° Ad residentiam tenetur sicut et ipse Coadjutus (Ferraris, *ib.*, n^is 57 et 63); neque potest discedere absque consensu Coadjuti, vel licentiâ S. Congreg. (Ferraris, *ib.*, n° 57).

2° A Coadjuto requisitus tenetur obire Pontificalia et alias functiones, quamvis Coadjutus propria impedimenta non probet. S. Cong. Ep., 28 maii 1628. Requisitus pariter tenetur Episcopum comitare in diœcesis visitatione, sed expensis Coadjuti (Ferraris, *ib.*, n^is 57-59).

1108. 3° Tenetur rationem reddere Coadjuto (si iste sit sanæ mentis); et hoc quidem sive *cum*, sive *absque futurâ successione* fuerit constitutus; mortuo autem Episcopo, Coadjutor *absque futurâ successione*, tenetur rationem reddere Capitulo; et si Capitulo non redderet, Episcopo successori reddere debebit : nulli autem, defuncto Episcopo, rationem reddere debet Coadjutor *cum futurâ successione*, quia ad ipsum statim jurisdictio devolvitur. Deducitur ex cap. *Pastoralis*, *de clerico ægrot.*, in 6°. Vide ap. Bouix, *De Episcopo*, ib., p. 516.

1109. « Episcopus non potest Coadjutorem punire. » S. Cong. Conc., 18 feb. 1623. » Vide Ferraris, *ib.*, n° 60.

1110. Quærit. 5° Quænam *Congrua* debeatur Coadjutori, et undenam desumenda?

Resp. 1° Congruam determinari à S. Sede; et si Coadjutor eligatur ab Episcopo, vel à Capitulo, quod in certis

casibus fieri potest, ut supra diximus (1100), etiam tunc difficultates quæ oriri possunt circa *congruam*, componendæ sunt à Romano Pontifice.

2° Si redditus beneficii Episcopalis sufficiant ad subveniendum Episcopo simul et Coadjutori, conveniunt DD. ex illis *congruam* Coadjutoris esse depromendam; si verò non sint sufficientes, quis sit præferendus controvertitur; sed tenenda est sententia militans in favorem Coadjuti (Vide Ferraris, *ib.*, n'° 31-35). Tenetur autem Coadjutus, convenientem in suo Palatio habitationem et omnia ad functiones Episcopales necessaria Coadjutori præstare (Ferraris, *ib.*, n° 61).

1111. Quærit. 6° Quænam sint prærogativæ Coadjutoris quoad honorifica?

Resp. 1° Ipsi non licet civitatem ingredi pontificaliter (S. R. C.). Vide Ferraris, *ib.*, n° 43.

2° Archiepiscopi Coadjutor cruce Archiepiscopali in divinis uti non debet (Ferraris, *ib.*, n° 44).

3° Accedendo ad ecclesiam et ab eâ recedendo, induere potest Cappam Pontificalem; sed ipsemet illam deferre debet sub brachio sinistro involutam. S. C. Rit., 6 sept. 1698, ap. Gardellini, n° 3341.

4° Non potest uti mozzettâ super rochetum nisi de Ordinarii licentiâ, sed mantelletto uti debet. S. Congr. Rit., ap. Gardellini, n° 4979.

5° Decet ut Dignitates et Canonici, Episcopo Suffraganeo ad ecclesiam venturo obviam procedant usque ad cubiculum (S. Rit. Congr., 22 aug. 1722, Gardell., 3802); sed ad id non tenentur; satis est ut duo Canonici ei obviam procedant usque ad portam ecclesiæ, et dignior ei aspersorium porrigat, eumque associent usque ad altare vel locum ubi functiones sacras est peracturus. S. C. Rit. 1 sept. 1607, apud Gardell., 207.

6° Non apponendum est septimum candelabrum, quando Episcopales functiones vice Episcopi propriè exercet; nec debet sedere in throno Pontificali, sed in faldistorio : eique assistunt tantùm Diaconus, Subdiaconus et Presbyter assistens. S. C. Rit., ap. Gardellini, 163, 207, 3802. Sed ei

tunc debetur assistentia Canonicorum, prout etiam ei assistere debent Canonici et Dignitates in Ordinationibus, Consecrationibus Ecclesiarum et similibus, nisi legitimè fuerint impediti. Canonici autem assistunt in habitu tantùm canonicali, iis exceptis qui ex necessitate officii induere debent sacra paramenta. S. Cong. Rit., ap. Gardellini, 92, 207, 3802.

7° Coadjutor, si missæ solemni assistat Cappâ indutus, potest confessionem facere cum celebrante, et in fine solemniter benedicere. Ferraris, *ib.*, n^is^ 46-48. Sedet autem in primo stallo chori, nec debent Canonici facere circulos consuetos (S. Cong. Rit., ap. Gardellini, 3802). — Non potest, præsente Coadjuto, benedictionem pontificalem impertiri. Ferraris, *ib.*, n° 58.

8° Coadjutor non debet uti baculo pastorali, nisi in functionibus in quibus, juxta *Pontificale*, eo uti necesse est, prout in Ordinationibus. S. Congr. Rit., ap. Gardellini, 207.

9° Indulgentias 40 dierum concedere non potest, sinè speciali facultate apostolicâ. S. C. Rit., ap. Gardell., 3802. —Si quas per ipsum Coadjutus concedere voluerit, nomine Coadjuti à Coadjutore publicandæ sunt. Ferraris, *ib.*, 52.

10° Non debet memorari Coadjutoris nomen in Canone. S. R. Congr., ap. Gardellini, *ibid.*

11° Coadjutori non licet perficere benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, ac Fontis Baptismalis in Sabbato S., quin missam deindè celebret. S. Congr. Rit., ap. Gardell., 4979.

12° Ipsi non licet pastorales epistolas ad clerum et populum diœcesis dirigere (*ibid.*).

13° De licentiâ Episcopi, potest populo benedicere incedendo per vias. Ferraris, *ib.*, n° 50.

14° Non potest per civitatem uti mantello oblongo coloris violacei cum signis rubeis super vestem nigram interiorem, vulgò *zimarrâ:* neque per eamdem civitatem sibi deferri facere et elevare umbellam sericam viridis coloris. S. Congr. Rit., ap. Gardell., 3341. — De his omnibus vide insuper D. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 517, etc.

1112. Quærit. 7° Quomodo expiret potestas Coadjutoris?

Resp. 1° Coadjutoris *absque futurâ successione* potestatem expirare per mortem, depositionem ac resignationem Coadjuti.

2° Potestatem Coadjutoris *cum futurâ successione* expirare eodem modo, quatenus Coadjutorialem, sed statim mutari in propriam. Vide Ferraris, *ibid.*, n° 26; Bouix, *ibid.*, p. 519.

§ IV.

De Prælatis inferioribus [1].

1113. Prælatus inferior est ille qui non habet quidem caracterem episcopalem, sed est in dignitate quâdam inferiori constitutus, et obtinuit à Sede Apostolicâ quædam jura episcopalia majora aut minora. Ita Cardin. Petra, ap. Bouix, *De Episcopo,* tom. 1, pag. 532.

1114. Triplicis generis sunt Prælati inferiores, *infimi*, *medii*, *supremi*.

Infimi sunt illi qui præsunt quidem certo generi personarum alicui monasterio vel Ecclesiæ addictarum, et à jurisdictione Ordinarii exempti sunt; sed præter eas personas, non habent populum aut clerum sibi subditum; tales sunt multi Superiores Regulares. Vide Bouix, *ibid.*, p. 533, et supra dicta (568).

Medii Prælati habent jurisdictionem in populum et clerum determinati loci, sed non habent territorium separatum.

Supremi verò non tantùm jurisdictionem habent in populum et clerum determinati loci, sed etiam territorium omninò separatum, cum omnimodâ jurisdictione ordinariâ

[1] « Prælati generatim dicuntur illi qui aliis cum honore et jurisdic- » tione... præficiuntur... Prælatura enim est gradus honorificus cum » jurisdictione in subditos... Communis. » Ferraris, v° *Regularis Prælatus*, nis 1 et 2. Juxta theologiam Tolosanam, Prælatus debet habere jurisdictionem ordinariam *in foro externo* (*De Censuris*, pars 1, cap. 1, sect. 2, art. 1, p. 2), imò, juxta Fagnanum, *in foro contentioso.* Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 190.

quasi episcopali, et propriè dicuntur *Prælati nullius*. Vide supradicta (568).

Hæc distinctio nititur variis textibus juris et Concil. Trident. Vide Bouix, *ibid.*, p. 535-542; et auctorem *Prælect. S. Sulpitii*, nº 190.

1115. Poterat olim Episcopus, accedente Capituli consensu, concedere alicui Prælato ipsiusque monasterio aut Ecclesiæ, ut ab ipsius et successorum jurisdictione in perpetuum eximerentur, et sic constituere Prælatos infimæ classis, prout ex variis Decretalibus probat Cardin. Petra, apud Bouix (*ib.*, p. 537); sed deindè sublata fuit Episcopis hæc potestas, et Papæ fuit reservata, ut constat ex cap. *Cùm persona*, cap. *Si Papa, de Privilegiis*, in 6°; et Extrav. *Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alien.*

1116. Ut autem aliquis habeatur ut *Prælatus nullius*, non sufficit ut in indulto sibi à S. Pontifice concesso, exprimatur exemptio ab Episcopi jurisdictione, sed necesse est ut illi Prælato tribuatur jurisdictio in clerum et populum alicujus territorii : nec hoc etiam sufficit, sed ampliùs requiritur ut clarè exprimatur territorium illud avelli et separari : alioquin censetur remanere in diœcesi, et Prælatus non erit *nullius*, sed *mediæ speciei*. Vide Bouix, *ibid.*, p. 538 : certa enim jura servat Episcopus in Prælatos exemptos ac illorum territorium, quando non est separatum.

An et quomodo exemptio acquiri possit per præscriptionem? — Vide discussum ap. Bouix, *ibid.*, p. 540, et supradicta (358).

1117. Quærit. An Prælati inferiores cognoscere possint de causis matrimonialibus?

Respond. 1° Quæstionem hìc moveri non posse de Prælatis infimæ classis, cùm isti non habeant populum determinatum sibi subjectum.

2° Prælati mediæ classis de causis matrimonialibus judicare nequeunt; nam in sess. 24, c. 20 Concil. Trident., dicitur: « *Causæ matrimoniales Episcopi tantùm* examini et
» jurisdictioni relinquantur..., non obstantibus privilegiis
» indultis, concordiis (quæ suos tantùm teneant auctores
» et aliis quibuscumque consuetudinibus. »

Excipiuntur tamen casus in quibus post Concil. Trident. Prælatus, etiam infimæ classis, obtinuisset à S. Sede speciale privilegium de iis causis cognoscendi, vel si adesset immemorabilis consuetudo quòd Prælatus sic ageret: quippe Concilium intelligendum est de privilegiis ante ipsum obtentis, nec excludit consuetudines immemorabiles, quæ semper exprimendæ sunt ut ipsis derogetur.

3° Prælati *nullius* propriè dicti possunt judicare de causis matrimonialibus; habentur enim ut Episcopi, cùm habeant ordinariam jurisdictionem in territorio separato. Ita S. C. Conc., apud. D. Bouix, *ib.*, p. 542, ubi etiam legi possunt resolutiones circa plura alia dubia causas matrimoniales respicientia.

Quæ modò dicta fuerunt de causis matrimonialibus, applicanda pariter sunt causis criminalibus, ex eodem cap. 20, sess. 24, Concil. Trident.

Plures etiam institui possunt quæstiones circa Prælatos, quoad confessionem, prædicationem, ordinationem, visitationem: de iis consule D. Bouix, *ib.*, p. 543, etc. Non autem multùm practicæ sunt illæ quæstiones apud nos, cùm in Galliâ hodiè non existant Prælati *nullius*. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 19.

1118. Præter Prælatos supra enumeratos, sunt in Curiâ Romanâ, seu potiùs in Palatio Apostolico Officiales qui etiam *Prælati* dicuntur, prout Camerarii, sive participantes sive alii: quænam sint illorum privilegia, ignoramus. Auctor *Prælectionum S. Sulpitii* asserit eos nullâ gaudere Dignitate aut præcedentiâ in cæteris Ecclesiis (n° 192). Sed vide dicta supra (818).

ART. V.

DE MINISTRIS JURISDICTIONIS EPISCOPALIS.

1119. Agendum est in hoc articulo 1° de Vicario Generali seu Officiali; 2° de Archidiacono; 3° de Archipresbytero; 4° de Pœnitentiario; 5° de Vicariis Foraneis.

§ I.

De Vicario Generali seu Officiali.

PUNCTUM I.

DE NOTIONE VICARII GENERALIS SEU OFFICIALIS.

1120. Vicarius Generalis ille est qui legitimè deputatur ad exercendam generaliter jurisdictionem Episcopalem vice Episcopi, ita ut actus ejus ab Episcopo gesti censeantur. Ita Bouix, *De Judiciis eccles.*, tom. 1, p. 358.

Dicitur 1° *Qui legitimè deputatur,* sive ab Episcopo sive à S. Sede, aut alio legitimo modo. Vide *Analecta juris pontificii*, 27e livr., col. 906, etc.

Dicitur 2° *Ad exercendam jurisdictionem :* Vicario enim Generali essentialiter non competit ut valeat vices Episcopi agere in exercendâ ordinis Episcopalis potestate, sed solùm ipsius vices in exercendâ jurisdictione. Undè non tantùm non requiritur ut Vicarius Generalis sit caractere Episcopali insignitus, sed etiam sufficit ut sit simplex clericus.

1121. Dicitur 3° *Ad exercendam generaliter ;* nam moraliter saltem universalis, sive quoad causas sive quoad loca, debet esse jurisdictio Vicarii Generalis, cùm repugnet in terminis aliquem esse *generalem* alterius Vicarium, nisi valeat, in aliquo saltem sensu, vices ejus generaliter explere. Sufficit tamen quòd *moraliter* universalis sit ejus jurisdictio; unde plura sive à jure, sive ab homine excipiuntur, vel possunt excipi, ut dicetur infra. Si verò Episcopus v. g., medietatem causarum Diœcesis, sibi reservaret, non ampliùs tunc ejus Vicarius dici posset Generalis, proinde esset tantùm Delegatus. Unde ab illo ad Episcopum, non ad Metropolitanum esset appellandum, cùm in eo casu idem non esset utriusque auditorium (V. Bouix, *De Judiciis ecclesiast.*, p. 370).

1122. Dicitur 4° *Vice Episcopi*, *ita ut*, etc.: Unde de essentiâ Vicariatûs Generalis est, ut actus à Vicario Generali gestos Episcopus faciat suos ; ita ut à sententiâ Vicarii

Generalis ad Episcopum appellari nequeat, juxta cap. 2, titul. 4, lib. 1, in 6°, in quo legitur : « Non putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de facto servatam, » consonam rationi, quòd *ab Officiali Episcopi ad eumdem » Episcopum* valeat appellari : ne ab eodem ad seipsum » (cùm sit idem auditorium utriusque) appellatio interpo- » sita videatur. » Vide Bouix, *De Judiciis*, pars 2, sect. 1, cap. 2, p. 8.

Ex quo sequitur quòd, Episcopo nominatim excommunicato, suspenso aut interdicto, et ut tali denuntiato, suspendatur pariter ipsius Vicarius Generalis, etiam quoad negotia jam incœpta. Idem est dicendum statim ac moritur Episcopus, aut alio modo desinit esse Episcopus.

1123. Quærit. 1° Utrum Vicarius Generalis sit necessariò constituendus tam in temporalibus quàm in spiritualibus?

Nota Vicarium Episcopi *in temporalibus*, seu Œconomum illum esse quem sibi constituit Episcopus ad administranda bona sua temporalia, ea præsertim quæ ad ipsius beneficium seu *mensam* spectant; Vicarium verò *in spiritualibus* esse illum, qui ad exercendam cæteram jurisdictionem ecclesiasticam eligitur. His explicatis :

1124. Resp. 1° Vicarium in temporalibus tantùm, non vocari propriè Vicarium Generalem, ut communiter sentiunt auctores, sed œconomum, nec esse posse Delegatum S. Sedis, nisi aliundè obtinuisset Dignitatem.

Resp. 2° Idem sentit Ferraris (v° *Vicarius Gener.*, art. 2, n° 1), quoad Vicarium in spiritualibus tantùm, citatque plures Doctores pro hâc sententiâ : « Ratio est, inquit, » quia Ecclesia habet *spiritualia* et *temporalia*... Adeoque » debent in formâ Vicariatûs ambo constitui. »

Sunt tamen canonistæ secus opinantes, quorum sententia conformior videtur Concilio Tridentino (sess. 13, cap. 2 et 3, *de ref.*), ubi Vicarii *in spiritualibus* vocantur *Generales;* et dicitur quòd à sententiâ hujusmodi Vicariorum appellari possit ad Metropolitanum. Item in rescriptis S. Sedis, Vicarii in spiritualibus generales nuncupantur : « Dilecto » Episcopo N..., seu dilecto Vicario ejus *in spiritualibus*

» Generali. » V. Bouix, *ib.*, p. 355, etc. Juxta hanc ultimam sententiam non necessariò Vicarius Generalis est constituendus tam *in temporalibus* quàm *in spiritualibus*; sed sufficit quòd sit constitutus solùm *in spiritualibus*, ut valeat legitimè dici Generalis.

1125. Quærit. 2° An a lege vel ab Episcopo Vicarius Generalis accipiat jurisdictionem?

Resp. Quidquid nonnulli dicant, communiùs tanquam certum tenetur Vicarium Generalem, quamvis ab Episcopo ordinariè eligatur, jurisdictionem suam à lege seu à jure accipere: « Ille enim, ait D. Bouix (*ibid.*, p. 360), censen-
» dus est jurisdictionem habere à lege... cujus potestas à
» jure communi, certo et fixo modo, quem Episcopus mutare
» nequit, determinatur; atqui jurisdictio Vicarii Generalis
» à jure, etc...; nam hoc ipso quòd quis constituatur
» Vicarius Generalis, ei competit (velit, nolit Episcopus)
» jurisdictio moraliter saltem *universalis*. Illa verò juris-
» dictio duplici sensu est independenter ab Episcopo de-
» terminata et fixa: 1° quia nisi reservationes expressè
» apponat Episcopus, certò et de jure extenditur ad totam
» diœcesim et ad omnes causas, exceptis nonnullis à lege
» expressis...; 2° quia etsi Episcopus possit... quasdam
» causas et quædam loca excipere, non tamen potest ejus-
» modi exceptiones ita multiplicare... ut jurisdictio Vicarii
» Generalis desinat esse moraliter universalis, etc. »

Præterea jurisdictio Vicarii Generalis est ordinaria, ut mox dicturi sumus: atqui nullus, præter Papam, potest ecclesiasticam jurisdictionem alteri committere exercendam *jure ordinario:* quod extra controversiam est, inquit idem D. Bouix. Ergo non ab Episcopo, sed à jure seu Papâ venit jurisdictio Vicarii Generalis. Vide Leurenium et alios multos sic sentientes, apud D. Bouix, *ibid.*

1126. Quærit. 3° An reverà ordinaria sit jurisdictio Vicarii Generalis? — Vel num potius sit delegata?

Resp. Juxta communem DD. sententiam, ordinaria dici debet jurisdictio Vicarii Generalis; et hoc tanquam certum haberi potest, ob decisiones et praxim Congregationum Romanarum; etenim: 1° ordinaria est Vicarii Generalis

jurisdictio, si una et eadem sit ac ipsiusmet Episcopi, quæ ordinaria indubitanter est. Atqui eamdem esse utriusque jurisdictionem constat ex variis dispositionibus juris canonici, videlicet ex cap. *Romana* 3, lib. 2, tit. 15, in 6°, in quo dicitur non esse ab Officialibus ad Episcopos eorum appellandum, eò quòd *unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum, et ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur;* et ex cap. *Non putamus* superiùs relato (1122).

2° Certum est dari appellationem à delegato ad delegantem, ut patet ex capitulis 27, 28, t. 29, lib. 1 Decretal., et ab omnibus conceditur; porrò non minùs certum est ex jure et praxi non dari appellationem à Vicario Generali ad ipsius Episcopum, *eò quòd idem sit auditorium.* Ergo Vicarius Generalis non est delegatus. Ergo, etc.

3° Ex multis decisionibus S. Congr. Concil. constat matrimonium validè contrahi coram Vicario Generali, vel sacerdote ab ipso delegato, etsi delegationem non dederit Episcopus vel parochus, imò etsi prohibuerint hujusmodi Matrimonium : ita in *Savonensi*, 2 martii 1595; item 22 ap. 1719, in causâ *Colliensi*, 17 aug. 1776. Atqui Concil. Trid. (sess. 24, cap. 1, *de reform. matr.*) irritum declaravit matrimonium, aliter initum *quàm, præsente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentiâ.* Ergo Congregatio Concilii necessariò habet Vicarium generalem esse *Ordinarium*. Ergo, etc. (Vide Bouix, *De Judic.*, p. 366).

1127. Ita etiam et Rota : « In his quæ veniunt sub ge» nerali mandato, Vicarius venit appellatione Ordinarii : » secus autem in his quæ non continentur, quia in illis » est delegatus. » (*Ibid.*)

Circa quod *Analecta jur. pontif.* (27° livr., col. 861), observant non solùm esse ordinariam Vicarii Generalis jurisdictionem, quoad ea quæ ipsi generaliter à jure competunt, sed verisimiliter etiam esse ordinariam quoad ea quæ speciale mandatum requirunt, si insimul cum Vicariatu ei commissa fuerunt; imò, probabile saltem est esse ordinariam, etiamsi ista postea ei committantur, nisi

appareat eam ipsi fuisse commissam per simplicem delegationem; sed, juxta D. Bouix, quando Vicario specialia committuntur extra actum commissionis Vicariatûs Generalis, ea non debent haberi ut pars ordinariæ potestatis ejus, nisi hoc ab Episcopo formaliter exprimatur, quia Vicarius non potest præsumi talia posse facere potestate ordinariâ, nisi de hoc constet (*De Judic.*, t. 1, p. 421).

Contra supradictam responsionem objici posset ordinariam jurisdictionem debere esse perpetuam: atqui jurisdictio Vicarii Generalis non est perpetua, cùm sit ad nutum Episcopi revocabilis. Ergo, etc.

Resp. Negando majorem: ordinaria enim jurisdictio est illa quæ à jure alicui officio annectitur; minimè verò requiritur quòd annectatur modo irrevocabili: sic Legati Papæ jurisdictionem ordinariam habent, non tamen irrevocabilem (804 et 814).

1128. Quærit. 4° An sui Vicarii Generalis Episcopus possit pro arbitrio jurisdictionem restringere?

Resp. Certè quidem id posse quoad plura, ut constat ex variis decisionibus Rotæ (Vide Bouix, *ibid.*, p. 369); imò posset Episcopus nullam Vicario concedere jurisdictionem, seu nullum constituere Vicarium, ut dicemus infra (1154); sed non potest pro arbitrio restringere jurisdictionem Vicarii quem elegit; nec posset facere ut nullum foret matrimonium in præsentiâ illius contractum (Vide supra, 1126, 3°); quia in potestate Episcopi non est constituere impedimenta matrimonium dirimentia. Præterea, per hujusmodi restrictiones, si essent nimiæ, Vicarius posset desinere esse Vicarius Generalis et unum cum ipso constituere auditorium, proinde effici solummodò simplex Delegatus (1121). Ad quod est seriò attendendum, cùm, in hoc casu, à sententiâ talis Vicarii non esset appellandum ad Metropolitam, sed potius ad Episcopum delegantem. Vide Bouix, *ib.*, p. 370.

1129. Ex principio certo quòd Episcopus valeat, quoad plura, restringere jurisdictionem sui Generalis Vicarii, sequitur quòd possit causam pendentem coram illo ad se

revocare, et etiam ei inhibere quòd judicet in certâ causâ. Bouix, *ibid.*, p. 378.

1130. Quærit. 5° Quomodo intelligendum sit principium : *A sententiâ Vicarii Generalis non dari appellationem ad Episcopum?*

Resp. Intelligendum esse absolutè, ita ut 1° valere in contrarium nequeat ulla consuetudo : id constat ex cap. supra relato *Non putamus* (1122); et ratio est, inquit Leurenius: « Quòd consuetudo quæ est contra substantiam rei, » de jure impossibilis atque irrationabilis judicari debet : » ratio verò ac veluti substantia appellationis in eo con- » sistit quòd sit ad alium, eumque majorem judicem » provocatio. Episcopus autem ejusque Vicarius seu Offi- » cialis principalis, unum idemque tribunal habent, ideo- » que repugnat ab hoc ad illum appellare. » (Vide *De Vicar. Episc.*, cap. 2, q. 74.)

2° Nulla esset ejusmodi appellatio etiamsi partes consentirent.

3° Nulla etiam esset in requirentibus speciale mandatum, si ea simul cum potestate ordinariâ commissa sunt (1127).

4° Hæc procedunt tam in appellatione judiciali quàm in extrajudiciali.

1131. Sed non procedunt in causis Vicario ab Episcopo delegatis extra commissionem generalem Vicariatûs; saltem si aliquo modo appareat illas fuisse commissas per simplicem delegationem (1127). Item non procedunt in sententiâ *interlocutoriâ*[1], quia ipsi Episcopi suam propriam sententiam interlocutoriam nondum executioni mandatam possunt emendare. Ergo et sententiam interlocutoriam suorum Vicariorum valent pariter corrigere (Bouix, *ibid.*, p. 373, etc.).

1132. Quærit. 6° An in jure communi nomina Vicarii Generalis et Officialis synonyma sint, et omnino idem officium exprimant ?

Resp. Affirmativè, et hoc constat ex Decretali *Cùm nullus,*

[1] Vide infra quid sit sententia hujusmodi (5948).

t. 9, lib. 1, in 6°, et aliis juris capit., præsertim ex Concil. Trident., sess. 24, cap. 16, *de ref.*, in quo jubetur Capitulum, sede vacante, intra octo dies, Officialem seu Vicarium constituere. Ita communis DD. sententia.

1133. Circa quod notandum est nec illum, qui solam jurisdictionem voluntariam exercere valeret, esse verè in sensu juris Vicarium Generalem, nec eum, qui duntaxat possideret contentiosam jurisdictionem esse pariter propriè dictum Officialem: quia neuter possideret modo generali, saltem moraliter intellecto, jurisdictionem Episcopalem, sed solummodo uterque medietate illius jurisdictionis potiretur. Unde uterque esset merus delegatus, ipsique applicandæ forent dispositiones juris, quæ Delegatum, non verò quæ Vicarium Generalem seu Officialem respiciunt.

1134. Potest tamen Episcopus disponere ut unus è suis Vicariis functiones jurisdictionis voluntariæ impleat, alteri demandando jurisdictionis contentiosæ exercitium, modò uterque, in formulâ deputationis Vicariatûs Generalis seu Officialitatis, expressè vel æquivalenter ad exercendam generaliter jurisdictionem instituatur, et revera possideat hanc generalem jurisdictionem. Ita res se habuerunt olim in Galliâ, et etiam nunc se habent in plerisque saltem Diœcesibus nostris. Vide Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 386.

1135. Notandum est cum Leurenio (*De Vicar. Episc.*, c. 1, q. 17, n° 2) quòd « Ex usu et consuetudine tam Datariæ quàm Cancellariæ Apostolicæ, litteræ Sedis Apostolicæ... si ad regiones ultramontanas puta Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Africam, etc., diriguntur, semper inscribuntur Officiali... v. g., *Dilecto filio Venerabilis fratris nostri Episcopi Monasteriensis Officiali*, etc..; litteræ verò destinatæ ad regiones Cismontanas, v. g., ad Italiam, Hungariam, Dalmatiam, Albaniam, Sclavoniam, Cyprum, Cretam et partes Orientales; item Siciliam, Corsicam, Sardiniam, etc. inscribuntur Vicario Generali : *Dilecto filio Vicario... in spiritualibus Generali.* » Sed hodie, ex decisione S. Off. 20 feb. 1888, omnes litteræ, saltem dispensationum matrimonialium, diriguntur ad *Ordinarium.*

PUNCTUM II.

DE VICARII GENERALIS CONSTITUTIONE.

1136. Officium Vicarii Generalis non videtur exstitisse ante XIII sæculum; ideoque, nec in Decreto Gratiani. nec in Decretalibus Gregorii IX de illo ulla fit mentio ; doctiores tamen prima initia hujus muneris reperiunt in cap. *Inter cætera* 15, *de Officio judic. ord.*, in quo Innocentius III sancivit ut Episcopi *viros idoneos* assumerent non solùm *in prædicationis officio, verùm etiam in... cæteris quæ ad salutem pertinent animarum*, quamvis enim nihil clarè ostendat quòd hi *viri idonei* sint alii quàm *meri Delegati*, successu tamen temporum in veros Vicarios mutari potuerunt, et reverà mutati sunt [1].

In hoc puncto expendendum est 1° quænam ex jure debeant esse Vicarii Generalis qualitates ; 2° à quo sit constituendus ; 3° an Episcopus teneatur sibi assumere Vicarium Generalem, et an possit plures habere ; 4° quâ formâ debeat illum constituere.

I

DE DOTIBUS REQUISITIS IN VICARIO GENERALI.

1137. 1° Requiritur ut sit clericus (cap. *Decernimus* 2, *de Judiciis*). Posset tamen laicus esse Vicarius Generalis, sed solùm ex dispensatione Papæ.

2° Ut inchoaverit 25 annum (Ex cap. *Licet*, *et cùm in cunctis*, *de Elect.;* et ex Concil. Trident., sess. 24, cap. 12); à lege autem organicâ apud nos videtur requiri quòd sit ætatis 30 annorum, et natione Gallus, art. 16 et 21.

3° Ut ortus sit ex legitimo matrimonio nisi dispensatus sit à S. Pontifice : in quo notandum est quòd dispen-

[1] « C'est le Pape Boniface VIII qui a tracé les derniers caractères du » Vicariat Général, d'abord en lui conférant le nom qu'il a toujours » gardé depuis, et ensuite en introduisant la distinction du mandat » général et spécial, dont il ne se trouve pas de trace avant lui. » *Analecta jur. pont.*, 27e livr., col. 885.

satio obtenta pro adipiscendis majoribus ordinibus, imò beneficiis etiam curatis, non sit in præsenti casu sufficiens; sed requiritur, juxta Leurenium, dispensatio pro assequendis Dignitatibus curam animarum habentibus. Vide Bouix, *De Judiciis*, p. 390.

4° Non omninò constat requiri quòd Vicarius generalis sit Doctor in aliquâ facultate. Vide Bouix, *ib.*; Ferraris, v° *Vicarius generalis*, art. 4, n° 1; *Analecta jur. pontificii*, 27e livr., col 865.

1138. 5° In explendo verò suo munere, « Vicarius, inquit » Monacelli (apud D. Bouix, *ibid.*, p. 399) debet esse » fidelis, scilicet in exsequendo, in referendo, in secreto te- » nendo, in consilio dando, in jura tuendo et in adminis- » trando justitiam, probus..., aliàs in gubernio nihil pro » ficiet sed potiùs clerum et plebem inficiet, debet esse » scientiâ et experientiâ idoneus, quia imperitus non po- » test esse judex ecclesiasticus, ut dicit Glossa. »

1139. Quærit. 1° Utrum regularis possit eligi in Vicarium Generalem?

Resp. Certè non posse absque licentiâ sui Superioris; nam « prohibet S. Synodus (Trident.) ne quis regularis » sinè sui Superioris licentiâ, prædicationis, vel lectionis, » aut cujusvis pii operis prætextu subjiciat se obsequio » alicujus Prælati etc... Nec licet regularibus à suis con- » ventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos » accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. » (Sess. 25, cap. 4, *de regular.*)

1140. Requiriturne insuper licentia S. Sedis? — Hanc requiri pro certis religiosis mendicantibus, convenire videntur DD., innixi Clementinâ *Exivi*, *de verborum significat.* Disputatur verò an generaliter requiratur hujusmodi licentia, pro eligendis in Vicarios Generales regularibus quibuscumque; D. Bouix (*ib.*, p. 393) sententiam negantem amplectitur, eò quòd Declarationes Sacr. Congregationum, quæ allegantur in favorem sententiæ affirmantis, non sint generales, sed respiciant solummodo casus particulares. *Analecta* verò *jur. pontif.* (ib., col. 867, etc.) dicunt licentiam S. Sedis semper esse necessariam, eò quòd *nullus*

regularis valeat, sinè hujusmodi licentiâ, extra claustra degere, prout constat Decreto Clementis VIII, *Nullus omnino*, etc., in quo dicitur, art. 32 : « Ineatur ratio quâ, sublatis » licentiis ac facultatibus hactenus... concessis, degentes » extra conventûs claustra, ad ea quamprimùm revocentur; » nec de cætero, nisi ex gravissimâ causâ *à S. Sede pro-* » *bandâ*, hujusmodi facultates concedi possint » : quæ ratio satis convincens videtur, et aliunde suam sententiam retractavit D. Bouix, tract. *De Episcopo*, tom. 1, pag. VII.

1141. Quærit. 2° An Episcopus, Parochus, Superior Seminarii, Pœnitentiarius, frater aut nepos Episcopi possint eligi in Vicarios Generales?

Resp. 1° Episcopum actu non habentem propriam diœcesim quam administrare debeat, posse certè esse Vicarium Generalem alterius Episcopi tam in pontificalibus quàm aliis spiritualibus. Si verò Episcopus actu haberet propriam diœcesim quam teneretur administrare, difficillimè conciperetur quomodo, saltem permanenter, posset esse Vicarius Generalis alterius Episcopi. Ita Leuren., apud Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 395.

1142. — 2° Quoad parochum : sic legitur in tomo 23 Thesauri resolutionum S. Congr. Conc., p. 5 : « Quòd Vicarius » Generalis Episcopi nequeat simul esse parochus, præ- » sertim si parochia extra Civitatem sit, canonistæ non » contemnendi affirmant (Barbosa, in *Summâ collect. decis.*, » v° *Vicarius*). Id pluries decrevit S. Congr. Episc..; id ipsum » statuit Sacra hæc Congreg. (in *Nullius*, die 12 maii 1629).» Ex his concludit D. Bouix electionem parochi in Vicarium Generalem esse illicitam, non tamen credit esse invalidam (*ibid.*, p. 394).

1143.—3° Juxta Declarat. S. Congr. Episcop. et Regul. ab *Analectis juris pontificii* relatam (*ibid.*, col. 920), non licet Episcopo eligere in Vicarium Generalem Seminarii Superiorem. Quia tamen illa declaratio nititur imprimis prohibitione à Bened. XIII factâ Episcopis, utendi pro suo servitio (casu excepto quo Pontificalia exerceat) Officialibus à Seminario salariatis vel sustentatis, prædicta declaratio non videtur esse Galliæ applicanda, in quâ Vicarii

Generales salarium, non ab Episcopis, sed à Gubernio recipiunt. Remanet tamen difficultas quòd eadem persona non possit duo tam incompatibilia officia ritè implere; undè, ordinariè saltem, expedire non videtur quòd in Vicarium Generalem eligatur Seminarii Superior.

1144.—4° Pœnitentiarius non potest esse Vicarius Generalis, nisi ei substituatur aliquis pro implendo officio Pœnitentiarii, quandiù munus Vicarii exercebit, ne sit locus suspicandi quòd in suâ administratione utatur notitiis per confessionem acquisitis. Ita S. Congreg. Episc. et Regular., apud *Analecta*, ibid., col. 906. Posset tamen confessiones excipere, si tantæ esset opinionis apud omnes ut prorsus excluderetur hujusmodi suspicio. Vide *De Capitulis*, p. 126.

1145.— 5° Vicarius Generalis esse nequit nepos seu filius fratris Episcopi (S. C. Episcop., 19 sept. 1577), nec frater, præsertim si non est doctor (S. Congr. Episc. in *Comensi*, 2 decembr. 1578). Ita Ferraris, v° *Vicarius Generalis*, art. 1, n° 29. His tamen et aliis non obstantibus, non putat D. Bouix constare illegitimam esse generatim electionem fratris aut alterius consanguinei in Vicarium Generalem... quia non constat de authenticitate, aut de sensu præfatarum Declarationum (*De Judiciis*, t. 1, p. 396).

1146. Quærit. 3° An diœcesanus possit eligi in Vicarium generalem?

Resp. Plures declarationes S. Congr. Episcop. decernunt *originarium Civitatis vel diœcesis* non posse esse Vicarium, quia propter *consanguinitates*, *affinitates*, *familiaritates et alias attinentias*, *posset deviare à recto tramite justitiæ, vel certè se reddere partibus suspectum.* Ita in *Hostunensi*, 28 jul. 1587.

« Solet tamen, inquit Pignatellus (tom. 9, consult. 162),
» Sacra Congregatio dispensare, ut Episcopus, præsertim
» residens, tenere possit Vicarium diœcesanum, idque
» multis de causis, (inter quas) propter notitiam bonarum
» qualitatum talis Vicarii diœcesani. »

Nihilominus, inquit D. Bouix (*De Judic.*, tom. 1,

p. 398) : « de jure communi non licet Episcopo in Vicarium Generalem eligere diœcesanum, absque Pontificis dispensatione. » Idem tenent *Analecta Juris Pontificii* (27e livre, col. 900, etc.) : « Par invariable maxime de la Congrég. des Evêques et Régul., inquiunt, il faut que le Vicaire Général soit étranger, et n'ait pas de bénéfice résidentiel dans le diocèse. » Citantque multas ejusdem Congregationis decisiones (*ibid*). Sed vide quæ eadem (sept. 1855, col. 1685) dicunt de Concilio Romano 1725.

1147. Observandum est hoc jus commune, nisi fortè, inquit Bouix (*ibid.*), alicubi contrariâ et legitimè præscriptâ consuetudine abrogatum fuisset, prout videtur contigisse, si non in omnibus, saltem in quibusdam Galliæ partibus. Putat autem idem auctor (*ibid.*) præfatam conditionem ad *liceitatem tantùm requiri, cùm non probetur ipsam sub pœnâ nullitatis exigi.*

II

A QUO CONSTITUENDUS SIT VICARIUS GENERALIS.

1148. Quilibet Episcopus in suâ Diœcesi potest Vicarium Generalem constituere, ut constat ex titulo *de Officio Vicarii* in 6°, praxi Roman. Congreg. et unanimi DD. consensu.

Olim ad constituendum Vicarium Generalem, Episcopi debebant Capituli consensum obtinere; sed hodiè illud peragere valent absque dicto consensu, imò et consilio ejusdem; et hæc sententia « communis est, inquit Ferraris (v° *Vicarius General.*, art. 1, n° 3), sic approbante praxi et consuetudine universali, quæ in talibus est servanda (cap. *Ea noscitur*, *de his quæ fiunt*). »

1149. Administrator Diœcesis viduæ, potest sibi constituere Vicarium Generalem, quia succedit in ordinariam jurisdictionem Episcopi, et æquiparatur quoad potestatem Capitulo, Sede vacante. Ita Pirrhing, ap. Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 402.

Quoad Administratorem diœcesis quæ vivum habet Episcopum, quæstio est dubia, juxta Leurenium : sed videtur etiam id posse, quia gerit potestatem ordinariam Episcopi, qui id potest (ap. Bouix, *ib.*).

1150. In quæstionem venire nequit quòd S. Sedes possit Vicarium Generalem Episcopo constituere; et revera sunt plures casus in quibus id peragere solet, nempe casus in quibus Episcopus non valet solus suam diœcesim administrare, et tamen Vicarium negligit sibi associare : « Tunc, » inquit Ferraris, mittitur illi ab Urbe, vel aliunde, Vicarius, » vel cum Brevi Apostolico, vel cum Litteris S. Congregat., » vel cum patente Episcopi qui fuit ad hoc compulsus... » Talis Vicarius, missus ab Urbe, supradictis modis, est » Vicarius Apostolicus, et jurisdictionem habet privativè » quoad Episcopum, nec Episcopus illum removere potest. » S. Congr. Episc., 2 apr. 1591. » Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 402, et *De Curiâ Romanâ*, p. 669. Vide etiam *Analecta Jur. Pontif.*, 27° livr., col. 906.

« Voulant ménager la réputation d'un Évêque, inquiunt » *Analecta* (ib., p. 907), la S. Congrégation a coutume de » se faire envoyer une patente de Vicaire Général en blanc., » afin que le Vicaire... soit simplement Épiscopal et non » Apostolique; car il y a une grande différence entre l'un » et l'autre, surtout pour la durée des pouvoirs... — Les » facultés du Vicaire Apostolique n'expirent qu'à la prise » de possession de l'Évêque successeur : ce doute est dé» cidé par une lettre de la S. Congrég. des Évêques et » Régul., du 17 août 1757. » (*Ibid.*, col. 911 et 912.) Dùm facultates Vicarii Generalis, etiam à S. Sede confirmati, expirant per mortem sui Episcopi, ex eâdem litterâ (*ibid.*, col. 912[1]) « La confirmation du Grand-Vicaire par le Saint» Siége a pour effet d'empêcher que le Vicaire Général » ne puisse être renvoyé sans l'agrément du Saint-Siége. » (*Ibid.*, col. 909.)

1151. Circa facultates Vicario Apostolico concessas, vide D. Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 670-676. « Vicario Apos» tolico, inquit Ferraris (v° *Vicarius Apostolicus*, n[is] 29, 53), » in omnibus ecclesiis et ecclesiasticis functionibus, de» bentur tantùm illæ prærogativæ quibus gaudent Vicarii » Generales Episcopi...

[1] Contrarium tamen asserit Ferraris, v° *Vicarius Capitul.*, n° 22 juxta Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 672.

» Debet habere in choro, si non sit canonicus, præce-
» dentiam supra omnes, et ideo sedere debet in digniori
» sede, non tamen in Solio Episcopali. S. Congreg. Episc.,
» 22 jan. 1596. »

1152. Quidam DD., inter quos Leurenius à D. Bouix relatus (*De Judic.*, t. 1, p. 404), opinati sunt quòd Metropolitanus, in casu quo suus Suffraganeus negligeret sibi constituere Vicarium quo tamen indigeret, possit et debeat præfigere illi terminum, quo elapso, si Episcopus non constituat Vicarium, ipsemet Metropolitanus constituet, vel Episcopum ad eumdem constituendum cogere poterit; sed nullo solido fundamento nititur illa sententia, inquit D. Boüix (*ibid.*, p. 405); unde in prædicto casu negligentiæ, fieri debet tantùm, sive per Archiepiscopum sive per alios, relatio ad Sedem Apostolicam, quæ hujusmodi occurentiæ providebit, et poterit, si placeat, committere Metropolitano curam eligendi Vicarium Suffraganei, prout aliquando fecit, ut videre est apud *Analecta*, ibid., p. 913.

1153. Quærit. An Episcopus Vicarium Generalem possit constituere ante adeptam possessionem, vel ante consecrationem?

Resp. Potest quidem Episcopus constituere sibi Vicarium ante suam consecrationem, modò jam suæ Sedis possessionem legitimè adeptus fuerit; sed id nequit ante hanc possessionem, quantumvis sit legitimè promotus et Bullas institutionis receperit. Est communis et omninò certa sententia ex supra dictis (384-385), ubi probavimus, ex Decret. *Injunctæ* Bonifac. VIII, nec ipsum Episcopum posse validè jurisdictionem exercere ante captam suæ Diœcesis possessionem (Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 403).

III

AN EPISCOPUS TENEATUR SIBI ASSUMERE VICARIUM GENERALEM, ET AN PLURES POSSIT HABERE.

1154. Quoad primam quæstionem non concordant DD.: « Alii enim (inquit D. Bouix, *De Judiciis*, p. 406), sentium

non teneri Episcopum, absolutè loquendo, sibi Vicarium
» Generalem constituere. Alii volunt eum ad id teneri, etiam
» extra casum necessitatis; alii tandem distinguunt inter
» casum quo Episcopus commodè potest per seipsum
» omnia Diœceseos negotia expedire, et casum quo id ne-
» quit...; et in posteriori hypothesi, debere ab Episcopo
» constitui Vicarium Generalem, non autem in priori,
» sustinent.. Rota... primæ sententiæ constanter adhæsit. »
Hanc etiam complectitur ipse Bouix, statuendo : « Simpli-
» citer non teneri in ullo casu Episcopum, *qui* in *diœcesi*
» *suâ residet,* Vicarium Generalem constituere, nisi hoc ei
» injunxerit Pontificia auctoritas. » Varii enim juris textus qui in contrarium afferuntur, ad rem non pertinent, vel generalem non ingerunt obligationem; capitulum verò *Inter cœtera* 15, *de Officio judic. ordinar.* extractum à Concil. Lateranensi IV, intelligi potest de simplici *Delegato*, nec proindè probat obligationem Episcopis impositam eligendi Vicarium Generalem.

1155. Dictum fuit *qui in diœcesi residet;* aliter enim esset pronuntiandum de Episcopo non residente : tunc enim Vicarius Generalis esset necessariò constituendus, ob unitatem regiminis, et etiam quia tunc posset appellari de sententiâ merè Delegati ad Episcopum, qui utpotè absens, nequiret hujusmodi appellationes expedire. Vide Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 409.

1156. Quoad alteram quæstionem, utrum nempè Episcopus plures Vicarios Generales possit habere : dicendum est : 1° certum esse quòd in unâ diœcesi quantumvis amplâ, unicum Episcopus possit habere Vicarium Generalem : quippe ex modò dictis, etiam nullum tenetur habere; excipiendus est casus quo in diœcesi exstarent diversæ linguæ diversique ritûs populi; tunc enim pro istis populis debet Episcopus constituere Vicarium Generalem qui sit etiam Episcopus (Cap. 14, tit. 31, lib. 1 Decret.). Vide supra dicta (878-879).

1157. Dicendum 2° non concordare DD. circa quæstionem, an Episcopus possit plures habere Vicarios Generales : non pauci affirmant; negant verò alii; sententiæ affirmanti

adhæret D. Bouix, qui asserit tamen nullas invenisse decisiones quæ dubium sufficienter dirimerent. Sic etiam sentit Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 13. Item Devoti, titul. 3, sect. 9, n° 78. Hanc tandem sententiam suam fecit Cardin. Cagiano S. C. Concilii Præfectus, in suâ responsione ad Archiepiscopum Remensem, 14 julii 1858. Vide infra (1227). Attamen *Analecta* decisionem S. Congr. Episcop. et Regul., 6 sept. 1748, referunt, in quâ clarè enuntiatur Episcopum, sinè expresso S. Sedis indulto, non posse in eâdem diœcesi duos deputare Vicarios Generales (*ibid.*, ut supra, col. 872). Sed hæc dicuntur in decisione pro casu particulari, nec proindè decisiva videntur pro generalitate casuum.

Quidquid sit de iis, etiam DD. qui nolunt esse licitam pluralitatem Vicariorum Generalium, excipiunt casum in quo adesset alicubi consuetudo hoc permittens. Ita Ferraris, in probationem afferens duas Decisiones S. C. Episcop. 24 mart. 1599 et 21 febr. 1614 (v° *Vicarius General.*, art. 1, n° 10); itemque casum in quo Episcopus haberet duas diœceses unitas. Conveniunt verò omnes, juxta Monacellum, ap. Bouix (*ibid.*, p. 410.), quòd Episcopus non possit habere Vicarios vel tribunalia juxta numerum ditionum temporalium ad quas diœcesis se extendit.

1158. Quamvis Episcopus possit plures habere Vicarios Generales, si diœcesibus principaliter unitis præponatur, ad hoc tamen non tenetur, ut patet ex dictis supra (1155). Meritò excipit Monacelli casum in quo una diœcesis notabiliter ab alterâ distaret; tunc enim ex resp. S. Congr. Conc. 2 oct. 1706, tenetur Episcopus habere Vicarium Generalem in Diœcesi in quâ non residet.

IV

QUA FORMA INSTITUENDUS SIT VICARIUS GENERALIS.

1159. « Debet in scriptis constitui et deputari: non quia
» sit necessaria scriptura, sed ad probationem, in casu quo
» a partibus ejus auctoritas super aliquo, speciali de jure
» Episcopo reservato, negaretur, vel aliàs in dubium re-

» vocaretur... Tutior ergo via est, quòd Vicarius, in principio sui officii coram Capitulo Cathedralis, per Cancellarium litteras suæ deputationis publicare faciat, et deinde penes acta Cancellariæ per extensum registrari curet. » Monacelli, apud Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 412.

PUNCTUM III.

DE VICARII GENERALIS POTESTATE.

1160. Generali regulâ admittendum est posse Vicarium Generalem quidquid potest Episcopus, exceptis iis quæ excepta jus voluit, vel quæ sibi Episcopus expressè vel implicitè reservavit (quia nempe ita gravia sunt ut non sit censendus voluisse ea in generali mandato comprehendere, juxta regulam juris 81, in 6°). Etenim, ut supra diximus (1122-1126), eadem est jurisdictio Vicarii Generalis, idemque ipsius auditorium et tribunal ac Episcopi. Ergo idem potest ac Episcopus, nisi aliter expressè statuerit jus, vel nisi Episcopus aliquid sibi reservaverit. Ita communiter. Vide Leuren., apud D. Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 414.

1161. Non eamdem autem potestatem habet Vicarius Generalis ac Capitulum aut Vicarius Capitularis, Sede vacante : nam multa potest Capitulum aut ipsius Vicarius, quæ nequit Vicarius Generalis absque speciali mandato.

1162. Quærit. 1° Quænam jus canonicum noluit posse exerceri à Vicario Generali, absque speciali Episcopi mandato?

Resp. Hæc enumerari à Bened. XIV (*De Syn. Diœcesanâ*, lib. 2, cap. 8, n° 2): « 1° Quæ spectant ad potestatem ordinis, puta chrisma conficere, sacramentum Confirmationis conferre, ecclesias et altaria consecrare, aut pollutis sanctitatem pristinam restituere. Hæc quippe aliaque hujus generis, Vicarius Generalis, etsi Episcopali ordine sit insignitus, peragere non potest sinè peculiari Episcopi diœcesani consensu, cùm non istis, sed in jurisdictionis duntaxat exercitio, illius gerat vices... Nec ea peragendi potest alteri Episcopo facultatem impertiri...

» 2° Concedere litteras dimissorias ad ordines, extra
» casum quo Episcopus in remotis regionibus versetur.
» 3° In materiâ beneficiali, ea quæ sunt meræ liberalitatis
» et gratiæ, vel speciem habent alienationis; ac proindè;
» sinè speciali mandato, non potest beneficia conferre...,
» quia collatio beneficii... donationem quamdam... sapit...
» Non potest beneficia supprimere aut simul unire, vel
» factas uniones revocare: nam hæc omnia speciem refe-
» runt alienationis... Neque beneficiorum resignationes,
» tam simpliciter quàm ex causâ permutationis factas,
» admittere; quoniam eorum admissio requirit potestatem
» destituendi.., Vicario Generali, sinè speciali mandato,
» non competentem... An autem Vicarius Generalis...
» possit præsentatos à patronis instituere et electos con-
» firmare, lis est inter doctores; sed magis recepta videtur
» opinio quæ Vicario, solius generalis mandati virtute,
» facultatem (hanc) inesse affirmat: institutio et confir-
» matio non liberalitatis et gratiæ, sed necessitatis et jus-
» titiæ sunt actus. » Sic pariter Fagnanus, apud D. Bouix (*De Judic.*, tom. 1, ap. 439), putat Vicarium Generalem posse absque speciali mandato parochiam conferre electo in concursu, tanquam magis idoneo, quia sic electus jus acquisitum habet: contrarium tamen alii tenent cum Rotâ.

« ... Melioris notæ DD. sentiunt Vicarium Generalem
» sinè speciali mandato, diœcesanam Synodum indicere
» et celebrare non posse. »

His Bened. XIV sequentia addenda sunt:

Vicarius Generalis, absque speciali mandato, nequit de causis criminalibus cognoscere, nec consequenter aliquem ab ordine, officio aut beneficio deponere (Cap. *Licet*, *de Officii Vicarii*, in 6°), neque excorporationem seu *Exeat* clerico concedere. Ita Fagnan., ex cap. *Significasti, de Officio Archidiaconi*, n^is 2 et 3, apud Lequeux, n° 236.

Item absque eodem mandato non potest Constitutiones synodales mutare, neque visitationem diœcesis facere, neque parochias aut alia beneficia erigere, neque imponere pensionem super beneficiis in casibus Episcopo permissis, neque ecclesias dirutas in alias viciniores ecclesias transferre,

neque mutare statum alicujus ecclesiæ in casibus quibus id valet Episcopus; neque alienare res Ecclesiæ, aut transactionem facere, neque indulgentias concedere, neque interdicta relaxare, neque alium Vicarium sibi substituere, nisi ex legitimâ causâ et ad modicum tempus, etiam, saltem probabiliter, cum speciali facultate; neque absolvere à casibus Episcopo reservatis, neque dispensare in irregularitatibus, et absolvere à suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ac ab aliis casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, quamvis id possit Episcopus in vim Concilii Trident. (sess. 24, cap. 6, *de ref.*), neque absolvere ab excommunicatione canonis, *Si quis suadente*, in casibus quibus id potest Episcopus (solent tamen Episcopi in Galliâ plura ex his concedere suis Vicariis); neque cognoscere de crimine hæreseos, neque consentire ut clerici litigent in alio tribunali quàm suo, vel ut Metropolitanus cognoscat de negotio principali, omisso casu appellationis (Leuren., ap. Bouix, *De Judiciis*, ib., p. 435), neque explorare voluntatem puellæ habitum religionis suscipientis vel professionem emittentis, nisi Episcopus sit absens aut legitimè impeditus; neque auctorare exemplum ex originali sumptum, neque condemnatum absolvere seu ei gratiam facere, neque exequi pias defunctorum voluntates, neque generatim ea explere quæ Episcopo competunt, non de jure communi, sed duntaxat de jure speciali. Vide quædam alia minus practica, in Galliâ saltem, ap. Ferraris, v° *Vicarius Generalis*, art. 2, n^is 19-83; et Bouix, *ibid.*, p. 416, etc.

1163. Supra enumerata exigunt, ut jam diximus, speciale mandatum : porrò sequentes formulæ non habendæ essent ut sufficienter continentes tale mandatum : *Concedimus plenam et liberam facultatem agendi omnia quæ ipse Episcopus agere potest;* vel : *Concedimus facultatem etiam ad omnia quæ speciale mandatum requirunt*, nisi simul aliqua ex istis specialibus exprimantur : quippe in talibus formulis nihil *speciale* realiter exprimitur.

1164. « Ad dignoscendum autem pro quibusnam causis » habeat, vel non, speciale mandatum, debet diligenter ins- » pici.... instrumentum commissionis (Vicariatûs)... : si

» Episcopus... concessit vel expressit aliquos casus spe-
» ciale mandatum requirentes, adjectâ post modum in for-
» mulâ : *ac omnia et singula faciendi et omittendi*, *etiamsi*
» *majora fuerint*, *et quæ mandatum exigant speciale*.., po-
» terit Vicarius etiam alia facere quæ requirunt speciale
» mandatum, dummodo non sint graviora vel majora
» expressis.» Ferraris, v° *Vicarius Generalis*, art. 2, n° 84.

Si post præfatam formulam (*ac omnia*, etc.) Episcopus aliquem casum excipiat mandatum speciale requirentem, controvertitur inter DD. utrum in cætera specialia Vicarius jurisdictionem habeat (Leuren., *De Vicario*, cap. 3, q. 101).

« Ex dictis, inquit D. Bouix (*ibid.*, p. 420), prudentis
» erit Episcopi in conficiendo Vicariatûs Generalis instru-
» mento, primò exprimere aliqua majoris momenti spe-
» cialia : secundò addere clausulam et *alia omnia*, *etiam*
» *speciale*, etc. : tertiò expressè dein excipere ea specialia
» quæ excepta voluerit. »

1165. *Nota* cum Monacelli apud *Analecta juris pontif.* (27° liv., col. 863), quòd « Generaliter loquendo, Episco-
» pus, etiam ea quæ... ut specialis Delegatus Apostolicus
» agere potest, suo Vicario Generali valet committere et
» subdelegare, ex vulgari regulâ quòd Delegatus Princi-
» pis potest subdelegare, nisi in rescripto delegationis
» aliter expressum reperiatur, aut ex tenore et vi verbo-
» rum designata et electa censeatur industria personæ
» Episcopi (Cap. ult., § *His autem*, *de Officio Vicarii*).» Quandonam verò censeatur electa personæ Episcopi industria, vide supra dicta (308). V. infra app. XI.

1166. Quærit. 2° Quænam Vicarius Generalis explere nequeat etiam cum speciali mandato Episcopi?

Resp. Sequentia enumerari : 1° Nequit Episcopus Vicario suo conferre potestatem absolvendi ab hæresi *exteriùs prolatâ*, *quæ non sit deducta ad tribunal Episcopi* (Concil. Trident., sess. 24, cap. 6; Bulla *Cœnæ*, apud Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 4 et 5; S. Liguor., lib. 7, n^is 82 et 83).

« S. Pius V, Gregorius XIII et Clemens VIII eâ de re

» interrogati, indubitanter responderunt nulli præter Pa-
» pam integrum esse quemquam absolvere ab hæresi occul-
» tissimâ, nisi tamen esset interna; quòd aliunde infertur
» ex expressis S. Congregat. Roman. declarationibus »
(Bened. XIV, *De Syn.*, ibid.). Ita etiam Concilium Remense anni 1857, p. 35.

1167. Diximus 1° *Ab hæresi exteriùs prolatâ :* secus si hæresis esset merè interna, vel si peccatum contra fidem esset merè externum, id est, si hæresis non esset etiam interna, quia non esset hæresis. Item S. Sedi hæresis non reservatur, si propter ignorantiam censuræ excommunicatio non fuerit incursa : quia reservatio à S. Sede fit propter censuram.

1168. Diximus 2° *Quæ non sit deducta ad tribunal Episcopi :* nam, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, cap. 4, n° 3) :
« Tam Inquisitor quàm Episcopus potest resipiscentem
» hæreticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad
» suum forum quoquo modo deductum, Ecclesiæ recon-
» ciliare, et pro utroque foro absolvere à censurâ in quam
» propter hæresim incidit... Quinimò uterque potest pœ-
» nitentem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, ad
» simplicem confessarium remittere, ut ab eo absolvatur;
» eamque absolutionem, licet à confessario datam in foro
» sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, à cujus
» jurisdictione promanat, rectè observat... Delbene. » Vide etiam S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 38, et infra dicenda (6119).

Unde Protestantes qui vellent suam hæresim ejurare, possent absolvi ab Episcopo aut ab ipsius Delegato, quia eo ipso quòd petant se in gremium Ecclesiæ catholicæ recipi, eorum hæresis est deducta *ad forum externum Episcopi.*

1169. Cæterùm etiamsi hæresis esset *notoria*, tamen adhuc reservata esset S. Pontifici, si non esset deducta ad forum externum Episcopi. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 222, 223, etc.

In casu impedimenti adeundi Papam, hæreticus, juxta sententiam communem, ab Episcopo potest absolvi, qui

tunc jure communi eamdem facultatem potest tribuere suo Vicario, etiam generaliter. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 90.

1170. 2° Nequit Episcopus Vicario suo, episcopali caractere non insignito, ea committere quæ sunt ordinis Episcopalis, nec hoc potest etiam cum licentiâ Papæ, si ea sint jure divino ordinis Episcopalis; si verò talia sint tantùm jure ecclesiastico, prout benedicere Abbates, consecrare moniales, concedere velum, benedictiones facere in quibus adhibetur sacrum oleum, possunt committi tunc Vicario non Episcopo, cum facultate tamen Pontificiâ.

1171. Plures, inter quos Monacelli (ap. *Analecta*, 27° liv., col. 864), eamdem facultatem Pontificiam requirunt pro sacrorum paramentorum benedictione, et afferunt in probationem plures S. Congreg. Rituum declarationes : interrogata enim hæc Congregatio « An Episcopus, utendo ordi- » nariâ facultate, possit aliis in dignitate constitutis delegare » potestatem benedicendi sacra indumenta et alia, in qui- » bus, juxta Rituale Romanum, sacrum chrisma non ad- » hibetur, seu potiùs hanc delegationem etiam ad campana- » rum benedictionem ampliare valeat, » respondit... « *Non* » *posse...* » Vide *Analecta juris pontif.*, 16° livr., col. 2450, quæ datam hujus declarationis non indicant.

Aliam decisionem affert S. Liguor., 14 nov. 1615, qui tamen citat plures auctores secus sentientes; sed eorum sententiæ non acquescit, quia, inquit (l. 6, n° 378, dubit. 4): « Nullibi audierim Episcopos hujusmodi facultatem aliis » delegasse. » Certum est nihilominus hanc facultatem communiter delegari apud nos in Galliâ, absque Pontificio indulto; et non benè videtur cur hæc consuetudo, quæ immemorabilis videtur, aut saltem reviviscit à tempore Concordati 1801, non possit dici legitima, eò magis quòd, nonnisi cum maximâ difficultate, linteamina et paramenta sacra, in vastissimis nostris diœcesibus, possint sæpe ad Episcopum transmitti ut ab ipso benedicantur; et verò si ex ipso Rituali Romano, simplices presbyteri valeant ex commissione Episcopi, etiam ecclesias benedicere, cur impossibile esset, consuetudine hoc permittente, quòd ex eâdem commissione Episcopi valerent etiam benedicere

linteamina et paramenta sacra? Sed vide infra (1170-1171). Concessisse præfatam facultatem delegandi omnibus Episcopis nobis asseruit S. Pontifex Pius IX, in audientiâ datâ præsentibus Archiepisc. Aquensi et pluribus sacerdotibus ex ejus clero, anno 1862.—D. André (*Cours de droit canonique*, v° *Vicaire général*, p. 331) affirmat Episcopum posse et de facto in Galliâ concedere Vicariis suis Generalibus facultatem *campanas* ipsas benedicendi: huic obstare videtur non solùm decisio supra relata, sed quod etiam in eâ benedictione adhibeatur S. Chrisma et oleum infirmorum.

1172. — 3° Vicarius Generalis qui aliunde non esset Prima Dignitas Capituli, non potest, absente Episcopo, exercere functiones episcopales, v. g. missas celebrare diebus solemnioribus, deferre SS. Sacramentum vel sacras reliquias in processionibus, etc., etiamsi specialem ab Episcopo accepisset facultatem, quia de jure communi (quod Episcopus nequit immutare), hæc pertinent ad Primam Capituli Dignitatem et ad alios Capitulares. Vide Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 423.

1173. — 4° Cùm nec Episcopus possit consentire quòd clerici litigent coram judice laico, nec etiam à fortiori potest Vicarius Generalis (Leuren., ap. Bouix, *ib.*, p. 435).

1174. Quærit. 3° Quænam sint quæ scitu magis utiles sunt, ex materiis ad quæ, sinè speciali Episcopi mandato, sese extendit ordinaria Vicarii Generalis jurisdictio.

Resp. esse sequentes : 1° Jus habet Vicarius Generalis concurrendi in administratione sacramentorum et prædicatione cumulativè cum omnibus curatis diœcesis.

2° Absente Episcopo per diem itineris, potest dispensare in interstitiis ordinum, et litteras dimissoriales concedere (Cap. *Cùm nullus*, *de tempor. ordin.*, in 6°, cum Glossâ). Præsente autem Episcopo, hujusmodi non valet absque speciali ejus commissione (Ferraris, v° *Ordo*, art. 3, n° 39).

3° Potest absolvere ab excommunicatione quam tulit Episcopus vel ipsius Delegatus, vel quam ipsemet tulit Vicarius Generalis, non autem quam tulisset uti Delegatus, absque speciali Episcopi facultate.

4° Potest concedere facultatem absolvendi ab omnibus

casibus non reservatis Papæ vel Episcopo, et approbare confessarios.

5° Non consentiunt DD. an Vicarius Generalis possit à juramento absolvere. Vide rationes pro et contra, apud Leurenium. *De Vicario Episcop.*, cap. 3, q. 137.

6° Potest sinè speciali mandato ea exercere quæ conceduntur Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, si ante Concil. Trident. ea competebant Episcopo jure ordinario, secus indiget speciali delegatione, ex decis. S. Cong. Conc. à D. Bouix relatâ (*De Judic*, t. 1, p. 427) : unde Vicarius Generalis non potest corrigere excessus religiosorum exemptorum extra claustra degentium, eò quòd illud non possit Episcopus nisi a tempore Concilii Trident., et ex ipsius concessione (Sess. 6, cap. 3).

7° Non potest quidem Vicarius Generalis, absque speciali mandato, ferre sententiam excommunicationis tanquam pœnam alicujus delicti (Cap. *Licet*, *de Officio Vicarii*, in 6°) ; sed potest illam ferre absque tali mandato, ad effectum obtinendi ut subditi sibi pareant, v. g., præcipere sub pœnâ excommunicationis quòd reus vel testis compareat. Idem est dicendum de suspensione aut interdicto.

1175. — 8° Non obstantibus iis quæ à Concil. Trident. (sess. 24, c. 20, *de reform.*) dicuntur, Vicarii possunt, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, causas matrimoniales expedire, quando ordinariæ potestati subsunt. Per verba autem Concilii : « *Episcopi tantùm examini relinquantur*, » excluduntur quidem Archidiaconus et alii Prælati inferiores, qui diversum ab Episcopali tribunal habent, minimè verò Vicarius Generalis ob unitatem tribunalis cum Episcopo.

Quoad causas quæ à Papâ Episcopo committuntur, disputatur utrum Vicario Generali committi possint; sententiam affirmantem amplectitur D. Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 431. Vide dicta supra (308 et 1165).

9° Certum est Vicarium Generalem posse, perinde ac parochum, validè matrimoniis assistere, absque speciali mandato, et alteri, modò iste sit sacerdos, concedere facultatem validè iis assistendi, siquidem est Ordinarius (Trident.,

sess. 24, cap. 1, *de reform. matrim.*). Ita multæ S. C. Conc. decisiones.

10° Sinè mandato speciali, Vicarius Generalis potest visitare monasteria, hospitalia aliaque loca pia, si non sint exempta. Si verò sint exempta vel *nullius diœcesis*, indiget speciali commissione.

Non potest autem visitare Diœcesim, absque speciali mandato, ob rei gravitatem.

11° Potest Vicarius Generalis, circa concursum pro parochialibus ecclesiis vacantibus, quæ potest Episcopus (Leuren., ap. Bouix, *ib.*, p. 434).

12° Potest claustra monialium ingrediendi licentiam concedere.

13° Potest cognoscere causas civiles.

1176. 14° Vicarius Generalis (aut ipsius Substitutus propriè dictus) potest sibi substituere delegatum ad unam vel plures causas, non autem absque speciali mandato, *ad universitatem causarum.* Vide supra (309).

Substitutus Vicarii Generalis vocatur in jure *vices gerens*, quando ab Episcopo constitutus est; vocatur autem *locum tenens*, quando eum Vicarius Generalis, ex speciali mandato, sibi constituit. Si verus sit Substitutus, non merus delegatus, idem habet tribunal cum Vicario et Episcopo, nec ab eo potest appellari nisi ad Metropolitanum Bouix, *ib.*, p. 437).

Cùm ille Substitutus videatur verus Vicarius Generalis, posset esse Delegatus Papæ, secundùm constantem usum à multis sæculis in Galliâ vigentem, de quo loquitur Lequeux (n° 347) citans Collet, DD. Bouvier, Carrière, etc. Alii tamen id negabant, prout Ducasse, Lacombe, Collator Parisiensis (*ibid*).

Si Substitutus fuerit constitutus à Vicario Generali, statim ac is nominatim denuntiatur excommunicatus, cessat Substituti jurisdictio etiam quoad causas incœptas (Cap. *Romana, de Offic. Vicarii*, in 6°); perseverat verò tunc ejusdem jurisdictio si ab Episcopo sit constitutus.

1177. Tam Vicarii Generalis quàm ipsius quocumque modo Substituti jurisdictio cessat etiam quoad causas

incœptas, quando Episcopus denuntiatur excommunicatus, suspensus, vel interdictus, vel quando è vitâ decedit.

Res autem aliter se habet quoad Delegatum à Vicario Generali aut ab Episcopo : is enim, excommunicato delegante, servat suam jurisdictionem quoad causas jam incœptas, non verò quoad adhuc integras. Vide Bouix (*ib.*, p. 488) qui remittit ad Leuren. (*De Vicar. Episc.*, c. 3, q. 202).

15° Potest Vicarius Generalis cogere parochos ut sibi adjungant cooperatores quibus indigent, quia illud possunt Episcopi jure ordinario (Conc. Trident., sess. 21, cap. 4, *de ref.*), nec à jure reservatur.

Illud etiam potest quoad parochos imperitos, juxta Bouix (*ib.*, p. 489), qui tamen fatetur sententiam oppositam esse communiorem, eò quòd hujusmodi assignatio sit de arduis, quæ non censentur in generali commissione inclusa. Potest etiam constituere œconomum seu vicarium pro tempore vacationis beneficii (Bouix, *ibid.*, ubi etiam plura alia legi possunt à p. 423 usque ad p. 440).

PUNCTUM IV.

DE PRÆCEDENTIA ET DIGNITATE VICARII GENERALIS.

1178. Quæ diximus superiùs (629), sufficere videntur circa præcedentiam Vicarii Generalis; duo tantùm hîc delibabimus.

1179. Quærit. 1° An Vicariatus Generalis sit Dignitas?

Resp. Dignitatem intelligi posse vel in strictiore vel in minùs stricto sensu : priori modo, Dignitas est titulus *in perpetuum* collatus, cui annexæ sunt præcedentia et jurisdictio; secundo modo, est officium, etiam *ad nutum revocabile*, cui annexa est præcedentia cum jurisdictione.

Vicariatum Generalem non esse Dignitatem in priori sensu, sed tantùm in posteriori, manifestum est. Attamen certum est Vicario Generali posse delegari causas S. Sedis, quamvis jure cautum sit ut nonnisi personis in dignitate constitutis committatur hujusmodi delegatio. Vide Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 440.

1180. Quærit. 2° An Vicarius Generalis sit Prælatus ?— Quid sit intelligendum per Prælatum, vide supra (1113) in notâ.

Resp. Plures affirmare; quia Vicarius Generalis exercet totam jurisdictionem quam habet Episcopus, quæque constituit Prælatum. Ita Ventriglia, Barbosa, Pignatelli, etc.; secus alii sentiunt, ut Bouix citans Card. de Luca (*ib.*, p. 442). Ratio quam afferunt est quòd ad Prælaturam requiratur ut quis eam ut propriam exerceat. Vide *Analecta jur. pontif.*, 27ᵉ livr., col. 861. Juxta Nardi, ap. D. Bouix (*De Parocho*, p. 170), Vicarii Generales sunt *Prælati minores*, quia obtinent distinctum honoris gradum, cum aliquâ externâ jurisdictione.

PUNCTUM V.

DE VICARIATUS GENERALIS EXPIRATIONE.

1181. Vicarii Generalis jurisdictio expirat : « 1° per propriam ipsius renuntiationem expressam, vel saltem tacitam, ut si Vicarius diœcesim... egrediatur animo non ampliùs revertendi... 2° Per remotionem seu revocationem ipsius ab Episcopo factam » (sed Vicario debet notificari, aliàs ipsius acta, ante notificationem peracta, sunt valida). « 3° Per mortem naturalem Episcopi » (sed hoc, quoad causas quæ ipsi ab Episcopo aut à Sede Apostolicâ sub nomine Vicarii Generalis duntaxat delegata fuerunt, secus, si delegatio facta fuit cum nomine ipsius proprio... Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 444). « 4° Per translationem Episcopi ad alium Episcopatum. » 5° Per depositionem vel relegationem Episcopi. 6° Per » renuntiationem Episcopatûs factam ab Episcopo, et a » Papâ admissam. 7° Per legitimum ingressum Episcopi » in aliquam religionem. 8° Per captivitatem Episcopi » (intellige à paganis, hæreticis aut schismaticis). 9° Expirat » jurisdictio Vicarii Generalis, suspensâ Episcopi juris» dictione per excommunicationem, suspensionem aut » interdictum. » (Ferraris, vᵒ *Vicarius Generalis*, art. 3, nᵒ 27, etc.).

1182. Valida est revocatio Vicarii Generalis, etsi fiat absque ullâ causâ.

Ut licita fiat, habenda est ratio honoris ipsius : « Undè » facienda est cum magnâ circumspectione et cum gravi et » justâ causâ : aliàs reintegrari potest per Sacram Congre- » gationem Episcoporum. Sic declaravit eadem S. Con- » greg., in *Spalatrensi*, 3 julii 1601, et in *Traguriensi*, » 7 sept., et oct. 1649. » Ferraris, *ibid.*, art. 3, n° 29.

PUNCTUM VI.

DE VICARII GENERALIS SUSTENTATIONE.

1183. Jure communi tenetur Episcopus ex suâ camerâ salarium Vicario suo Generali constituere. Mortuo Episcopo, salarium non solutum præstari debet à Capitulo vel Vicario Capitulari de bonis Ecclesiæ vacantis. Ita Leuren., ap. D. Bouix, *ib.*, p. 445.

Nulla adest de hoc difficultas apud nos, quippe salarium Vicario Generali solvitur à Gubernio.

« Lorsqu'un Vicaire Général aura perdu sa place, après » trois ans consécutifs d'exercice, soit par suite d'un » changement d'Évêque, soit à raison de son âge ou de » ses infirmités, nous nous réservons d'accorder audit » Vicaire Général, hors d'exercice, s'il n'est pas pourvu d'un » Canonicat, un secours de 1,500 fr. par an, jusqu'à sa » nomination au premier Canonicat vacant dans le Cha- » pitre diocésain, soit à un autre titre ecclésiastique suscep- » tible d'être présenté à notre agrément. » (Ita *Ordonn. roy. du* 29 *septembre* 1824).

PUNCTUM VII.

AN ET QUOMODO EPISCOPUS EX ACTIS VICARII SUI GENERALIS TENEATUR.

1184. Manifestum est quòd non teneatur Episcopus ex actis sui Vicarii extra officium Vicariatûs gestis, quia in iis non gerit vices Episcopi, nisi ea fortè mandasset aut alio modo iis participasset Episcopus.

Circa quæstionem an possit Episcopus rescindere definitivam sui Vicarii sententiam, si prolata esset anticanonicè, ita ut esset nulla, quidquid sit de jure, quod expendemus infra, in tractatu *De Judiciis* (5962, 6061, 6062), generalis consuetudo jamdudum obtinuit, ut à solo Judice appellationis causa nullitatis sententiæ dirimatur. Bouix, *ibid.*, p. 446, et supradicta (659).

Si verò sententia tam Episcopi quàm Vicarii Generalis non sit nulla, sed tamen injusta, tunc, etiam jure constat illam non posse corrigi ab Episcopo, sed causam tunc ad judicem appellationis devolvi (Bouix, *ib.*, p. 447).

Quoad autem actus extrajudiciales Vicarii, eos Episcopus potest corrigere quos annullare posset, si à seipso gesti fuissent; v. g., posset revocare dispensationem super interstitiis ante ordinationem; non posset autem annullare matrimonium aliàs validum cui assistentiam præbuit Vicarius, et sic de aliis.

1185. Quærit. Utrum Episcopus teneatur resarcire damna ex injustis Vicarii Generalis actibus orta?

Respondet Bouix (*ib.*, p. 448): « Si imperitum aut improbum Vicarium inculpabiliter elegit et retinuit, non tenebitur dicta damna resarcire; secus si in dictâ electione et retentione culpabilis exstitit Episcopus; in quo reperies concordare auctores. »

PUNCTUM VIII

A QUO POSSIT PUNIRI VICARIUS GENERALIS QUI IN OFFICIO SUO DELINQUIT.

1186. De hoc magna erat disceptatio inter veteres canonistas; ac etiam in hoc concordes non sunt moderni, ut videre est apud D. Bouix, *ibid.*, p. 449.

Standum autem esse videtur declarationi S. Congr. Concil. in *Tarentinâ*, 26 feb. 1642, quæ sic habet: « S. Congr. Concilii, Archiepiscopum Metropolitanum, etiam in primâ instantiâ, esse judicem competentem in causis contra Vicarios et officiales Suffraganeorum, quando delinquunt in officio et jurisdictione. »

1187. Observandum est autem quòd « Officialis seu » Vicarius Generalis Archiepiscopi nullam habet potesta» tem aut jurisdictionem in Suffraganeos, ob dignitatem et » eminentiam officii Episcopalis » (cap. 1, § *Officialis*, *de Officio jud. ordin.*), neque in Vicarios Suffraganeorum (Pirrhing, in tit. 28, lib. 1 Decret., ap. Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 451). Vide unam exceptionem supra (837).

1188. Dictum fuit, *quando delinquunt in officio et jurisdictione*, quia si delinquant ut *persona privata*, certum est Episcopum posse in eos sicut in alios animadvertere; nec eos potest punire Metropolitanus, nisi fortè ad eum appellatum sit. Vide iterum supra (837).

Quoad casum in quo Vicarius Generalis esset religiosus exemptus, vide D. Bouix, *ibid.*, p. 454.

1189. Quærit. Utrum qui desiit esse Vicarius Generalis, subjaceat syndicatui, seu utrum teneatur ad reddendam rationem suæ administrationis?

« Respondeo, ait Leurenius, illum liberum esse ab hu» jusmodi obligatione, cui subjicitur solus Vicarius Capi» tuli et alii Officiales Sedis vacantis... Ratio est, addit » D. Bouix (*ibid.*, p. 455), quia ejus actus censentur gesti » ab Episcopo cujus erat Vicarius Generalis. Econtra » Vicarius Capitularis est provisoriè Successor Episcopi » defuncti. Unde mirum non est quòd hic, non ille, syndi» catui subjaceat. Atque in hoc concordant DD. unani» miter. »

§ II.

De Archidiacono.

1190. « Archidiaconi ex ordine Diaconorum erant, sed » eorum principes, et ratione habitâ meritorum (non an» tiquitate ætatis, ut malè Salmasius existimavit), ab Epis» copo ut plurimùm eligebantur. Ordine inferiores erant » Archipresbyteris, jurisdictionem tamen superiores. Sed » cùm absurdum videretur non presbyteros præstare, iis » demum est imposita necessitas presbyteratûs.

» Amplissima olim erat potestas Archidiaconi qui Epis-

» copi Vicarius erat à jure constitutus, et ejus etiam *oculus*
» dicebatur, propter latam administrationem et in rebus
» agendis potestatem, quæ omnia ferè, exceptis sacra-
» mentalibus muneribus, comprehendebat. Is enim col-
» lector oblationum, reddituum.... mittebat in posses-
» sionem eos qui beneficia acceperant; quos nosset idoneos
» ad ordines et beneficia Episcopo offerebat; atque omnes
» ferè noscebat definiebatque causas fori episcopalis. Et
» licet initio Archidiaconi *hæc ferè omnia gererent mandato*
» *arbitrioque Episcopi,* tamen deinceps eò usque progressi
» sunt, ut propriam atque ordinariam obtinerent jurisdic-
» tionem, quæ pridem erat delegata, ac jura invaderent
» quæ propria erant Episcoporum. Synodaticum, procu-
» rationes aliaque id genus... capiebant. » Devoti, t. 3,
sect. 8, § 71, etc.

Quanta fuerit antiquitùs potestas Archidiaconorum patet ex facto Anatolii : hic enim Constantinopolitanus Episcopus Aetium Archidiaconum, intrepidum Flaviani Patriarchæ defensorem, ideoque sibi invisum, ad presbyteratum promovit ut à se removeret. Porrò hoc ægrè tulit S. Leo Papa et in suis ad Imperatorem et ad Anatolium litteris, eis declarat *improbum esse, virum optimè meritum de Ecclesiâ augere ut minuas : extollere ut deprimas; dejectionem innocentis per speciem provectionis implere.* Obsequens verò huic monitioni Anatolius, Aetium licet sacerdotem in officium Archidiaconatûs restituit. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 90.

« Tantam hanc Archidiaconorum potestatem Episcopi
» tollendam aut minuendam curârunt; et nunc vix ejus
» umbra et imago superest. Synodus Tridentina Archidia-
» conis aliisque inferioribus Prælatis judicium ademit
» causarum matrimonialium, quas Episcopo reservavit;
» ipsis verò reliquit jus visitandi ecclesias quas antea vi-
» sitare consueverant, modò id faciant per semetipsos, et
» cum consensu Episcopi.... » Vide Concil. Trident., sess. 24, cap. 20; et cap. 3, *de reform.*

1191. « Nunc autem Archidiaconi munus eò redactum
» est ut assistat Episcopo cùm generales ordinationes con-

» ficit, vocetque eos qui ordines suscepturi sunt (Bened. XIV,
» in Const. *Ex quo dilectus*, 25, cap. 107). Cùmque Ar-
» chidiaconi nunc ampliùs non sint Vicarii nati Episcopi,
» tanta hodiè in singulis inest auctoritas quanta vel Epis-
» copi mandato, vel Ecclesiæ statuto, vel diuturnâ con-
» suetudine data est. Diaconatûs autem ordine insignitos
» esse oportet Archidiaconos, eosque Synodus Tridentina,
» in omnibus Ecclesiis in quibus fieri potest, magistros in
» theologiâ, seu *doctores*, seu licentiatos in jure canonico
» esse jubet. » (Devoti, *ibid.*, § 74.)

Dicit autem D. Bouix (*De Capitulis*, p. 104), pluries fuisse decisum à S. C. Concilii non requiri ætatem 25 annorum et doctoratum, nisi pro Archidiaconis qui jurisdictionem ordinariam exercent. Imò, juxta Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 24), Archidiaconus non ampliùs tenetur decreto Concil. Trident. (sess. 24, c. 12) de laureâ doctorali suscipiendâ, etsi in Bullâ provisionis sit clausula : *quod infra annum lauream doctoralem suscipere tenearis.*

1192. « Initio, inquit idem Card. Soglia (*ib.*, § 12), Ar-
» chidiaconi potestas à mandato et arbitrio Episcopi pen-
» debat ; at deinceps in potestatem ordinariam abiit, ita ut
» Archidiaconi non ampliùs *ad Episcopi nutum moveren-*
» *tur..*; jurisdictionem distinctam tamen ab Episcopi ju-
» risdictione (consecuti erant), et idcirco à sententiis Archi-
» diaconi, non ad Metropolitam sed ad Episcopum
» provocabatur. »

1193. Quærit. 1° An post Tridentinum ad Archidiaconum pertineat examinare promovendos ad ordines et ad parochialia beneficia?

Resp. Affirmantem sententiam amplexatus est Fagnanus (vide ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 96) ; sed ubi agitur de examine ordinandorum, Tridentina Synodus totam rem videtur commisisse Episcopo, cui tantùm injungit ut examinet ordinandos, adscitis sacerdotibus et viris prudentibus et peritis (sess. 23, cap. 7, *de reform.*) ; et quoad promovendos ad parochias, eadem Synodus hoc solùm Episcopo perscribit ut adhibeat saltem *tres, quos ipse maluerit*, ex Synodalibus Examinatoribus (sess. 24, c. 18, *de reform.*).

1194. Unde certum asserit Bened. XIV attestationem Archidiaconi, in ordinatione diaconorum et presbyterorum, esse hodie merum ritum, quia ad ipsum non ampliùs pertinet examen prædictum; proindè ipsum culpâ vacare dignum affirmantem quem indignum esse non novit, quamvis ignoret an revera dignus existat (*De Syn.*, lib. 5, cap. 3, n° 4); D. Bouix etiam responsionem S. Congreg. Concil. in sensu eodem refert (*ibid.*, p. 100).

Attamen, ait idem D. Bouix, si Archidiaconus omninò sibi persuasum haberet indignum esse quem Episcopus vult ordinare, graviter peccaret dignum esse eum affirmando, ut tenent communiter DD.; hoc etiam colligi potest ex cap. *de Scrutinio*, ubi Innocent. III dicit: *dummodo contra conscientiam non loquatur.*

1195. Quærit. 2° An Archidiaconatus sinè jurisdictione, prout hodiè ferè ubique existit, sit adhuc vera et propriè dicta Dignitas?

Resp. Talem esse, ut certum tradit D. Bouix (*De Capitulis*, p. 101), et hanc dignitatem habere « non à consue» tudine, sed à jure communi, et ex solâ denominatione.
» Undè, inquit, omnia consectaria juris..., v. g., quod pos» sint delegari à S. Sede, etc..., etiam hodiernis Archidia» conis... applicanda veniunt. » Vide infra dicenda (2185).

« Remanet verum quòd de jure... sint *Prima Dignitas*, » licet ex statuto aut *consuetudine* possint esse ultima. Ita » decisum à Rotâ... 5 decemb. 1625. »

1196. « Non videtur Episcopus posse alii quàm Archi» diacono committere officium ordinandos præsentandi, » quando adest aliquis Archidiaconus in Cathedrali...

» Debet ducere ostiarios ad ecclesiæ januam, nec ei licet » alteri hoc munus demandare. Gardell., n° 2653, ad 4^m.

» Non licet Archidiacono pro suo arbitrio solemniter » celebrare, sed tantùm in diebus expressis in Cæremo» niali. Gardellini, n° 3280. » (Apud. Bouix, *ibid.*, p. 102 et 103.)

1197. Quærit. 3° Quid sentiendum sit de Archidiaconis ad nutum revocabilibus, quales sunt Vicarii Generales in quibusdam Galliæ diœcesibus?

Resp. Juxta D. Bouix (*ib.*, p. 104) tales Vicarios immeritò vocari Archidiaconos, etiam merè honorificos, nec ipsis quatenus Archidiaconis *deberi ullam præcedentiam*, *nec eos esse delegabiles pro causis in partibus.*

Nobis autem hæc sententia rigorosa videtur; loquimur tantùm de locis ubi, ex consensu S. Sedis vel ex statutis concessione Cardinalis Caprara ab Episcopis legitimè conditis, Vicarii Generales titulo Archidiaconorum decorantur, prout contigit in hâc diœcesi Valentinensi et, ut videtur, in totâ provinciâ Remensi et in aliis locis [1]. Etenim ipsemet D. Bouix, prout vidimus in quæstione præcedenti (1195), opinatur Archidiaconos, quales nunc ferè ubique existunt, nempe omni jurisdictione spoliatos, adhuc esse tamen *Dignitates*, ita ut præcedentia à jure assignata ipsis debeatur, ipsique sint à S. Sede delegabiles; si ergo defectus jurisdictionis non impediat quominùs Archidiaconi adhuc sint Dignitates, cur defectus *perpetuitatis* istud impediret in eis qui, de consensu S. Sedis, Archidiaconorum titulo insigniuntur? Nonne ipsemet D. Bouix fatetur Vicarios Generales esse Dignitates quamvis ad nutum revocabiles, ita ut ipsis præcedentia debeatur ipsique sint à S. Sede delegabiles (1179)?—Dicet quidem perdoctus auctor rem esse prorsus anticanonicam Archidiaconos revocabiles, et se nullum talis subversionis vestigium reperire potuisse.—Attamen Archidiaconos exstitisse olim revocabiles affirmant Thomassin., *Discip. Eccl.*, 1re part., liv. 2, chap. 17, n° 6; R. de M., tom. 1, p. 387; Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, in textu supra relato (1192); et satis insinuat Devoti in loco supra relato (1190). Nostram sententiam amplexi sunt R. D. M., tom. 1, p. 358, et Concil. Suess. 1850, etc. Vide notam præfatam [1].

[1] « Vicarii generales, qui munus exercent Archidiaconorum quorum nomine insigniti sunt, apud nos habentur ut *Primæ Dignitates* Cathedralis Ecclesiæ. Ipsi in choro et extra, post Episcopum immediatè veniunt, *sicut mos apud Galliarum Ecclesias à Concordato* anni 1801 universè invaluit. » Concil. Suess. anni 1850. Idem statutum fuit à Concil. Burdigal., anno 1850, Bituricensi, Senonensi, Albiensi. Vide *Prælect. S. Sulpit.*, n° 364. Omnia hæc Concilia, etsi recognita à S. Sede in hoc tamen non fuerunt emendata. Cf. tamen app. VIII.

1198. Quærit. 4° Quomodo Archidiaconus à Vicario Generali differat?

Resp. Solutionem hujus quæstionis pendere a diversitate temporum : alia enim erat differentia inter Vicarium Generalem et Archidiaconum, quando iste habebat jurisdictionem, ac quando ipsâ fuit privatus, ut nunc est ; vel quando erat revocabilis, ac quando titulo perpetuo fuit insignitus : præcipuum discrimen fuisse inter ipsos, saltem ferè toto tempore quo Archidiaconus habuit jurisdictionem, quòd aliud fuerit tunc istius tribunal ac tribunal Episcopi; ita ut ab Archidiacono ad Episcopum potuerit et debuerit fieri appellatio; dum res aliter se habeat pro Vicario Generali, ut supra vidimus (1122, 1126, 1130).

§ III.

De Archipresbytero.

1199. Hoc nomine presbyterorum Primus intelligitur : « Unus olim fuit in singulis diœcesibus, qui in Ecclesiâ » Cathedrali residebat, tanquam Episcopi Vicarius in iis » omnibus quæ ad sacra ministeria et forum internum » pertinerent. » Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 11.

« In antiquis canonibus memorantur Archipresbyteri... » ante Archidiaconos... (Concil. Emerit., can. 10). » Sed postea ipsis subjecti fuêre : « Ut Archipresbyter sciat se » subesse Archidiacono. » (C. Ut *Archipresbyt., de Offic. Archipr.*)

1200. « Archipresbyter Cathedralis, licet hodiè juris» dictione destitutus nec curam animarum gerens, sed » habens tantùm aliquam præcedentiam quoad Canonicos, » est Dignitas, » inquit Bouix, *De Capitulis*, p. 106. Vide infra (2185). Juxta autem Auctorem *Prælect. S. Sulpitii*, apud nos hodiè Archipresbyteri sunt illi qui curam animarum habent in parochiâ Cathedrali Ecclesiæ adnexâ (n° 164); non tamen hoc est verum saltem ubi non habent præcedentiam supra alios Canonicos.

Si Archipresbyter sit Prima Dignitas, in processione

SS. Corporis Christi debet incedere ad dexteram Decani, vel si numerus sit dispar, medius inter duos antiquiores Canonicos, sed nunquam solus. S. Rit. Cong., apud Gardell., n° 2608.

1201. Duæ sunt species Archipresbyterorum, urbani scilicet et rurales. Rurales vocantur etiam *Plebani* et *Vicarii Foranei*, qui Chorepiscopis substituti sunt; et quando sub jurisdictione commissi sibi Vicariatûs decem habebant presbyteros, *Decani* vocabantur, quod nomen servârunt etsi pauciores aut plures quàm decem ipsis postea subjicerentur. Bouix, *ib.*, p. 105.

Juxta Ferrarium, Vicarii Foranei ab Archipresbyteris distinguuntur. Vide verbum : *Vicarius Foraneus*, n[is] 3 et 9; et infra dicenda (1207, etc.).

§ IV.

De Pœnitentiario.

1202. « In omnibus Cathedralibus Ecclesiis, inquit Con-
» cil. Trident., sess. 24, c. 18, *de reform.* (proinde non in
» Collegiatis), ubi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius
» aliquis, cum unione Præbendæ proximè vacaturæ, ab
» Episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor aut
» licentiatus in theologiâ vel jure canonico, et annorum
» quadraginta, seu aliàs qui aptior pro loci qualitate repe-
» riatur; qui dum confessiones in ecclesiâ audiet, interim
» præsens in choro censeatur. »

Pœnitentiarius, ut satis indicat ipsius nomen, ad audiendas confessiones est institutus. Ex ipsius institutione, à jure habet jurisdictionem pro confessione in totâ diœcesi.

1203. Non autem potest à reservatis Papæ absolvere; nec, sinè speciali concessione, à reservatis Episcopo. Ita decisum à S. C. Conc. refert Ferraris (v° *Canonicus*, art. 9, n° 71). Vide etiam S. Liguor., lib. 6, n° 599.

« Etiam non vocatus debet de manè assistere et residere
» in sede confessionali ab Episcopo ipsi destinatâ, diebus
» Festis solemnioribus.., tempore Quadragesimæ, Adventûs

» et Quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis,
» Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V.,
» Omnium SS., et Nativitatis Domini, testatur decisum à
» S. C. Conc. Ferraris, *ib.*, n° 76. » Bouix, *De Capit.*, p. 126.

1204. Licet ultimo loco provisus, cogi non debet ad obeundum munus Diaconi et Subdiaconi, quâcumque consuetudine non obstante. Ita S. Congreg. Rit., apud Gardellini, n° 2464.

Dum intra ecclesiam (non extra, etiam infirmorum) audit confessiones, vel in confessionali expectat, si accedere soleant pœnitentes (S. Cong. Conc., ap. S. Liguor., lib. 4, n° 131), pro præsenti habendus est in choro, processionibus, exequiis, etc. Idem dicendum de Canonico quem Episcopus ad supplendum Pœnitentiarium impeditum deputaret, et uterque lucratur distributiones... Bouix, *De Capit.*, p. 128; Ferraris, v° *Canonicus*, art. 9, n° 82.

Non præcedit aliis, quia non est Dignitas. Idem est dicendum de Theologali, non obstante contrariâ consuetudine. Ferraris, v° *Canonicus*, ib., n° 44.

1205. Pœnitentiarium eligere et instituere ad solum Episcopum pertinet extra Italiam et Insulas adjacentes. Ita decisum a S. C. refert Ferraris, *ib.*, n° 53.

Si confessiones audire recuset, puniri potest ab Episcopo (Ferraris, *ib.*, n° 75). Quomodo tunc Episcopus procedere debeat, vide quæ dicturi sumus de Theologali (2216).

Si vacet officium Pœnitentiarii tempore quo vacat Sedes Episcopalis, novi Pœnitentiarii electio et collatio ad Papam spectat, nec reservari debet futuro Episcopo. Vide decisum a S. Congr. Conc., apud Ferraris, *ib.*, n° 50.

1206. An, in præsenti statu Ecclesiarum Galliæ, sit obligatio habendi Pœnitentiarium? — Vide dicenda infra de Theologali (2206).

Pro hâc nostrâ provinciâ Avenionensi sic habetur in Concil. Aven. 1849 (p. 57): « Instituatur Canonicus aut Sa-
» cerdos Pœnitentiarius zelo et scientiâ pollens, qui, sta-
» tutis diebus, excipiat fidelium confessiones, et viam
» facilem aperiat iis qui peccata, quorum absolutio est

» reservata, commiserunt, sive confessiones repetere
» volunt, sive denique prudentiori consilio indigent. »

§ V.

De Vicariis Foraneis.

1207. *Vicarius Foraneus* est ille, qui ab Episcopo in certâ diœcesis parte vel ad certos casus deputatur. Dicitur *Foraneus*, vel quia extra *fores* seu civitatem in quâ residet Episcopus constituitur, vel quia forum et judicium non generale sed speciale tenet. Ita Leuren., ap. D. Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 456.

1208. Non ordinaria sed delegata tantùm est Vicarii Foranei jurisdictio : quia non a lege sed ab Episcopo ipsi pro arbitrio confertur, diversumque ab Episcopi aut ipsius Vicarii Generalis tribunal habet. Proindè vitio nullitatis laboraret appellatio ab ejus sententiâ ad Metropolitanum, omisso Episcopi aut ipsius Vicarii Generalis tribunali, nec licet Archiepiscopo hujusmodi appellationem recipere. Vide Bouix, *ib.*, p. 457.

Vicarius Foraneus non est in Dignitate constitutus, præeminentiam non habet, nec est delegabilis à S. Sede. Ferraris, v° *Vicarius Foraneus*, n° 14.

1209. « Præcipuum Vicarii Foranei munus est Episcopo
» renuntiare mores clericorum, atque in eorum crimina
» inquirere, observantiam Constitutionum Synodalium et
» Decretorum Episcopi sedulò promovere, et Episcopum
» monere, si quæ fortè in suis oppidis, adversus fidem et
» bonos mores aut Dei cultum, templorum venerationem,
» festorum dierum observantiam et christianam discipli-
» nam perpetrentur. » (Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 15.) Vide etiam Concil. Remense anni 1849 (tit. 16, cap. 4), in quo additur : « Verùm Decani (seu Vicarii Foranei) nullam in
» aliarum parochiarum fideles habent jurisdictionem, et
» quemadmodum facultates, quibus fruuntur ut Decani,
» possunt extendi aut restringi, ita et auferri ad nutum
» Episcopi. »

1210. « Ejusmodi Vicariorum originem antiquissimam » esse atque ad Chorepiscopos [1] referendam, non immeritò arbitratur Juenin, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. » 3, cap. 2, n° 6).—Extinctis Chorepiscopis.., Archidiaconi, » Decani et similes in Chorepiscoporum locum suffecti, » *Vicarii rurales* seu *Foranei* Episcoporum erant. » (*Ibid.*)

1211. Multùm ergo à Vicario Generali differt Vicarius Foraneus: 1° Iste delegatam, ille verò ordinariam jurisdictionem habet. 2° Universalis moraliter quoad causas et loca est Vicarii Generalis potestas; Vicarii verò Foranei, particularis. 3° A sententiâ prioris non appellatur ad Episcopum, benè verò à sententiâ posterioris. 4° Vicario Generali competit à jure certa et determinata jurisdictio ordinaria; Vicarius autem Foraneus nihil valet nisi quod ei expressè commisit Episcopus.

ART. VI.

DE ADMINISTRATIONE DIŒCESIS, SEDE VACANTE.

1212. Quæ circa præsentem quæstionem dicenda sunt, tribus paragraphis absolvemus: expendemus 1° ad quem et quomodo devolvatur potestas diœcesim, Sede vacante, gubernandi; 2° quomodo sese habeant ad invicem, quoad potestatem, Capitulum et Vicarius Capitularis; 3° quænam sit utriusque potestatis extensio.

§ I.

Ad quem et quomodo devolvatur potestas diœcesim gubernandi, Sede vacante.

PUNCTUM I.

QUID STATUERIT CIRCA PRÆSENTEM QUÆSTIONEM CONCILIUM TRIDENTINUM.

1213. Hæc statuit Concil. Trident. (sess. 24, c. 16, *de reformat.*): « Capitulum, Sede vacante, ubi fructuum

[1] Circa Chorepiscopos, vide Ferraris, v° *Episcopus*, art. 1, n[is] 36-41.

» percipiendorum ei munus incumbit, Œconomum unum » vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum » ecclesiasticarum et proventuum curam gerant [1], quorum » rationes ei ad quem pertinebit sint reddituri. Item Officia» lem seu Vicarium, infra octo dies post mortem Episcopi, » constituere, vel existentem confirmare omninò teneatur, » qui saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel » aliàs quantùm fieri poterit idoneus. Si secus factum fue» rit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur; » et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Ca» pitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior » Episcopus ex Suffraganeis, in Metropolitanâ, et propin» quior Episcopus, in exemptâ, Œconomum et Vicarium » idoneos possit constituere. » (Si omnes Vicarium eligere neglexerint, eum constituit Romanus Pontifex aut S. Congreg. Episcop. et Regul.: Devoti, lib. 1, sect. 7, § 63.) [2]
« Episcopus verò ad eamdem Ecclesiam vacantem pro» motus, ex eis quæ ad ipsum spectant, ab eisdem Œconomo, » Vicario et aliis quibuscumque Officialibus et administra» toribus, qui, Sede vacante, fuerunt à Capitulo vel ab » aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem » Capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, » administrationis, aut cujuscumque eorum muneris; » possitque eos punire, qui in eorum officio seu adminis» tratione deliquerint; etiamsi prædicti Officiales, redditis

[1] Card. De Luca observat rarò locum habere deputationem illius Œconomi : in Italiâ enim, ubi fructus bonorum Ecclesiæ vacantis reservantur Cameræ Apostolicæ, Œconomus deputatur per Collectorem Cameræ. In Galliâ verò et etiam aliis locis, sive concessione S. Sedis, sive usurpatione, mensa Episcopalis per civilem administratorem regitur; imò inutilis foret apud nos Œconomus, Sede vacante, cùm tunc suspendatur pensio Gubernii, et rarissimè existant in nostris regionibus alia bona.

[2] « Vicarius Capitularis, in locis missionum ubi resident Episcopi, à » Capitulo vel parochis, juxta veterem consuetudinem eligi debet statim » ab obitu Episcopi. Bened. XIV, Constit. *Quàm ex sublimi*. Si verò » nullum adsit Capitulum, nec parochorum numerus (sufficiens) à » quibus electio perficiatur, Vicarius Generalis defuncti Episcopi, Pon» tificis auctoritate, constituitur Vicarius Capitularis. » Vide Ferraris, v° *Vicarius Capitularis*, art. 2, n° 101; Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 660.

» rationibus, à Capitulo vel à deputatis ab eodem, abso-
» lutionem aut liberationem obtinuerint. Ei quoque Epis-
» copo teneatur Capitulum de scripturis ad Ecclesiam per-
» tinentibus, si quæ ad Capitulum pervenerunt, rationem
» reddere. »

1214. Hæc Tridentina Sanctio, inquit Bouix (*De Capitulis*, p. 543), « jus commune antea vigens non parùm » immutavit : poterat enim antea Capitulum, Sede » vacante, diœcesim per seipsum administrare; et volens » administrationem committere, libera ipsi erat deputandorum electio, et poterat deputationem... tum quoad » tempus, tum quoad materiam pro arbitrio limitare. Quæ » omnia prudenter, ad vitandas discordias, Capitulis à Tri» dentinâ Synodo adempta sunt. »

1215. Quamvis, Sede vacante, etiam in Collegiatis exemptis, jurisdictio ad Capitulum devolvatur, non tamen eis applicandum est præfatum Concilii Trid. Decretum; sed Collegiatæ Capitulum potest per seipsum, Sede vacante, jurisdictionem sui Prælati exercere. Ita ap. Bouix (*ib.*, p. 589-592), Fagnanus qui affert Declarat. S. Congreg. Concil. Contrarium tamen sentit Ferraris, v° *Vicarius Capitular.*, art. 1, n^{is} 59-60, juxta quem etiam S. Congr. Concil. (12 sept. 1585) declaravit solum Vicarium Capitularem Collegiatæ non debere necessariò esse doctorem aut licentiatum in jure canonico. Vide apud eumdem, *ib.*, n^{is} 63 et 68.

PUNCTUM II.

QUANDONAM SEDES EPISCOPALIS DICENDA SIT VACARE.

1216. Sedes dici potest vacare vel *propriè*, vel *quasi vacare*, vel *vacare interpretativè*.

I. *Propriè* vacat : 1° per mortem Episcopi; 2° per ipsius translationem ad aliam sedem; 3° per ipsius renuntiationem; 4° per illius depositionem; 5° quando factus est notoriè hæreticus. De quatuor prioribus nulla est difficultas; et quoad quintum communis est sententia Sedem

tunc propriè vacare. Vide Fagnanum, ap. D. Bouix, *De Capitulis*, p. 532.

1217.—II. *Quasi vacat*, quando administratio diœcesis facta est impossibilis Episcopo, aliter quàm ob ipsius excommunicationem aut suspensionem : videlicet si, Episcopo longâ et remotâ absentiâ detento, moriatur aut discedat aut aliter impediatur ipsius Vicarius Generalis, aliâ non factâ provisione pro istius casûs contingentiâ (Cardin. De Luca et Leuren., apud D. Bouix, *ib.*, p. 533 et 538) ; vel quando Episcopus est captus à paganis vel schismaticis. In omnibus autem casibus istis, diœcesis administratio ad Capitulum devolvitur. Cap. *Ad abolendum, de hæreticis*; cap. *Si Episcopus, de supplendâ neglig. Prælat.*, in 6°, ubi sic ait Bonifacius VIII : « Si Episcopus a paganis aut schisma-
» ticis capiatur, non Archiepiscopus sed Capitulum, ac si
» Sedes per mortem vacaret illius, spiritualibus et tempo-
» ralibus ministrare debebit. » Juxta Lequeux (libr. 1, n° 358), hæc Decretalis ad casum, in quo Episcopus redigeretur in servitutem propriè dictam, à canonistis restringitur; sed certè non est intelligenda de casu in quo Episcopus a potestate sæculari in carcerem conjiceretur, prout contigit erga Archiepiscopum Coloniensem DD. de Drost de Wischering, anno 1837. Sic enim esset connivere *injustis laicæ potestatis* consiliis, ut in suo Brevi 9 maii 1838, ad Capitulum Coloniense scribebat Gregorius XVI.

1218.—III. *Vacat interpretativè*, quando Episcopus est excommunicatus vel suspensus, vel *inhabilis* efficitur : tuncque diœcesis administratio, non ad Capitulum pertinet, sed recurrendum est ad Papam ut provideat. Ita ap. Bouix, Fagnanus, qui id probat pluribus juris textibus et diuturnâ observantiâ, quæ est optima legum interpres. Vide tamen Lequeux, n° 361.

1219. Casu autem quo à Concilio Provinciali Episcopus suspenderetur, diœcesis administratio potest à Concilio committi alicui Vicario, saltem donec aliter fuerit provisum à Sede Apostolicâ; sic egit Concilium Eberodunum, anno 1727, in negotio DD. de Soanen ; nec improbavit

Bened. XIII, ad quem acta Concilii remissa fuerant (Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 178).

1220. Pro casu verò amentiæ, vide cap. *Pastoralis, de clerico ægrotante*, ex quo plures dicunt tunc ad S. Sedem esse recurrendum; secus tamen alii sentiunt, juxta Lequeux (n° 359). Auctor *Prælect. S. Sulpitii* dicit Vicarium tunc existentem servare auctoritatem; si autem nullus exstaret Vicarius, administratio ad Capitulum pertineret ex præfato capitulo *Pastoralis*, n° 177. Sed vide dicta supra (1100).

PUNCTUM III.

UTRUM CERTUM SIT, SEDE VACANTE, ADMINISTRATIONEM DIŒCESIS AD CAPITULUM PERTINERE.

1221. Sede *propriè* vel *quasi vacante*, certum est ad Capitulum diœcesis administrationem pertinere: id constat ex Concilio Trident. supra relato (1213), ex textibus juris in puncto præcedente memoratis et ex aliis pluribus qui legi possunt apud D. Bouix (*ib.*, p. 357): jus hoc in articulis organicis negatum, tandem agnitum fuit à Guberpio Gallico per decretum 28 febr. 1810, ubi in articulis 5 et 6 dicitur: « Pendant les vacances des Siéges, il sera pourvu, *conformément aux lois canoniques*, au gouvernement des Diocèses. Les Chapitres doivent présenter au Ministre des Cultes les Vicaires Généraux qu'ils auront élus, pour que leur nomination soit reconnue par le gouvernement. » Vide *Journal des Fabriques*, t. 1, p. 20, in notis.

1222. Administratio diœcesis non ad Primam Dignitatem spectat (S. C. Conc. 19 sept. 1620), nec ad Archidiaconum, sed ad totum Capitulum, et ab ipso per octo primos dies exerceri debet; sed postea est exercenda tantùm per Vicarium Capitularem. Ita, ex Concil. Trident. supra relato, Leuren., Barbosa, etc., ap. Bouix. *De Capitulis*, p. 540, etc.

1223. Illa administratio, inquit Card. Luca (ap. Devoti et Bouix, *ib.*, p. 536), « devolvitur ad Capitulum, non quidem ex aliquo privilegio, vel delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi; quia Ecclesia Cathedralis, effor-

» matur conjunctim ab Episcopo et Capitulo: ab illo sci-
» licet tanquam capite, ab isto autem tanquam reliquo
» corpore; ecclesiasticâ jurisdictione penès totum cor-
» pus habitualiter residente, exercitio autem in plerisque
» competente capiti. Consequenter, defecto capite, jure
» consolidationis, vel ex jure non decrescendi, universa
» jurisdictio..., tam in habitu quàm in exercitio, remanet
» penes Capitulum tanquam reliquum corpus. »

PUNCTUM IV.

QUO MOMENTO AD CAPITULUM TRANSEAT JURISDICTIO EPISCOPALIS.

1224. — 1° In casu mortis statim ac decedit Episcopus, ejus jurisdictio ad Capitulum transit, etsi Capitulares adhuc ipsius mortem ignorent; evidens tamen est quòd Capitulum non debeat hanc jurisdictionem exercere, nisi constito Episcopi decessu: si verò tunc eam exerceret, culpabiliter quidem ageret, sed valerent ipsius acta, supposito quòd Præsul reverà jam obiisset.

2° In casu translationis, vide quæ diximus supra (528).

3° In casu depositionis, jurisdictio transit ad Capitulum statim ac pronuntiata fuit sententia hanc pœnam infligens.

4° In casu hæresis notoriæ, jurisdictio transit statim ac prolata fuit sententia Episcopum declarans hæreticum.

5° In casu Episcopi ab hæreticis vel paganis capti aut alio modo detenti, ita ut nec per seipsum nec per suos Vicarios valeat diœcesim administrare, jurisdictio transit ad Capitulum statim ac incipiunt hujusmodi impedimenta. In omnibus supra enumeratis casibus non debet Capitulum administrationem diœcesis sumere, nisi eo instanti quo ipsi innotescit cessatio jurisdictionis episcopalis, et octo dies, Capitulo dati ad deputandum Vicarium Capitularem, non incipiunt currere nisi a die illius cognitionis. V. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 2, cap. 9, n° 2.

1225. In Galliâ, electio Vicariorum Capitularium à Guoernio est recognoscenda pro effectibus civilibus: jus tamen

ad stipendium à die electionis, non à die assensûs Gubernii incipit currere, ex Decisione Consilii Statûs (Vuillefroy, *Tr. de l'administrat.*, p. 519, apud Lequeux, n° 363, nota 1°).

PUNCTUM V.

AN CAPITULUM POSSIT PLURES DEPUTARE VICARIOS.

1226. Certum videtur quòd ante Concil. Trident. Capitulum plures poterat deputare Vicarios. Quidam opinati sunt idem posse fieri post Concil. Trid.: ita Sbrozius, Garcias, Molina, apud Leuren. (*De Capit.*, quæst. 547). Contraria tamen sententia prævaluit, ob varias decisiones S. Congr. Conc., quarum plures à D. Bouix referuntur.

Sic habet decisio 21 apr. 1592 in causâ *Panormitanâ*: « Congregatio Concilii censuit, ex Decreto Concilii Trid., » cap. 16, sess. 24, à Capitulo, Sede vacante, unum » tantùm Vicarium esse eligendum; cæterùm *non esse eo* » *decreto sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi*, » *præsertim immemorabilem.* » Plures aliæ decisiones ab eodem referuntur, et præsertim decisio 31 maii 1623, in causâ *Limanâ*, quæ confirmata fuit ab Urbano VIII per Breve *Exponi nobis* (*De Capit.*, p. 549, etc.), ex quibus manifestè patet unum tantùm Vicarium Capitularem, jure communi, à Capitulo posse eligi.

1227. In diœcesibus tamen ubi contraria viget consuetudo observari potest, si habeat legitimas conditiones; illud constat ex decisione modò relatâ. Illa consuetudo, juxta Leurenium, Fagnanum, Cardin. Luca, apud Bouix (*ib.*, pag. 545, etc.), debet esse immemorabilis : sed meritò isti sufficere videtur quòd ordinariis conditionibus sit vestita, ob præfatam decisionem S. C. C., 21 apr. 1592. Nemo ignorat hanc consuetudinem vigere in omnibus ferè diœcesibus Galliæ; sed in illis quæ erectæ fuêre anno 1822, nondum completi sunt 40 anni[1] ad præscribendum contra legem ecclesiasticam requisiti; et

[1] Si quidem consuetudo in iisdem diœcesibus incipere nequivit nisi post annum 1822, et fortè nisi post multos ab hinc annos.

saltem pro illis non approbata est à S. Sede hujusmodi consuetudo, ut constat ex responsione Cardin. Cagiano, S. Cong. Concil. Præfecti, 14 julii 1858, ubi, quoad Capitulum Remense anno 1822 institutum, sic ait : « Quod
» innuis, Sede vacante, tres Vicarios Capitulares eligi
» solere, animadvertunt Emin. PP. Capitula Cathedra-
» lium... unum duntaxat, ex cap. 16, sess. 24, *de ref.*,
» Vicarium Capitularem, non autem duos vel plures depu-
» tare debere, quemadmodum de Vicariis Generalibus
» agere licitum est... Monebis itaque Capitulum, ut quando
» vacatio ceciderit.., huic disciplinæ adhæreat, cùm præ-
» sertim idem Capitulum non impediatur Vicario alium
» virum adsciscere, qui opem adjutricem eidem præbeat,
» quemadmodum non pridem inculcatum est Capitulo Mo-
» linensi, in approbatione Statutorum Capitularium, per
» litteras 10 julii 1854. » Sed vide app. XII.

Pro aliis verò diœcesibus anno 1802 erectis, non obstante modò dictâ responsione, adhuc probabile videtur præfatam consuetudinem non esse reprobatam, eò magis quòd S. Sedes eam non ignoret et tamen non reclamet. Id constat, pro Provinciâ Avenionensi, ex eo quòd Concilii Provincialis anni 1849 acta non correxerit, in quibus tamen hæc leguntur : « Hanc autem administrationem (Diœceseos),
» nôn assumat ipsum Capitulum, sed exerceat per unum
» *aut plures Vicarios Generales*, non eo tamen numero, ut
» sua jura videatur Capitulum collectivè exercere et contra
» mentem Ecclesiæ agere » (p. 74). Idem constat pro Provinciâ Remensi, ex Conc. anni 1849, tit. 14, cap. 2; et pro Provinciis Turonensi, Burdigalensi, Tolosanâ, Aquensi, Senonensi, Auscitanâ, ut videre est in recentibus earum Provinciarum Conciliis. Vide *Prælect. S. Sulp.*, n° 180.

1228. Hæc pro diœcesibus non unitis; quando verò uniti fuêre æquè principaliter duo Episcopatus, unumquodque Capitulum Cathedrale suum deputare debet Vicarium, qui in eâ tantùm diœcesi in quâ eligitur, jurisdictionem habet. Ita Card. Luca, ap. Bouix (*ib.*, p. 555).

PUNCTUM VI.

AN CAPITULUM POSSIT LIMITARE JURISDICTIONEM VICARII CAPITULARIS.

1229. Dupliciter limitatio contingere potest, vel quoad materias seu objecta jurisdictionis, vel quoad ipsius durationem.

Viguit satis diu opinio, etiam post Concil. Trident., quòd jurisdictio Vicarii Capitularis restringi possit à Capitulo sive quoad ipsius objecta sive quoad ipsius durationem: hanc secuta est ipsamet S. Cong. Concil., ut videre est ap. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 4, cap. 8, n° 10), et in hoc sensu pronuntiaverat annis 1632, 1651, sibique consentientem in hoc habuerat Rotam, ut constat ex decisione anni 1603: sed postea, ab anno saltem 1734, oppositæ sententiæ constanter adhæsit (D. Bouix, *De Capit.*, n. 559). Sacra verò Congreg. Episcopor. et Regul. non videtur variasse, tenuitque semper limitari non posse jurisdictionem Vicarii Capit.

1230. Ab hâc sententiâ negante recedi non licet, non solum ob auctoritatem SS. Congreg. Concilii et Episc. quarum duas declarationes in præcedentibus editionibus retuleramus, sed ob constit. Pii IX *Romanus Pontifex*, V Kal. sept. 1873, in qua dicitur : « De Apostolicæ Potestatis » plenitudine declaramus et decernimus totam ordinariam » Episcopi jurisdictionem, quæ vacua Sede episcopali, ad » Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitu- » tum, omnino transire; nec ullam hujus jurisdictionis » partem posse Capitulum sibi reservare; neque posse ad » certum et definitum tempus Vicarium constituere, mul- » toque minus removere, sed eum in officio permanere, » quousque novus Episcopus Litteras Apostolicas de col- » lato sibi Episcopatu Capitulo..., vel, Capitulo deficiente, » ei exhibuerit qui ad normam SS. Canonum... Vacantem » diœcesim administrat, vel... Vicarium deputat. »

« Unde, ait D. Bouix (*ib.*, p. 560), Vicarius Capitularis cum » limitatâ jurisdictione deputatus, si aliunde electio legi- » timè peracta sit, has omnes restrictiones pro non appositis

» habere potest. Prudenter tamen aget, si statim de hoc
» certiorem faciat S. Congregationem Concilii... In tali
» casu, certum est non devolvi electionem ad Metropoli-
» tanum. »

« Le Concile de Trente a voulu, inquit André (v° *Cha-*
» *pitre*, § 2), que le Chapitre nommât un Vicaire Capitu-
» laire..., pour éviter les inconvénients qui ne manque-
» raient pas de naître de la commune administration de
» tout le Chapitre. Or, ces inconvénients seraient les mêmes,
» si le Chapitre réservait à son jugement certaines choses
» qui auraient besoin d'un mandat spécial. D'un autre
» côté, le Chapitre ne peut exercer la jurisdiction que pen-
» dant huit jours...; d'où nous concluons que le Chapitre
» n'a pas la faculté de mettre à sa jurisdiction la moindre
» restriction. »

1231. In Thesauro resolutionum S. Cong. Concilii, t. 7, p. 350, legitur: « Vicarium Capitularem non posse, nisi
» ex justâ causâ per Sacram Congreg. Episcoporum et
» Regul. cognoscendâ et approbandâ, revocari. » Vide Bouix, *ib.*, p. 563.

In Galliâ sat recenter plura Capitula sibi tribuebant potestatem suos Capitulares Vicarios revocandi : sic se exprimebat Capitulum Valentinense, 21 maii 1857, in deputatione suorum Vicariorum post mortem RR. DD. Chatrousse : « Te... Vicarium nostrum Generalem per præ-
» sentes *ad beneplacitum nostrum valituras* deputamus... »
Idem jus sibi tribuerat Capitulum Parisiense anno 1810. Vide Lequeux, n° 365; Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 259, 291, etc. Concilium autem Lugdunense, anno 1850 (Decret. XIII, n° 2), de Vicariis Capitularibus dicit : « Revocari
» nequeunt nisi de consensu S. Pontificis. » (*Prælect. S. Sulpitii*, n° 183.)

PUNCTUM VII.

AN VICARIUS CAPITULARIS DEBEAT ESSE DOCTOR IN JURE CANONICO.

1232. In Concilio Trident. supra relato (1213), dicitur :

« qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, » *vel aliàs quantùm fieri potest idoneus.* » Ex his verbis: *vel aliàs... idoneus*, quidquid olim dixerint aliqui canonistæ, minimè licet concludere liberum esse Capitulo eligere *non doctorem*, relictis doctoribus gremii sui idoneis: plurimæ enim prodierunt declarationes S. Cong. Conc. invalidam in hoc casu decernentes electionem. Vide apud D. Bouix (*De Capitulis*, p. 564, etc.). Unde ubi doctor idoneus in jure canonico (non autem sufficeret quòd esset doctor in theologiâ vel in jure civili) inveniri potest, etiam extra gremium Capituli, is est necessariò eligendus. Quando tamen sunt quidam doctores in jure canonico sed non idonei, potest Capitulum deputare non doctorem. S. Cong. Conc., 22 sept. 1714, apud Bouix, *ib.*, p. 569.

1233. Per *doctorem* vel *licentiatum* intelligendus est is qui hujusmodi gradus obtinuit in Universitate publicâ et auctoritate S. Sedis erectâ. Vide Leuren., ap. Bouix (*ib.*, p. 568). — Cùm autem in Galliâ rarissimi sint tales doctores, rarissimè doctores vel licentiati sunt eligendi, et sufficit quòd eligantur *aliàs idonei*.

PUNCTUM VIII.

AN CAPITULARIS VICARIUS DEBEAT ASSUMI DE GREMIO CAPITULI.

1234. Concilium Trident. omninò silet circa hanc quæstionem; Sacra autem Congregat. Concil. statuit in *Neritanâ*, die 24 julii 1643: « Cùm aliàs S. Congregatio censuerit in Vicarium Capitularem eligi posse etiam aliquem » extra Capitulum: si tamen quis de gremio Capituli reperiatur habilis, istum, *cæteris paribus, esse præferendum...*; canonici... supplicant declarari quomodo intelligenda sint verba illa *cæteris paribus;* an ita ut, si in » Capitulo adesset habilis eligi posset, etiamsi alius extra » Capitulum esset magis habilis. — S. Congr. respondit » ita esse intelligenda ut sufficiat Capitularem habere » qualitates a Sacro Concilio requisitas, quòd sit doctor » vel licentiatus in jure canonico vel aliàs idoneus. »

1235. Ex S. Congreg. Concilii eligendus est ergo Vicarius Capitularis de gremio Capituli, si in eo reperiatur idoneus in sensu præfatæ Declarationis. Secus tamen sentit Cardin. De Luca, ap. Bouix (*ib.*, p. 573). Auctor verò *Prælect. sancti Sulp.*, n° 181, annotat quòd quædam Concilia apud nos implicitè declaraverint posse eligi in Vicarios, etiam eos qui non sunt de Capitulo, dum dicunt *eligibiles esse Vicarios Episcopi defuncti*. Vide etiam Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 7, § 74.

PUNCTUM IX.

AN PAROCHUS POSSIT ELIGI IN VICARIUM CAPITULAREM.

1236. Vel agitur de parocho parochiam habente extra civitatem, vel de parocho ipsiusmet civitatis : quoad priorem, DD. communiter sentiunt contra paucos, illum certè non posse eligi in Vicarium Capitularem, quia parochus tenetur ad residentiam, in quâ, juxta S. Congr. Conc., Capitulum nequit dispensare, cùm nec ipse Episcopus possit « uti operâ parochi, in visitatione vel in alio servitio » suæ diœcesis, nisi pro tempore permisso duorum mensium, et tunc pro eo tempore idoneus Vicarius debet » deputari. » Pignatelli relatus à D. Bouix, p. 580 [1].

Quoad secundum, S. Cong. Episcop. et Regul. interrogata, an, Sede Episcopali vacante, Canonici eligere valeant in Vicarium Capitularem Canonicum qui in eâdem civitate et ecclesiâ curam quoque gerit animarum, ipsa respondit *affirmativè;* et generatim quòd parochus Urbanus, tam Episcopi quàm Capituli Vicarius deputari possit, si habeat requisita (in *Auriensi*, 19 mart. et 19 julii 1810).

De cætero tamen generatim parum compatibilia sunt officia parochi et Vicarii Capitularis, unde regulariter non est facienda parochi electio nisi necessitas ad id cogat.

[1] A fortiori non potest Episcopus unius diœcesis eligi in Vicarium Capitularem alterius diœcesis, proinde etiam in hoc invalida fuit electio à Capitulo Parisiensi facta Cardin. Mauryjam Episcopi Montisfalisci. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 253-289.

PUNCTUM X.

DE ÆTATE ET QUIBUSDAM ALIIS REQUISITIS IN VICARIO CAPITULARI.

1237. — 1° Barbosa, ap. D. Bouix (*De Capit.*, p. 582), affert declarationem S. Congr .Concil. 11 aug. 1614, juxta quam ætas 23 annorum sufficeret in Vicario Capitulari: « Verumtamen, inquit Leurenius (*ib.*), prescindendo a dictâ » declaratione, rectiùs dici videretur requiri in eo ætatem » ad minimum 25 annorum, dum vi Tridentini ad quascumque » Dignitates, quibus cura animarum subest, » requiritur ut promovendus 25 ætatis annum attigerit. » Sed, ut observat D. Bouix, sustineri potest Vicarium Capitularem non esse Dignitatem.

2° Non absolutè requiritur ut Vicarius Capitularis sit sacris ordinibus insignitus.

3° Debet esse legitimus: « Unde licet aliquis clericus » obtinuerit dispensationem super illegitimitate natalium » ad suscipiendos ordines, non tamen, absque novâ dispen- » satione, potest assumi in Vicarium Episcopi vel Capituli.» Bouix, *De Capit.*, p. 583.

PUNCTUM XI.

AD QUEM DEVOLVATUR DEPUTATIO VICARII GENERALIS IN CASU NON FACTÆ ELECTIONIS A CAPITULO, VEL NULLITER FACTÆ.

1238. Quæstio resolvitur ab ipsomet Concilio Tridentino (1213), pro casu non factæ electionis intra octo dies post cognitionem vacantis Sedis. Idem est agendum, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 2, cap. 9, n° 2), « si Ecclesia » vacans careat Capitulo à quo Vicarius constitui queat; » si tamen contingat vacare Ecclesiam Suffraganeam caren- » tem Capitulo, tempore quo etiam Metropolitana est suo » Pastore viduata, in hoc casu, electionem Vicarii non » spectare ad antiquiorem ex suffraganeis, ut nonnulli

» opinabantur, sed ad Capitulum vacantis Ecclesiæ Me- » tropolitanæ, censuit S. Congr. Conc. 28 aug. 1683. » Legi potest hæc Decisio apud Bouix (*ib.*).

1239. Si suo jure non statim utatur is ad quem devolvitur facultas deputandi vicarium, valet, etiam post octo dies, electio Capituli, modò Capitulum probet, non ex merâ negligentiâ sed ex causâ, electionem ultrà tempus fuisse protractam; nam in casu negligentiæ controvertitur utrum electio Capituli, ultra octo dies facta, valida foret. Vide *Prælect. S. Sulpit.*, nº 179.

1240. Pro casu verò electionis nulliter factæ, distinguendum est: vel 1º nulla est electio, quia violatum est Decretum Concil. Trident. per factam nempe electionem ultra octo dies, vel *non doctoris, non licentiati* aut *non idonei;* vel 2º est nulla ex aliis capitibus, v. g., quòd omnes Capitulares non fuerint vocati, etc.

In priori casu, si facta fuerit electio ultra octo dies, ad Metropolitanum, prout modò diximus, devolvitur; si electus fuerit *non doctor*, aut *non licentiatus* in jure canonico aut *non idoneus*, an tunc Metropolitanus statim Vicarium deputare possit, controvertitur: pro sententiâ negante allegatur decisio S. C. Conc., in *Mazariensi*, 19 decemb. 1569, ubi dicitur: « Archiepiscopus constituere » debet Capitulo octo dierum spatium ad eligendum Vicarium » doctorem, casu quo elegisset non doctorem: et, eo non » electo, omnis potestas ad Archiepiscopum transfere- » tur. » Si à nominatione Archiepiscopi appellet Capitulum, habetne talis appellatio effectum suspensivum, necne? — Card. De Luca, ap. D. Bouix (*De Cap.*, p. 588), asserit quæstionem in sensu negativo à S. C. Conc. fuisse resolutam.

1241. In secundo casu, quando nempe nullitas electionis aliunde provenit quàm à violatione supradicti Decreti Concilii Tridentini, non ad Metropolitanum vel antiquiorem, aut viciniorem Episcopum electio devolvitur; quia Trident. loquitur tantùm de duobus casibus supra enuntiatis: sed, pronuntiatâ electionis nullitate ab auctoritate competenti, quæ est S. Cong. Concilii, quando

agitur de Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ vel exemptæ, debebunt Capitulares ad novam electionem procedere. « Sacra autem Congregatio solet usque ad exitum causæ » manutenere eum cujus electio controvertitur, supplendo » auctoritatem in quantum indigeret; vel etiam aliquem » ipsa deputat pro toto Sedis vacantis tempore. » (D. Bouix, *ib.*, p. 585.)

1242. « Si electio ex eo non sortiatur effectum, quia » electus consentire recusat, vel post consensum renuntiat » juri suo, aut fortè diem claudit extremum, seu propter » *occultum ejus vitium* irritatur, electores (qui jam fecerant quod spectabat ad ipsos, infra juris terminum » eligendo) habebunt à dissensu, renuntiatione, morte, » vel irritatione prædictis, ac si vacatio nova esset, tempus » integrum ad electionem aliam celebrandam; dummodo » nihil fraudulenter egerint in præmissis. » Cap. *Si electio* 26, *de elect. et electi potest.*, in 6° et C. *Roman. Pontif.* 1873.

1243. Item non privatur suo jure eligendi Capitulum si intra octo dies non potuisset convenire, quia v. g. potestas sæcularis obsisteret.

« Si moriatur Vicarius à Metropolitano ex jure ad » ipsum devoluto constitutus, tunc potest Capitulum » novum eligere Vicarium infra octo dies, ut priùs, quia » pro primâ vice tantùm jus amisit. » Ita Barbosa, ap. D. Bouix, *ib.*, p. 589, qui ut certum tradit.

PUNCTUM XII.

QUOMODO PERAGI DEBEAT ELECTIO VICARII CAPITULARIS.

1244. 1° Quamvis ex cap. *Quia propter*, *de electione*, electio Episcopi, et ex Concil. Trident. (sess. 25, cap. 6, *de ref.*), electio Prælatorum et Officialium apud ordines religiosos fieri debeat per secreta vota, id tamen non est necessariò observandum in electione Vicarii Capitularis: « Cùm ista verè non sit electio, dicit Card. Luca, sed simplex deputatio, adeò ut alia non exigatur Superioris confirmatio. » Ita pariter S. Congr. Concil. à Garciâ relata, et Rota, apud D. Bouix *De Capitul.*, p. 593. Laudabiliter

autem adhibetur scrutinium secretum, de quo vide supra (389-411).

1245. 2° Etsi parum congruat humilitati quòd quis sibi votum tribuat, hujusmodi tamen votum in deputatione Vicarii Capitularis computari posse asserit D. Bouix (*ib.*, p. 594), et in probationem affert cap. *Cùm in jure*, *de electione*.

3° « Quando... ex Statutis vel consuetudine, Dignitates » omnia jura Canonicorum, etiam jurisdictionalia partici» pant, ad ipsos sicut ad cæteros Canonicos pertinet Vi» carii Capitularis electio; » secus nullum jus habent sese immiscendi in hujusmodi electione. — D. Bouix (*ibid.*, p. 596).

1246. — 4° Hic in memoriam revocandum quòd voce activâ in Capitulo careant, 1° nondum sacris ordinibus, vel ordine Canonicatui annexo insigniti; 2° suspensi, interdicti et irregulares; 3° excommunicati majori excommunicatione denuntiati.

1247. — 5° Vota, inquit Pignatellus (apud Bouix, *ib.*, p. 599), debent dari collegialiter et in Capitulo, ità ut non » sufficiat consensus posteà datus uti à singulis. » Ita etiam S. Congr. Episc., 18 nov. 1625; Rota et communiter Canonistæ.

6° Invalida esset electio si Capitulares inter se statuerent excludere talem vel talem, cæteroquin idoneum. Ita Pignatellus Rotam citans (Bouix, *ibid.*, p. 600).

1248. — 7° Si per mortem aut aliter remanerent pauci (imò etiam unicus) jus habentes suffragii, electio ab his paucis (vel ab uno unico) valida foret, quia « tunc Capitulum » consolidatur in non impeditis, etiam in paucis, quinimò » etiam in uno. » Ita Card. Luca, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 601).

8° Diximus supra quinam et quomodo vocandi sint electores (394-400); quisnam sufficiens votorum numerus (401-405); quatenus vocandi sint absentes et an valeant per procuratorem dare suffragium et an scriptis (397-400). Vide etiam infra dicenda (2373-2386).

1249. — 9° Factâ verò electione, Vicarius Capitularis statim exercere debet, etiam ante receptas patentes litteras,

quæ expediri tamen debent « ad probationem, non autem » ad substantiam vel perfectionem actûs, cùm nullo jure » cautum sit eas requiri de substantiâ, » inquit Card. Luca, apud D. Bouix, *ib.*, p. 604.

§ II.

Quomodò sese habeant ad invicem, quoad potestatem, Capitulum et Vicarius Capitularis.

1250. Sat diù post Tridentinam Synodum, communior viguit opinio jurisdictionem Capituli non necessariò transire totam ad Vicarium Capitularem, sed posse limitari sive quoad tempus sive quoad materias. Porrò ex illâ opinione fluebant varia consectaria à pluribus canonistis olim admissa; nempè Vicarium ad nutum Capituli esse revocabilem, tenerique eum rationem suæ administrationis reddere, quoties Capitulares exegissent; posse Capitulum constituere Officiales quibus Vicarii necessariò uti deberent, indigere Vicarium Capitularem mandato speciali, ad ea peragenda pro quibus indiget Vicarius Generalis, etc., etc. Sed cùm hodiè sit certum, ut suprà vidimus (1229-1231), jurisdictionem Capituli transire totam ad Vicarium Capitularem, nulloque modo eam posse limitari, nec quoad tempus nec quoad materias, plurima exinde sequuntur:

1251. — 1° Potestatem Vicarii Capitularis eamdem esse ac illam quam habebat Capitulum, primis octo diebus, posseque ipsum omnia quæ potest Episcopus, exceptis solùm quibusdam in jure expressis, quæ etiam ad Capitulum non pertinent nec pertinuerunt: unde sicut Capitulum poterat, ex ordinariâ Episcopi potestate, quemlibet canonicum judicare censurisque plectere, idem potest et Vicarius Capitularis.

2° Vicarium Capitularem esse potiùs Successorem Capituli, quàm ipsius Vicarium, et vocari Capitularem, non quia locum Capituli tenet, sed quia à Capitulo eligitur.

3° Non posse Vicarium à Capitulo revocari, cùm isti nulla remaneat auctoritas, saltem in exercitio.

4° Vicarium Capitularem non teneri reddere Capitulo rationem suæ administrationis ; quia Capitulum nullam sibi partem potuit retinere exercitii jurisdictionis Episcopalis.

5° Nequire Capitulum cognoscere de criminibus quibus accusatur Vicarius Capitularis ; posset tamen Vicarium admonere, et, si opus esset, ad legitimum tribunal querelas deferre.

6° In nullo casu Vicarium Capitularem indigere mandato speciali.

7° Non posse Capitulum constituere Officiales quibus teneatur uti Vicarius Capitularis et quos removere nequeat, etc.

Reverà quidem jurisdictio Episcopalis *in habitu* remanet in Capitulo post electionem Vicarii Capitularis, sicut in eodem, *in habitu*, remanebat vivente Episcopo; sed post electionem Vicarii, Sede vacante, non magis remanet in exercitio illa jurisdictio, quàm cùm plena Sedes erat.

§ III.

Quænam sit potestas Capituli aut Vicarii Capitularis.

1252. Quæ hìc sunt dicenda, in tria puncta distribuemus : In 1° tractabimus de extensione potestatis Capituli et Vicarii Capitularis in genere aut specie. In 2° expendemus utriusque potestatem quoad varia objecta in particulari. In 3° dicemus quomodo expiret eadem potestas.

PUNCTUM I.

DE EXTENSIONE POTESTATIS CAPITULI ET VICARII GENERALIS IN GENERE AUT SPECIE.

1253. Etsi à quibusdam asseratur, apud Reiffenstuel, lib. 3, t. 9, n° 22, quòd Capitulum Episcopo non succedat, nisi quoad ea quæ in jure reperiuntur Capitulis expressè concessa : tamen regula generalis sequens à Leu-

renio data (*Tract. de Capit., Sede vacante*, quær. 157), communiter a Canonistis admittitur, nempè : « Omnem » administrationem et jurisdictionem episcopalem ordinariam, tam in spiritualibus quàm in temporalibus, transire » ad Capitulum, Sede vacante, et ab eo exerceri posse, » exceptis iis quæ ipsum jus commune excipit, vel Pontifex » specialiter interdicit. » Unde patet ad multò plura extendi jurisdictionem Capituli et Vicarii Capitularis quàm Vicarii Generalis.

Hæc regula probatur ex multis capitulis juris canonici: solum capitulum *De majoritate et obedientiâ*, in 6°, hic referimus : « Episcopali Sede vacante, potest Capitulum seu » is ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis nosci- » tur pertinere, iis (quibus posset Episcopus si viveret) ab » excommunicationis sententiâ... absolutionis beneficium » impertiri, nisi fuerit à Sede Apostolicâ specialiter inter- » dicta potestas. » Ex quibus verbis deduci posse videtur tunc tantùm aliquid potestatis censeri debere Capitulo vel ipsius Vicario esse interdictum, quandò à Sede Apostolicâ specialiter interdicitur. Ergo, etc. Ita communiter.

1254. Pro regulâ generali adhuc est tenendum quòd Capitulum, Sede vacante, nihil possit innovare ac de juribus Episcopalibus diminuere (tit. *Ne Sede vacante*, cap. unicum, in 6°). Vide Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 7, § 75; Reiffenstuel, lib. 3, tit. 9, n^is^ 13-16. — Unde non potest alienare aut donare, cap. *Si quâ*, *de rebus*, 12, q. 2. Nec potest deducere jura Episcopi in judicium, etiam defendendo, ex cap. *Novit* 1, *ne Sede vacante;* neque potest consumere aut aliquo modo in proprios vel alienos usus convertere bona, Sede vacante, relicta Ecclesiæ, aut eo tempore collecta; si secus fecerit, remanet suspensus ab officio et beneficio. Ferraris, v° *Vicar. Capitul.*, art. 2, n° 55. Vide etiam Lequeux, n° 368, citantem Clement. *Statutum* 7, *de electione*.

1255. Deveniendo nunc ad varias species jurisdictionum, 1° DD. communiter admittunt totam jurisdictionem contentiosam transire ad Capitulum, proinde ad Vicarium Capitularem.

2° Tres sunt sententiæ circa jurisdictionem *voluntariam* seu *gratiosam*; alii cum Suarezio affirmant eam generaliter transire ad Capitulum; alii dicunt eam non transire nisi in casibus à jure expressis; alii tandem cum Fagnano negant absolutè illam transire.

Sententiam Suarezii probabiliorem habet Reiffenstuel (lib. 3, tit. 9, n° 25), solaque D* Bouix (*ib.*, p. 615) videtur niti solidâ ratione, cùm textus juris ex quibus regula generalis suprà relata deducitur, non distinguant inter jurisdictionem voluntariam et contentiosam.

1256.—3° Circa ea quæ Episcopo competunt ex privilegio, vel aliquo speciali jure, si agatur de privilegio non personæ Episcopi, sed ipsius Ecclesiæ vel Sedi permanenter affixo ex jure aut consuetudine, istud privilegium transit ad Capitulum, exceptis semper iis quæ à jure excipiuntur; si autem privilegium personæ Episcopi fuerit concessum, non transit ad Capitulum. Cf. App. X.

1257. — 4° Major est difficultas quoad ea quæ Episcopo competebant per delegationem. Vide supra (493-497).

Si ipsi competebant per delegationem transitoriam à S. Sede pro negotio particulari factam, communiter docent Canonistæ potestatem talia faciendi non transire ad Capitulum.

Si competebant per delegationem permanentem, sicuti in casibus, v. g., ubi Tridentina Synodus aliquid Episcopis permittit *tanquam delegatis S. Sedis*, tunc in varias abeunt sententias Canonistæ, prout videre est ap. D. Bouix (*De Capit.*, p. 616), qui pro praxi tenet Capitulum et Vicarium Capitularem posse hujusmodi jurisdictionem exercere, quia habens titulum coloratum potest uti jurisdictione probabili, dum Ecclesia in hoc casu id quod fortè deesset suppleat. — Vide infra dicenda (6C28).

1258.—5° Quamvis Capitulum non succedat Episcopo in exercitio functionum quæ sunt Ordinis Episcopalis, quippe requirunt caracterem Episcopalem, veruntamen ad Capitulum devolvitur jus eas exercendi per alium. Illud constat ex capitulo *Cùm nullus, de tempor. ordinat.*, in 6°, in quo legitur : « Cùm nullus Clericum parochiæ alienæ, præter

» Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, Sede va-
» cante, Capitulum seu is ad quem tunc temporis admi-
» nistratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt
» licentiam ordinandi. »

PUNCTUM II.

DE POTESTATE CAPITULI ET VICARII CAPITULARIS QUOAD VARIA OBJECTA IN PARTICULARI.

1259. Quærit. 1° An Capitulum et Vicarius Capitularis succedant Episcopo in iis quæ ei competunt specialiter ratione dignitatis?

Resp. Negativè cum communi: sic Vicario Capitulari non licet in itinere celebrare missam extra ecclesiam super altari portatili. V. Leuren. ap. Bouix (*ib.*, p. 621). Controvertitur autem utrum possit indulgentias concedere. Vide Bouix, *ib.*, p. 628; Devoti, lib. 1, tit. 3, sect. 7, § 75. Ab eis concedendis communiter in Galliis se abstinent Vicarii Capitulares, inquit Lequeux (n° 367).—V. Ferraris, V° *Vicar. Capit.*, art. n° 53, et infrà dicenda (1552).

1260. Quærit. 2° An, Sede vacante, Capitulum aut Vicarius Capitularis possit condere Statuta pro totâ diœcesi?

Resp. Affirmativè, dummodo illa Statuta neque Ecclesiæ neque juribus Episcopalibus justè acquisitis præjudicent. Ita Pirrhing (ap. Bouix, *ib.*, p. 622). — Illa autem Statuta non expirant, Sede occupatâ, sed tantùm revocari possunt à novo Episcopo.

1261. Quærit. 3° Quid Capitulum aut Vicarius Capitularis possit circa crimina?

Resp. Posse de iis inquirere, cognoscere causas etiam criminales, punire crimina et excessus, suspendere, excommunicare, privare officio, deponere et procedere etiam ad verbalem degradationem, non verò ad actualem et solemnem, quæ ex Conc. Trid. (sess. 13, c. 4), nonnisi per Episcopum fieri potest. V. Leuren. ap. D. Bouix (*ib.*, p. 625).

« Nec obstat, inquit Leuren., quòd Trid. (sess. 24, c. 20)
» causas matrimoniales et criminales Episcoporum tantùm
» examinationi... relinquat; nam per illa verba solùm exclu-

» duntur alii Prælati inferiores, non autem Capitulum, » quod, Sede vacante, non est inferius sed par Episcopo. »

Potest Vicarius Capitularis excommunicare, suspendere et interdicere singulas personas de Capitulo, non verò totum Capitulum. Decisum à S. Congreg. Concil. testatur Garcias, ap. Bouix (*ib.*, p. 626).

A censuris Papæ non reservatis, aut latis à se vel à Capitulo vel à defuncto Prælato absolvere potest, imò ab omnibus censuris sicut poterat Episcopus. Vide Reiffenst., lib. 3, tit. 9, n° 62, etc.

1262. Quærit. 4° Quid Capitulum aut Vicarius Capitularis possit quoad dispensationes?

Resp. Idem quod Episcopus: unde 1° in locis ubi receptum est Concil. Trident., potest dispensare super omnibus irregularitatibus occultis ex delicto contractis, homicidio voluntario excepto; 2° potest dispensare super interstitiis in casibus quibus dimissorias concedere valet; 3° potest dispensare cum illegitimis ad minores ordines promovendis; 4° idem potest in casibus, non solùm qui per se, sed etiam qui per accidens (nempe propter difficultatem adeundi Papam) sunt Episcopalis jurisdictionis. Ita Leuren., ap. Bouix, *ib.*, p. 627. Reiffenst., lib. 3, tit. 3, n^{is} 48-56.

1263. Quærit. 5° Potestne Capitulum aut Vicarius Capitularis litteras testimoniales et dimissorias concedere ad suscipiendos ordines [1]?

Resp. 1° Quoad litteras testimoniales, illas posse concedi à Capitulo, vel à Vicario Capitulari. Ita communiter.

1264. — 2° Quoad litteras dimissorias, sic habet Concil. Trident. (sess. 7, c. 10): « Non liceat Capitulis Ecclesiarum, » Sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi » licentiam aut litteras *dimissorias seu reverendas* (etiam » cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore) alicui, qui » beneficii occasione arctatus non fuerit, concedere: si » secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto... » Vide etiam sess. 23, cap. 10.

Potest tamen Vicarius Capitularis, ante elapsum annum

[1] De differentiâ inter testimoniales et dimissorias litteras, vide supra dicta (1009).

Sedis vacantis, expedire dimissorias quas defunctus Episcopus, nominatim concesserat, et morte præveniente non expedierat. S. C. Conc., 24 apr. 1700. Ita Ferraris, vº *Vicarius Capitularis*, art. 2, nº 51.

1265. Jure communi, ante Concil. Tridentin., poterat Capitulum dimissorias concedere absque temporis limitatione, etiam aliis quàm arctatis [1]; ad quod est attendendum in locis ubi receptum non est præfatum Concilium.

1266. Controvertitur autem utrum decretum modò relatum intelligendum sit etiam quoad primam tonsuram; communior sententia affirmat; D. Bouix tamen propendit in sententiam negantem, propter quamdam decisionem S. C. Conc. in quâ dicitur quòd, Sede Vacante, Vicarius Capitularis non prohibeatur dare dimissorias *ad primam tonsuram*.

1267. « Non posse autem, ait Bouix, *ib.*, p. 633, etiam » elapso primo anno, concedi à Vicario Capitulari dimis- » sorias ad titulum patrimonii vel pensionis, eò quòd illud » reservatum sit Episcopo (Trid., sess. 21, cap. 2), affir- » mat decisum à S. Congr. Conc. Garcias. »

1268. Dimissoriæ à Vicario Capitulari concessæ post annum, non expirant per ingressum novi Episcopi. Ita plures à Monacelli citati, ap. Bouix (*ib.*, p. 634).

1269. Concedentes litteras dimissorias contra dispositionem Conc. Trident., ab officio et beneficio ipso jure sunt suspensi per annum (Conc. Trid., sess. 23, c. 10). Vide Ferraris, vº *Ordo*, art. 3, nº 50, ubi dicit Vicarium Capitularem incurrere tantùm pœnam interdicti latam ab eodem Concil., sess. 7, c. 10.

1270. Quæri hìc subsidiariè potest an Capitulum vel Vicarius Capitularis valeat, ante elapsum annum, concedere dimissorias, non quibus possit obtinens ordines suscipere, sed quibus à jurisdictione sui Ordinarii absolvatur, seu an valeat litteras concedere apud nos dictas *Exeat* seu excorporationis?

[1] Arctati dicuntur ii, qui intra certum tempus, v. g. intra annum, arctantur ad ordines suspiciendos propter obtentum beneficium quod hujusmodi ordines exigat, puta parochiam, canonicatum.

Resp. De eâ quæstione sic habet Reiffenstuel (lib. 3, tit. 9, n° 76) : « Capitulum, Sede vacante, non concedit litteras... » quibus clericus absolvitur à potestate sui Episcopi, ac » perhibetur testimonium de vitâ et ordine ipsius : arg. c. » *Fraternitatis*, *de clerico non resid.*, in Glossâ, quia est » quædam alienatio. » Ita Fagnan., tom. 1, p. 509, n° 59; Lequeux, n° 367; *Revue des sciences ecclés.*, janv. 1862, n° 25, p. 33, et alii communiter. Secus tamen sentiunt plures ab auctore *Prælect. S. Sulpitii* citati, cui etiam satis fundata videtur illorum sententia, ita ut juxta illum, in praxim tutâ conscientiâ redigi possit, quando urget aliqua ratio gravis : quia, inquit, canones loquuntur de alienatione bonorum, non verò de alienatione personarum.

1271. Quærit. 6° Quid possit Capitulum aut Vicarius Capitularis circa approbationem confessariis dandam aut ab eis retrahendam ?

Resp. Communiter DD. affirmare quòd confessarii possint approbari à Capitulo vel à Vicario Capitulari, Sede vacante.

Item Capitulum aut Vicarius Capitularis sæculares confessarios potest ex causâ à se vel à defuncto Episcopo approbatos ad examen revocare, et si non adinveniantur idonei, reprobare.

Idem potest quoad regulares confessarios, nisi habeant privilegium in contrarium (Bouix, *De Capitulis*, p. 62). Attamen si regulares illimitatam approbationem à defuncto Episcopo recepissent, vel si tempus assignatum nondum fuisset elapsum, aut si approbatio data fuisset *ad beneplacitum*, tunc non posset Vicarius Capitularis eos, Sede vacante, ad examen revocare et minùs idoneos repertos ab audiendis confessionibus suspendere. Ita communiter, etsi aliquatenus disputetur de ultimâ hypothesi. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 251, et *De Regular.*, tom. 2, p. 246-250.

1272. Quærit. 7° An Capitulum aut Vicarius Capitularis causas arduas et imprimis matrimoniales causas cognoscere et expedire possit ?

Resp. Posse, juxta sententiam communem, causas criminales et de hæresi cognoscere et expedire.

Idem est dicendum de causis matrimonialibus quæ ordinariam jurisdictionem Episcopi non excedunt, non obstante eo quod dicitur in sess. 24, cap. 20 Concil. Trident., quo excluduntur duntaxat Prælati inferiores.

« Si tamen causæ sint ita arduæ ut, secundùm consue-
» tudinem ecclesiarum, solis Episcopis competere cense-
» antur (v. g. Synodi coadunatio), illas, extra casum ur-
» gentis necessitatis, non poterit Capitulum nec Vicarius
» Capitularis expedire, ut tradunt... Pirrhing et Layman. »
(D. Bouix, *De Capitul.*, p. 629, etc.)—Vide tamen infra dicenda (1275).

1273. Quærit. 8° An Vicarius Capitularis potestatem habeat diœcesim visitandi?

Resp. Id affirmare communem DD. sententiam, hocque non solùm ubi specialis exigit necessitas, sed etiam indistinctè, quemadmodum id valet Episcopus; hoc tanquam *certum* supponit S. Congr. Rit., 8 nov. 1848, « elapso
» (tamen) anno à die novissimæ visitationis peractæ ab
» ultimo Episcopo defuncto. » Nec etiam practicè negari potest, etsi aliqui de hoc dubitent, in casu quo nondum annus sit elapsus, cùm Vicarius omne illud possit quod Episcopo competebat, exceptis iis quæ à jure excipiuntur, et non constet hoc à jure excipi. Vide Bouix, *ib.*, p. 637.

1274. Quoad autem cæremoniale in hujusmodi visitatione observandum, et procurationem seu emolumenta à Vicario exigenda, vide eumdem (*ib.*).

S. Cong. C., 28 jul. 1708, in causâ *Ostunensi* rescripsit, Vicario Capitulari diœcesim visitanti deberi medietatem procurationum quæ Episcopo solvi consueverunt. Ita Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 8. Vide etiam D. Bouix, *De Capitulis*, p. 305.

1275. Quærit. 9° An Vicarius Capitularis possit Synodum celebrare?

Resp. Quamvis Synodi celebratio inter actus *valdè arduos* sit reputanda, sat communiter tamen auctores dicunt quòd si speraretur mox Synodum fore à futuro Episcopo

congregandam, et nulla cæteroquin urgeret necessitas, non teneretur quidem Vicarius illam congregare; sed si congreget, utatur jure suo; imò teneatur illam cogere si non speretur mox ab Episcopo fore coadunandam. Hæc omnia supponuntur à S. Congr. Conc. in Instructione datâ ad instantiam Capituli Toletani, anno 1577. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 641.

1276. Quærit. 10° Quid possit Capitulum aut Vicarius Capitularis circa beneficia?

Resp. Non posse illa conferre, Sede vacante, si eorum collatio ad solum Episcopum pertinebat : ita decrevit Bonifacius VIII, anno 1298, his verbis : « Etsi Capitulum, » Sede vacante, beneficia quæ ad collationem Episcopi » pertinent, conferre non possit, præsentatos tamen à » patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere » in beneficiis ad quæ fuerint præsentati; licet ad Episcopum, si superesset, admissio et institutio hujusmodi » pertineret. » Cap. *Etsi.*, *de Instit.*, in 6°.

Collatio beneficiorum quæ, Sede vacante, suo titulari orbantur, ad futurum Episcopum reservatur. Ubi tamen vigent Regulæ Cancellariæ, ad S. Pontificem reservantur ex regulâ 2ª.

Dictum fuit *si collatio ad solum Episcopum pertinebat* : enim verò si Capitulum simultaneè hanc collationem possidebat, prout possidet quoad Canonicatus, tunc Sede vacante, totum jus conferendi in capitulo consolidatur, ut omnes Canonistæ docent, nihilque Vicario Capitulari competit (Bouix, *ibid.*, p. 644).

De hâc ergo circumstantiâ intelligi non debet cap. *Illa, ne Sede vacante*, etc., ubi dicitur : « Nusquam invenitur » cautum in jure quòd Capitulum, Sede vacante, fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum, » sed tantùm de casu quo ad solum Episcopum collatio pertinebat.

1277. Supradicta responsio non impedit quominus in locis ubi non vigent regulæ Cancellariæ, Capitulum aut Vicarius Capitularis possit et debeat providere beneficiis vacantibus de idoneo Vicario et œconomo qui ea administret, dato ei congruo stipendio donec à competente auctoritate hujus-

modi beneficia conferantur. Sed nec Capitulum nec Vicarius Capitularis potest omnes fructus beneficii pro stipendio assignare, nec deputare in Vicarium illum qui in concursu pro eâdem parochiâ magis idoneus judicatus fuit. S. Congr. Conc., apud Fagnanum à D. Bouix relatum (*ib.*, p. 645).

1278. In Galliâ, à tempore Concordati 1801 usque ad præsentem ætatem, consueverunt Capitula et consequenter Vicarii Capitulares reservare futuro Episcopo nominationem Canonicatuum vacantium et parochiarum propriè dictarum, excepto fortè casu quo Sedes Episcopalis per plures annos vacaverit. Ita auctor *Prælect. S. Sulpitii.* Attamen Gubernium recognoscit in Vicariis Capitularibus potestatem nominandi etiam ad parœcias quæ *inamovibiles* nuncupantur. Vide André, v° *Chapitre*, § 2.

1279. Vicarius autem Capitularis, Sede vacante, potest circa concursum pro beneficiis parochialibus, peragere omnia quæ potest Episcopus usque ad electionem inclusivè, non verò usque ad Collationem. Id eruitur ex formulà S. Congr. Conc. anni 1577, quæ legi potest ap. D. Bouix, *ibid.*, p. 648. Vide etiam Ferraris, v° *Vicarius Capitularis*, art. 2, n° 16.

1280. « Quant au Chapitre de la Cathédrale, inquiunt » *Analecta juris pontif.* (juill. 1855, col. 1522), le sen- » timent commun est qu'il peut, *Sede vacante*, admettre » les résignations, excepté les bénéfices dont l'Évêque a la » libre collation... Le Chapitre peut donc admettre la rési- » gnation des bénéfices de patronage, avec le consen- » tement des patrons. »

PUNCTUM III.

QUOMODO EXPIRET POTESTAS CAPITULI ET VICARII CAPITULARIS

1281. « Hodie..., inquit Leurenius (ap. Bouix, *De Capit.*, » p. 653), post Extrav. *Injunctæ, de electione*, non ante » cessat Sedis vacatio, quàm Confirmationis, Institutionis » et Provisionis... Apostolicæ Litteræ sint expeditæ, et actua- » liter præsentatæ ipsi Capitulo. »

Tenor Extrav. *Injunctæ* legi potest supra (384) : hic ad

denda sunt tantùm sequentia verba, quæ præsenti materiæ magis congruunt : « Capitula verò et Conventus Ecclesia-
» rum et monasteriorum ipsorum, ipsos absque hujus-
» modi dictæ Sedis litteris recipientes vel obedientes eis-
» dem, tamdiu sint à beneficiorum suorum perceptione
» suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam me-
» ruerint obtinere. »

Hæc Decretalis pro jure communi habetur : unde cavendum est, ait Leurenius ap. D. Bouix (*ib.*, p. 655), à paucis quibusdam auctoribus qui, ante ostensas Capitulo litteras, jurisdictionem Episcopo confirmato attribuunt.

1282. Diximus supra (376-381) quòd electus, præsentatus aut nominatus ad prælaturam, nullo titulo possit, absque privilegio, sese ingerere ipsius administrationi, ante obtentam à S. Apostolicâ institutionem : proinde Capitulum et Vicarius Capitularis repellere ut intrusum deberent eum qui, nominatus tantùm à Gubernio, tentaret apprehendere possessionem, ut talem quoque deberent denuntiare populo, et rem promptè deferre ad S. Sedem. Vide Bouix (*ib.*).

1283. Cessare insuper potest jurisdictio Vicarii Capitularis per ipsius dimissionem à Capitulo acceptatam; tuncque alius à Capitulo deputari potest. Sed ambigitur an, casu quo plures Vicarii fuerint deputati, et unus ex eis renuntiat, cæteris remanentibus, alius etiam in locum renuntiantis, possit à Capitulo subrogari : affirmat auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 185), casu quo hæc subrogatio bono diœcesis necessaria existimatur; nobis tamen potiùs amplectenda videtur sententia negans : quia Capitulum non habet jus eligendi Vicarios, nisi in casibus quibus ipsi devolvitur diœcesis administratio; undè si Vicarius aut Vicarii superstites administrationi diœcesis impares videntur, ad Sedem Apostolicam est recurrendum.

1284. Quærit. 1° Quomodo Capitulum et Vicarius Capitularis teneantur novo Episcopo rationem reddere suæ administrationis?

Resp. Ad hoc tenentur etiam sub gravi : « Quia, inquit
» Monacelli (ap. Bouix *ibid.*, p. 657), Concil. Trident.

» supra relatum (1213) non consulit aut hortatur Episco-
» pum ut recipiat rationem administrationis officii à Vi-
» cario et aliis Officialibus Capituli, sed ei præcipit et
» imperat illis verbis, *rationem exigat*; et per consequens
» Episcopus, scienter omittens id facere contra præceptum
» Concilii, non est immunis à culpâ mortali. » Ita etiam Ferraris, v° *Episcopus*, art. 6, n[is] 13 et 14. Vide formulas adhibendas ad puniendum Vicarium Capitularem qui deliquisset, ap. D. Bouix (*De Capitul.*, p. 688, etc.).

1285. Quærit. 2° An ad Capitulum aut Vicarium Capitularem pertineant mulctæ et alia emolumenta, Sede vacante, obvenientia?

Resp. 1° Quoad mulctas, sequens dubium propositum fuit S. Congr. Concilii : « An Vicario Capitulari liceat
» pœnas et mulctas pecuniarias in usus proprios conver-
» tere, seu potiùs teneatur omnes piis locis applicare? Et
» rescriptum fuit : Vicarium Capitularem non posse pœnas
» et mulctas in usus proprios convertere, sed integras locis
» piis debere applicare.

1286. » 2° Quoad alia emolumenta, Sede Episcopali va-
» cante, obvenientia ex jurisdictione, sigillo, aut aliis unde-
» quâque, neque ad Capitulum neque ad ejus Vicarium
» spectare, sed debere futuro Successori reservari, si ad
» Episcopum, Ecclesiâ non vacante, pertinuissent. Ex his
» tamen emolumentis deducendum esse salarium ratio-
» nabile Vicario... persolvendum. » Ita decrevit eadem S. Congr., 11 julii 1626, ap. Bened XIV, *De Synod.*, libr. 10, cap. 10. Vide dicta supra (1073).—Quoad præcedentiam Vicarii Capitularis, vide dicta (630).

FINIS TOMI PRIMI.

APPENDICES

APPENDIX I.

EXCERPTA E CONSTIT. QUANTA CURA

Pii IX, 8 Dec. 1864, et *Syllabo* eidem adnexo.

SYLLABUS

Complectens præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis, aliisque Apostolicis litteris SS^mi D. N. Pii Papæ IX.

§ V.

Errores de Ecclesia ejusque Juribus.

19. Ecclesia non est vera perfectaque Societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

(Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 jun. 1862.)

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu.

(Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 septembris 1861.)

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi Religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram Religionem.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

22. Obligatio qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti Fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.)

23. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

24. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

25. Præter potestatem Episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856. — Epist. Encycl. *Incredibili*, 17 decembris 1863.)

27. Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura sunt omnino excludendi.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

29. Gratiæ a Romano Pontifice con essæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

30. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

(Alloc. *Acerbissimum*, 21 septembris 1852. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

32. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in Societate ad formam liberioris regiminis constituta.

(Epist. ad Episc. Montis Regal. *Singularis Nobisque*, 20 sept. 1864.)

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.)

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

35. Nihil vetat alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.)

36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

37. Institui possunt nationales Ecclesiæ, ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

(Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860. — Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.)

38. Divisioni Ecclesiæ in Orientalem atque Occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

§ VI.

Errores de Societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

39. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

40. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ Societatis bono et commodis adversatur.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.)

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit, nedum jus quod vocantur *exequatur*, sed etiam jus appellationis, quam nuncupant *ab abusu*.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

42. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.)

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*), super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea *reclamante*.

(Alloc. *In consistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.)

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

(Alloc. *In consistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

(Alloc. *In consistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 septembris 1851.)

46. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

47. Postulat optima civilis Societatis ratio ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis, et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

(Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 julii 1864.)

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primarium spectet.

(Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 julii 1864.)

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

50. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

51. Imo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

52. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis Familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

53. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem Familias, perinde ac Collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia, etiam juris-patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

(Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. — Alloc. *Probe memineritis*, 22 januarii 1855. — Alloc. *Cum sæpe*, 26 julii 1855.)

54. Reges et principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

55 Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia sejungendus est.

(Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

58. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862. — Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 10 augusti 1863.)

59. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

61. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

(Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.)

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant *de non interventu*.

(Alloc. *Novos et ante*, 28 septembris 1860.)

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Quisque vestrum*, 4 octobris 1847. — Epist. Encycl. *Noscitis* et *Nobiscum*, 8 decembris 1849. — Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 martii 1860.)

64. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est reprobanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id patriæ amore agatur.

(Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.)

§ VIII.

Errores de Matrimonio christiano.

65. Nulla ratione ferri potest Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

67. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in

variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi; sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

69. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

70. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium: falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851. — Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna, 9 septembris 1852. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.)

74. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cælibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846; posterior in Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

(Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.)

N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 maii 1850; in Litt. Apost. *Cum Catholica Ecclesia*, 26 martii 1860; in Alloc. *Novos*, 28 septembris 1860; in Alloc. *Jamdudum*, 18 martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

77. Ætate hac nostra, non amplius expedit Religionem catholicam haberi tanquam unicam Status Religionem, cæterisque quibuscumque cultibus exclusis.

(Alloc. *Nemo vestrum*, 26 julii 1855.)

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

(Alloc. *Acerbissimam*, 27 septembris 1852.)

79. Enim vero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo, et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

(Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.)

ADDENDA

Ex Encyclica *Quanta cura* Pii IX, 8 decembris 1864.

Præter præfatas propositiones, aliæ memorandæ sunt quas in Encyclica *Quanta cura* recensuit Pius IX : eorum nempe hominum qui docent :

1° Optimam Societatis publicæ rationem, civilemque progressum omnino requirere ut humana Societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

2° Optimam esse conditionem Societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ Religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3° Libertatem conscientiæ et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte con-

stituta Societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem, nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque, sive voce, sive typis, sive alia ratione, palam publiceque manifestare ac declarare valeant.

4° Voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam; et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.

5° Auferendam esse civibus et Ecclesiæ facultatem *qua eleemosynas, christianæ charitatis causa, palam erogare valeant*, ac de medio tollendam legem *qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur*.

6° Societatem domesticam seu familiam totam suæ existentiæ rationem a jure duntaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandæ.

7° Clerum, utpote vero utilique scientiæ et civilitatis progressus inimicum, ab omni juventutis instituendæ educandæque cura et officio esse amovendum.

8° Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; — acta et decreta Romanorum Pontificum, ad Religionem et Ecclesiam spectantia, indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; — Constitutiones apostolicas quibus damnantur clandestinæ Societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclæ et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili Gubernio; — excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum duntaxat bonum prosequendum; — Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium : Ecclesiæ jus non competere violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi; conforme esse sacræ theologiæ jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quæ ab ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere et vindicare.

9° Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.

10° Illis Apostolicæ Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura, ad disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicæ professionis jactura.

De quibus autem propositionibus sic statuit Pontifex :

« Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce » litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus » proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino » haberi volumus et mandamus. »

APPENDIX II.

Constitutio APOSTOLICÆ SEDIS qua limitantur censuræ latæ sententiæ

IV. Idus Oct. 1869.

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro jampridem revolveremus ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ, ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam, sancte per singulas ætates inductæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus, dubietates angoresque conscientiæ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ

per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes easdem, non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ.

Itaque excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes; necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare ejusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.

7. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes, vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes Vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentia.

12. Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari : et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusve personis etiam regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint. [Adde exc. latam a Const. *Romanus Pontifex*, infra.]

Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

1. Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est à Benedicto XIV, in Const. *Suprema*, 7 julii 1745; *Ubi primum*, 2 junii 1746; *Ad eradicandam*, 28 septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos vel utriusque sexus monachos : exceptis, quoad reservationem, casibus et personis de quibus jure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectæ *Massonicæ*, aut *Carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine, machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes (sic mandatum a S. Officio 1 Febr. 1871).

6. Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam à S. Pio V in Const. *Decori* præscriptam [1].

7. Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem.

11. Omnes qui, quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur constitutione S. Pii V. *Quam plenum*, 2 januarii 1570.

12. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos*, quarto Kalendas aprilis 1567; Innocentii IX, *Quæ ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 junii 1592; et Alexandri VII, *Inter cæteras*, nono Kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ-Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris cœmeteriis sive catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum per-

1. Agitur hic de violatione clausuræ papalis.

sonis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus :

1. Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes ; necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

2. Procurantes abortum, effectu secuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes. [Adde laicos turpe mercimonium exercentes circa eleemosynas missarum T. III. app. III.]

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ subjacere declaramus :

1. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii ; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes ; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.

3. Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ*, *De rebus Eccles. non alienandis.*

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis à Prædecess. Nostris Gregorio XV, Const. *Universi*, 20 augusti 1622, et Benedicto XIV, Const. *Sacramentum pœnitentiæ*, 1 junii 1741.

Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici [1] aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis pœna in Decreto sess. IV, *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

1. Concilium Tridentinum hunc sequentem casum Summo Pontifici reservat :

« Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate etiam imperiali « aut regali præfulgeat, tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut « alicujus sæcularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum « locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, « fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones quæ in ministrorum et paupe-

« rum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu « etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut « quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præ- « sumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is ana- « themati tamdiu subjaceat quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et red- « ditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione sup- « positæ personæ pervenerint, Ecclesiæ ejusque administratori, sive beneficiato inte- « gre restituerit, ac deinde à *Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.* » (Sess. 22, c. 11, *De reform.*)

Præter hanc excommunicationem Summo Pontifici a Tridentino reservatam, latæ sunt ipso facto ab eodem sequentes quæ Papæ non reservantur :

1. In raptores mulierum ac in omnes qui illis consilium, auxilium et favorem præbent. (Sess. 24, c. 6, *De reform. matrim.*)

2. « Anathemati S. Synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque « qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, sæculares vel regulares, « atque etiam qualibet dignitate fungentes, quomodocumque coegerint mulierem invi- « tam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad « suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem ; « quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte « ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo « modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint ». (Sess. 25, cap. 18, *De regular.*, etc.).

3. « Simili quoque anathemati subjicit (S. Synodus) eos qui sanctam virginem, « vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo « sine justa causa impedierint.... Ab his... excipiuntur mulieres quæ pœnitentes aut « convertitæ, appellantur ; in quibus constitutiones earum serventur. » (Sess. 25, « c. 18, *De regul.*)

4. « Præcipit S. Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis « existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe « vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matri- « monia contrahant » (sess. 24, c. 9, *De reform. matrim.*).

5. Qui docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit non esse necessario præmittendam confessionem sacramentalem, ad sumendum Eucharistiæ sacramentum ab iis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque contritos se esse existimaverint, eo ipso excommunicatur (sess. 13, c. 11).

6. S. Synodus magistratibus sæcularibus sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, injungit, ut juvent Episcopos, si ab eis sint requisiti, ad restituendam vel conservandam clausuram monialium (sess. 25, c. 5, *De regular. et monial.*).

7° Ipso facto excommunicantur, qui negant matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, quamdiu Ecclesia irrita non fecit, rata et vera matrimonia fuisse. Item asserentes matrimonia a filiis-familias sine parentum consensu contracta, irrita esse (sess. 24, c. 1, *De reform. matr.*)

8° Excommunicatio, de qua mentio fit sess. IV Conc. Trid., ad sequentes terminos reducitur per Const. *Apostolicæ Sedis :* huic anathematis pœnæ *illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.*

Nota. A Pio IX servatæ tantum videntur censuræ, quæ a Tridentino ipso facto proprie fuerunt illatæ ; non vero quæ ab eodem, Concilio fuerunt tantum innovatæ. Ita Avanzini, ap. *Compendium* Thomas ex Charmes, p. 660, edit. 1872.

Suspensiones latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus ecclesiarum et monasteriorum, aliique omnes qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici sæculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis, ad beneplacitum S. Sedis, ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes, ab usu pontificalium per annum.

Sacerdotes et clerici turpe mercimonium exercentes circa stipendia missarum. Cf. T. III, app. III.] [1].

1. His suspensionibus sequentes sunt adjiciendæ a Tridentino extractæ, quæ tamen non reservantur S. Sedi :

1. Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur : quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per

Interdicta latæ sententiæ reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus [1].

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis sive interdicti Nostris aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus, præter eas quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo vigore persliterunt, sive pro Romani Pontificis electione [2] sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum regularium [3], necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, cœtuum locorumque piorum, cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus (sess. 23, c. 8. *De reform.*).

2. Clerici non arctati ratione beneficii ipso jure suspensionem ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, si, infra annum Sedis vacantis, majorem ordinem recipiant cum licentia Capituli, aut alterius cujuscumque, ipsius loco (sess. 7, c. 10, et sess. 23, c. 10, *De reform.*).

3. Episcopi concubinarii, si a synodo provinciali moniti, ab hujusmodi crimine non se abstinuerint, ipso facto sunt suspensi (sess. 25, c. 14, *De reform.*).

4. Episcopus qui pontificalia exercet in alterius diœcesi, etiam erga proprios subditos, sine Ordinarii loci expressa licentia, ipso jure ab exercitio pontificalium suspenditur, et sic ordinati suspenduntur ipso facto ab executione ordinum (sess. 6, c. 5, *De reform.*).

5. Si parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contingat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonium conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonium interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur (sess. 24, c. 1, *De reform.*).

1. Vide notam præcedentem.

2. Vide supra (427).

3. *Excommunicationes contra regulares reservatæ juxta Ferraris.*

I.

Contra euntes ultra mare sine licentia Papæ.. (Extrav. *Ad nostram, de regul.*)

Cæterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quæ vero privilegia aut facultates, sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi,

II.

Contra mendicantes transeuntes ad non mendicantes. (Extrav. *Viam ambitiosæ, de regular.*)

III.

Contra Superiores non denuntiantes religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus vel Ordinariis locorum. (Paul. V. Const. *Romanus Pontifex.*)

IV.

Contra claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. (Jul. II. Constit. *Virtute conspicuos.*)

V.

Contra tertiarios portantes habitum Minorum. (Leo X. Const. *Licet alias*).

VI.

Contra clericos regulares Societatis Jesu discedentes sine licentia a Societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem; eorumque receptores, Carthusianis exceptis. (Greg. XIII, Const. *Ascendente.*)

VII.

Contra Minimos subtrahentes se ab observantia correctorum. (Paul. III, Const. *Cum sicut.*)

VIII.

Contra subornantes et procurantes vota in electionibus, et complices, ac simpliciter scientes et non revelantes (Clem. VIII, Const. *Nullus omnino.*)

IX.

Contra moniales exeuntes de clausura absque licentia. (Pius V, Const. *Decori.*)

X.

Contra dantes et recipientes ob ingressum Religionis. (Extr. comm. 1, *De Simonia.*)

XI.

Contra absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ *Cœnæ*, vel Ordinariis reservatis. (Decret. S. C. Episc. et Regul. a Clemente VIII approbatum 1602.)

Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessa fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus comprehensis vel non in corpore juris aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis : quibus omnibus quatenus opus sit derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam sess. 24, c. 6, *De reform.* in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnes et singulas, quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus Constitutionibus Prædecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicæ Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque præeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari a definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, necnon consuetudinibus quibusvis, etiam immemorialibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, volun-

XII.

Contra regulares qui aliquam pecuniæ summam a parentibus novitii exigunt pro convivio occasione vestitionis aut professionis faciendo. Extrav. *Sane*, *De Simonia*. (Ferrar. v *Novitiatus*, n° 63.)

Quædam aliæ adjici possent. Vide infra (2833).

Legi possunt, apud eumdem Ferraris, art. 4, aliæ excommunicationes contra regulares, quas hic omittimus eo quod non sint reservatæ.

De aliis censuris contra regulares latis agitur passim in decursu totius Manualis (6599).

tatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1869 IV Idus octobris, Pontificatus Nostri anno XXIV,

MARIUS Card. MATTEI, Pro-Datarius.

Loco ✠ Plumbi. N. Card. PARRACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia. Dominicus Bruti Cugnoni.

APPENDIX III.

CONSTITUTIO DOGMATICA PRIMA DE ECCLESIA CHRISTI,

Edita in sess. quarta SS. œcum. Concilii Vaticani.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, SACRO APPROBANTE CONCILIO, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastor æternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis suæ opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt [1]. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre : ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem sæculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohærentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa, in fidei et communionis unitate conservaretur. Beatum Petrum cæteris Apostolis præponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem æternum exstrueretur templum, et Ecclesiæ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret [2]. Et quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos itaque ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, sacro approbante Concilio, necessarium esse judicamus, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiæ fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe

1. Cf. Joan. XVII. 1. 20 sq.
2. S. Leo M. serm. IV. (al. III.) cap. 2. in diem Natalis sui.

Beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Ad unum enim Simonem, cui dixerat : Tu vocaberis Cephas [1], postquam ille suam confessionem edidit : Tu es Christus, Filius Dei vivi, locutus est Dominus : Beatus es Simon Bar-Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis [2]. Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens : Pasce agnos meos : Pasce oves meas [3]. Huic tam manifestæ sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravæ eorum sententiæ, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum præ cæteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum ; aut qui affirmant eumdem primatum non immediate, directeque ipsi Beato Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiæ ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, Beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput ; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse ; anathema sit.

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

Quod autem in Beato Apostolo Petro Princeps pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli enim dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, qui a Domino nostro Jesu Christo et Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus episcopis sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ, ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet et judicium exercet [4]. Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem

1. Joan. I. 42.
2. Matth. XVI. 16–19.
3. Joan. XXI. 15-17.
4. Cf. Ephesini Concilii Act. III. et S. Petri Chrysol. ep. ad Eutych. presbyt.

primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et Beatus Petrus, in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit [1]. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper erat omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandæ communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent [2].

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut Beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse Beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

Quapropter apertis innixi sacrorum litterarum testimoniis, et inhærentes tum Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus œcumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ, per totum orbem diffusæ, pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus

1. S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3.
2. S. Iren. Adv. hær. l. III. c. 3. et Epist. Conc. Aquilei. a. 381. ad Gratian. Imper. c. 4. Cf. Pius VI Breve *Super soliditate*.

grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut hæc Summi Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt[1], tanquam veri Pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, dicente sancto Gregorio Magno : Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur[2].

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium[3], et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse judicium recurri[4]; Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio[5]. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

1. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4.
2. S. Gregor. M. ad Eulog. Alexandrin. ep. XXX.
3. Pii PP. VI Breve « Super soliditate » d. 28. Nov. 1786.
4. Concil. Œcum. Lugdun. II.
5. Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhærendo, hanc solemnem ediderunt professionem : Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [1], hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas [2]. Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Græci professi sunt : Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino, in Beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique concilium definivit : Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse [3].

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Prædecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem [4], et antiquæ regulæ formam sequentes [5], ea

1. Matth. XVI. 18.
2. Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Hadriano II Patribus Concilii Œcumenici VIII, Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.
3. Cf. Joan. XXI. 15-17.
4. S. Cyr. Alex. ad S. Cœlest. P.
5. S. Innoc. I. ad Conc. Carth. et Milevit.

præsertim pericula, quæ in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum [1]. Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis Conciliis, aut rogata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quæ divina suppeditabat Providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quæ sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adjutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem, discipulorum suorum principi factam : Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [2].

Hoc igitur veritatis et fidei non deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, cœlestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa ætate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant, necessarium omnino esse censemus, prærogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicæ exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus : Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit.

1. Cf. S. Bern. Epist. 190.
2. Cf. S. Agathon. epist. ad Imp. a Conc. œcum. VI. approbata.

APPENDIX IV

EXCERPTA EX CONST. ***Romanus Pontifex***, 28 ***Aug.*** 1873, SUPER VICARIIS CAPITULARIBUS, NEC NON ELECTIS ET NOMINATIS AD SEDES EPISCOPALES VACANTES.

.....Hujusmodi vero decretum (nempe Conc. Trid., *sess*. 24, *cap*. 16 *de ref*. circa constitutionem Vicarii capitularis, varie interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam enim censuerunt posse Capitulum in constituendo Vicario aliquam jurisdictionis partem sibi reservare ; alii putaverunt fas esse Capitulo ad certum tempus Vicarium deputare ; nec defuerunt qui arbitrati sunt licere Capitulo Vicarium pro arbitrio removere et alium substituere.

Recensitæ scriptorum sententiæ a nonnullis Capitulis libenter exceptæ sunt ; quo factum est ut in hac re tam magni momenti disciplinæ uniformitas deficeret, et Tridentinum Decretum optatum finem plene non attingeret. Quamvis autem SS. Urbis Congregationes has sententias suis responsis in casibus occurrentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex earum responsis manifeste appareat quæ fuerit mens Patrum Tridentinorum in edendo decreto superius relato; attamen, cum nondum omnia ubique ad eam mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum, iisdem responsis et declarationibus Apostolicæ auctoritatis robur adjiciendum censemus. Quocirca motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, declaramus et decernimus : totam ordinariam Episcopi jurisdictionem quæ vacua sede episcopali ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire ; nec ullam hujus jurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere, multoque minus removere, sed eum in officio permanere quousque novus Episcopus Litteras Apostolicas de collato sibi episcopatu, Capitulo, juxta Bonifacii VIII Prædecessoris Nostri Constitutionem [1], vel Capitulo deficiente, ei exhibuerit, qui, ad normam SS. Canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem diœcesim administrat, vel ejusdem administratorem, seu Vicarium deputat.

Quamobrem pro nullis habendæ sunt limitationes, seu quoad jurisdictionem, seu quoad tempus, adjectæ a Capitulo electioni Vicarii Capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium semel sibi rite collatum, toto tempore quo sedes episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam jurisdictionem episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus canonicæ suæ institutionis Litteras, ut diximus, exhibeat.

Hac autem occasione declaramus etiam et decernimus ea quæ a

1. Extravag. *Injunctæ*, de electione, inter communes.

Gregorio X, Decessore Nostro, in Concilio Lugdunensi II de electis a Capitulis constituta sunt [1], comprehendere etiam nominatos et præsentatos a supremis publicarum rerum moderatoribus, sive imperatores sint, sive reges, sive duces, vel præsides et quomodocumque nuncupentur, qui ex S. Sedis concessione, seu privilegio, jure gaudent nominandi et præsentandi ad sedes episcopales in suis respectivis ditionibus vacantes; abolentes idcirco, cassantes, et penitus annullantes usum, seu potius abusum, sub quovis titulo, vel prætenso et asserto privilegio, quæsito colore et quacumque causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam regnis seu regionibus præsertim longinquis inventum, quo Capitulum ecclesiæ cathedralis vacantis, obsequens invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremæ civilis potestatis, concedere et transferre præsumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et præsentatum ad eamdem ecclesiam illius curam, regimen et administrationem, eamque nominatus et præsentatus, sub nomine Provisoris, Vicarii generalis, aliove nomine gerendam suscipit ante exhibitionem litterarum Apostolicarum, uti superius dictum est, de more faciendam, remoto proinde Vicario Capitulari, qui ex juris dispositione toto tempore vacationis ecclesiæ eam administrare ac regere debet. Confirmantes autem alia etiam Decessorum Nostrorum, et præsertim sa. me. Pii VII Decreta et dispositiones, declaramus et decernimus, ut si interea Vicarius Capitularis decesserit, aut sponte sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, tunc Capitulum, vel Capitulo deficiente, qui potestatem habet deputandi vacantis Ecclesiæ administratorem, seu Vicarium, novum quidem Vicarium, vel administratorem eligat, nunquam vero electum in episcopum a Capitulis, aut a laica potestate nominatum seu præsentatum ad dictam ecclesiam vacantem, cujus electionem ac deputationem, si eam Capitulum, vel alius, uti supra, peragere præsumpserit, cassamus, annullamus et omnino irritam declaramus.

Confidimus autem Dignitates et Canonicos cathedralium ecclesiarum vacantium, ac illos qui, deficientibus Capitulis, vicarios deputant, aut vacantes ecclesias legitime administrant, plene exsequuturos quæ hisce Nostris Litteris declarata et decreta sunt; ubi vero, quod Deus avertat, ea exequi detrectaverint, ac concedere et transferre in nominatum et præsentatum ad eamdem ecclesiam ejus curam, regimen et administrationem, sub quovis titulo, nomine, quæsito colore ausi fuerint, præter nullitatem jam decretam prædictæ concessionis et translationis, præfatos canonicos ac Dignitates excommunicationis majoris necnon privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque, aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis pœnis innodamus, et innodatos fore decernimus, et

1. Cap. *Avaritiæ*, de electione, in 6°.

declaramus ; ipsarumque pœnarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Rômano Pontifici pro tempore existenti duntaxat specialiter reservamus.

In easdem pœnas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et præsentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis aliisque, de quibus supra, in eos peractam, necnon ii qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint, cujusque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint.

Præterea nominatos, et præsentatos jure quod eis per nominationem et præsentationem forte quæsitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

Si vero aliqui ex prædictis Episcopali charactere sint insigniti, in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

Insuper quæcumque a sic nominatis et præsentatis in administratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur et ordinentur, cum omnibus et singulis inde quovis modo sequutis et quomodocumque sequuturis, omnino nulla, invalida, inania, irrita et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto præsumpta, nulliusque valoris, momenti, et efficaciæ esse, et perpetuo fore, tenore præsentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus......

APPENDIX V

SS. D. N. LEONIS PAPÆ XIII EPISTOLA ENCYCLICA « *Diuturnum* », 29 JUNII 1881, DE POTESTATIS CIVILIS ORIGINE [1].

Diuturnum illud teterrimumque bellum, adversus divinam Ecclesiæ auctoritatem susceptum, illuc, quo proclive erat, evasit ; videlicet in commune periculum societatis humanæ, ac nominatim civilis principatus, in quo salus publica maxime nititur. — Quod hac potissimum ætate nostra factum esse apparet. Cupiditates enim populares quam-

1. Inter præstantissimas SS. D. N. Leonis Papæ XIII Epistolas Encyclicas, duas tantum seligimus et hic adjicimus, quippe quæ propius ad jus publicum ecclesiasticum accedant : nempe, Encyclica *Diuturnum*, 29 junii 1881, de potestatis civilis origine ; Encyclica *Immortale Dei*, 1 nov. 1885, de civitatum constitutione christiana. Utiliter tamen consuli poterunt et aliæ, præsertim : *Quod apostolici*, 28 dec. 1878, de erroribus modernis ; *Libertas præstantissimum*, 20 jan. 1888, de libertate humana ; *Sapientiæ christianæ*, 10 jan. 1890, de præcipuis civium christianorum officiis.

libet imperii vim audacius hodie recusant, quam antea : et tanta est passim licentia, tam crebræ seditiones ac turbæ, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata sæpe obtemperatio, sed ne satis quidem tutum incolumitatis præsidium relictum esse videatur. Diu quidem data est opera, ut illi in contemptum atque odium venirent multitudini, conceptæque flammis invidiæ jam erumpentibus, satis exiguo intervallo summorum principum vita pluries est aut occultis insidiis aut apertis latrociniis ad internecionem expetita. Cohorruit tota nuper Europa ad potentissimi Imperatoris infandam necem : attonitisque adhuc præ sceleris magnitudine animis, non verentur perditi homines in ceteros Europæ principes minas terroresque vulgo jactare.

Hæc, quæ sunt ante oculos, communium rerum discrimina gravi Nos sollicitudine afficiunt, cum securitatem principum et tranquillitatem imperiorum una cum populorum salute propemodum in singulas horas periclitantem intueamur. — Atqui tamen religionis christianæ divina virtus stabilitatis atque ordinis egregia firmamenta reipublicæ peperit, simul ac in mores et instituta civitatum penetravit. — Cujus virtutis non exiguus neque postremus fructus est æqua et sapiens in principibus et populis temperatio jurium atque officiorum. Nam in Christi Domini præceptis atque exemplis mira vis ad continendos tam qui parent, quam qui imperant officio, tuendamque inter ipsos eam, quæ maxime secundum naturam est, conspirationem et quasi concentum voluntatum, unde gignitur tranquillus atque omni perturbatione carens rerum publicarum cursus. — Quapropter cum regendæ Ecclesiæ catholicæ, doctrinarum Christi custodi et interpreti, Dei beneficio præpositi simus, auctoritatis Nostræ esse judicamus, Venerabiles Fratres, publice commemorare quid a quoquam in hoc genere officii catholica veritas exigat; unde illud etiam emerget, qua via et qua ratione sit in tam formidoloso rerum statu saluti publicæ consulendum.

Etsi homo arrogantia quadam et contumacia incitatus frenos imperii depellere sæpe contendit, nunquam tamen assequi potuit ut nemini pareret. Præesse aliquos in omni consociatione hominum et communitate cogit ipsa necessitas; ne principio vel capite a quo regatur, destituta societas dilabatur et finem consequi prohibeatur, cujus gratia nata et constituta est. — Verum si fieri non potuit ut e mediis civitatibus politica potestas tolleretur, certe libuit omnes artes adhibere ad vim ejus elevandam, majestatemque minuendam : idque maxime sæculo XVI, cum infesta opinionum novitas complures infatuavit. Post illud tempus non solum ministrari sibi libertatem largius, quam par esset, multitudo contendit; sed etiam originem constitutionemque civilis hominum societatis visum est pro arbitrio confingere. Immo recentiores perplures, eorum vestigiis ingredientes qui sibi superiore sæculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquiunt potestatem a populo esse; quare qui eam in

civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam. et hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines, qui jus imperandi a Deo repetunt, velut a naturali necessarioque principio.

Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicæ præfuturi sint posse, in quibusdam causis voluntate judicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur jura principatus : neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum. — Neque hic quæritur de rerum publicarum modis ; nihil enim est, cur non Ecclesiæ probetur aut unius aut plurium principatus, si modo justus sit, et in communem utilitatem intentus. Quamobrem salva justitia, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicæ quod aut ipsorum ingenio, aut majorum institutis moribusque magis apte conveniat.

Ceterum ad politicum imperium quod attinet, illud a Deo proficisci recte docet Ecclesia ; id enim ipsa reperit sacris Litteris et monumentis christianæ vetustatis aperte testatum ; neque præterea ulla potest doctrina cogitari, quæ sit magis aut rationi conveniens, aut principum et populorum saluti consentanea.

Revera humani potentatus in Deo esse fontem, libri Veteris Testamenti pluribus locis præclare confirmant. *Per me reges regnant... per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam* [1]. Atque alibi : *Præbete aures vos qui continetis nationes.., quoniam data est a Deo potestas vobis, et virtus ab Altissimo* [2]. Quod libro Ecclesiastici idem continetur : *In unamquamque gentem Deus præposuit rectorem* [3]. Ista tamen, quæ Deo auctore didicerant, paulatim homines ab ethnica superstitione dedocti sunt ; quæ sicut veras rerum species et notiones complures, ita etiam principatus germanam formam pulchritudinemque corrupit. Postmodo, ubi Evangelium christianum affulsit, veritati vanitas cessit, rursumque illud dilucere cœpit, unde omnis auctoritas manat, nobilissimum divinumque principium. — Præ se ferenti atque ostentanti Præsidi romano absolvendi condemnandi potestatem, Christus Dominus, *non haberes*, respondit, *potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper* [4]. Quem locum S. Augustinus explanans, *Discamus*, inquit, *quod dixit quod et per Apostolum docuit, quia non est potestas nisi a Deo* [5]. Doctrinæ enim præceptisque Jesu Christi Apostolorum incorrupta vox resonavit tamquam imago. Ad Romanos, principum ethnicorum imperio subjectos, Pauli est excelsa et plena gravitatis sen-

1. Prov. VIII, 15-16.
2. Sap. VI, 3. 4.
3. Eccli. XVII, 14.
4. Joan. XIX, 11.
5. Tract. CXVI in Joan. II, 5.

tentia : *Non est potestas nisi a Deo ;* ex quo tamquam ex causa illud concludit : Princeps *Dei minister est*[1].

Ecclesiæ Patres hanc ipsam, ad quam fuerant instituti, doctrinam profiteri ac propagare diligenter studuerunt. *Non tribuamus*, S. Augustinus ait, *dandi regni et imperii potestatem, nisi vero Deo*[2]. In eamdem sententiam S. Joannes Chrysostomus, *Quod principatus sint*, inquit, *et quod alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu et temere ferantur... divinæ esse sapientiæ dico*[3]. Id ipsum S. Gregorius Magnus testatus est inquiens : *Potestatem Imperatoribus ac Regibus cœlitus datam fatemur*[4]. Immo sancti Doctores eadem præcepta etiam naturali rationis lumine illustranda susceperunt, ut vel iis, qui rationem solam ducem sequuntur, omnino videri recta et vera debeant. — Et sane homines in civili societate vivere natura jubet, seu verius auctor naturæ Deus : quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas et innatæ appetitiones animi perplures, et res necessariæ multæ ac magni momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, juncti et consociati cum alteris assequuntur. Nunc vero, neque existere neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut velut unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat : voluit igitur Deus ut in civili societate essent, qui multitudini imperarent. — Atque illud etiam magnopere valet, quod ii, quorum auctoritate respublica administratur, debent cives ita posse cogere ad parendum, ut his plane peccatum sit non parere. Nemo autem hominum habet in se aut ex se, unde possit hujusmodi imperii vinculis liberam ceterorum voluntatem constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea potestas est : quam qui exercent, tamquam a Deo secum communicatam exerceant necesse est. *Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare*[5]. Quod perspicitur idem in omni genere potestatis. Eam, quæ in sacerdotibus est, proficisci a Deo tam est cognitum ut ii apud omnes populos ministri et habeantur et appellentur Dei. Similiter potestas patrum familias expressam retinet quamdam effigiem ac formam auctoritatis, quæ est in Deo, *ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur*[6]. Isto autem modo diversa genera potestatis miras inter se habent similitudines, cum quidquid uspiam est imperii et auctoritatis, ejus ab uno eodemque mundi opifice et domino, qui Deus est, origo ducatur.

Qui civilem societatem a libero hominum consensu natam volunt, ipsius imperii ortum ex eodem fonte petentes, de jure suo inquiunt

1. Ad Rom. XIII, 1, 4.
2. De Civ. Dei, lib. V. cap. 21.
3. In epist. ad Rom. homil. XXIII, n. 1.
4. In epist. lib. II, epist. 61.
5. Jac. IV. 12.
6. Ad Ephes. III, 15.

aliquid unumquemque cessisse, et voluntate singulos in ejus se contulisse potestatem, ad quem summa illorum jurium pervenisset. Sed magnus est error non videre, id quod manifestum est, homines, cum non sint solivagum genus, citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem esse natos : ac præterea pactum, quod prædicant, est aperte commentitium et fictum, neque ad impertiendum valet politicæ potestati tantum virium, dignitatis, firmitudinis, quantum tutela reipublicæ et communes civium utilitates requirunt. Ea autem decora et præsidia universa tunc solum est habiturus principatus, si a Deo augusto sanctissimoque fonte manare intelligatur.

Qua sententia non modo verior, sed ne utilior quidem reperiri ulla potest. Etenim potestas rectorum civitatis, si quædam est divinæ potestatis communicatio, ob hanc ipsam causam continuo adipiscitur dignitatem humana majorem : non illam quidem impiam et perabsurdam, imperatoribus ethnicis divinos honores affectantibus aliquando expetitam, sed veram et solidam, eamque dono quodam acceptam beneficioque divino. Ex quo subesse cives et dicto audientes esse principibus, uti Deo, oportebit non tam pœnarum formidine, quam verecundia majestatis, neque assentationis causa, sed conscientia officii. Qua re stabit in suo gradu longe firmius collocatum imperium. Etenim istius vim officii sentientes cives, fugiant necesse est improbitatem et contumaciam, quia sibi persuasum esse debet, qui politicæ potestati resistunt, hos divinæ voluntati resistere ; qui honorem recusant principibus, ipsi Deo recusare.

Ad hanc disciplinam Paulus Apostolus Romanos nominatim erudiit : ad quos de adhibenda summis principibus reverentia scripsit tanta cum auctoritate et pondere, ut nihil gravius præcipi posse videatur. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam conscientiam* [1]. Et consentiens est Principis Apostolorum Petri in eodem genere præclara sententia : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam a Deo missis ad vindictam male factorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei* [2].

Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis postuletur quod cum naturali aut divino jure aperte repugnet : omnia enim, in quibus naturæ lex vel Dei voluntas violatur, æque nefas est imperare et facere. Si cui igitur usu veniat, ut alterutrum malle cogatur, scilicet aut Dei aut principum jussa negligere, Jesu Christo parendum est reddere jubenti *quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo* [3],

1. Ad Rom. XIII, 1, 2, 5.
2. I Petr. II, 13-15.
3. Matth. XXII, 21.

atque ad exemplum Apostolorum animose respondendum : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* [1]. Neque tamen est, cur abjecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur ; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suæ modum excedunt justitiamque pervertunt : neque eorum tunc valere potest auctoritas, quæ, ubi justitia non est, nulla est.

Ut autem justitia retineatur in imperio, illud magnopere interest, eos qui civitates administrant intelligere, non privati cujusquam commodo politicam potestatem esse natam : procurationemque reipublicæ ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, geri oportere. Principes a Deo optimo maximo, unde sibi auctoritas data, exempla sumant : ejusque imaginem sibi in administranda republica proponentes, populo præsint cum æquitate et fide, et ad eam, quæ necessaria est, severitatem paternam caritatem adhibeant. Hujus rei causa sacrarum Litterarum oraculis monentur, sibimetipsis Regi regum et Domino dominantium aliquando rationem esse reddendam ; si officium deseruerint, fieri non posse ut Dei severitatem ulla ratione effugiant. Altissimus *interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis,... horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet... Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio* [2].

Quibus præceptis rempublicam tuentibus, omnis seditionum vel causa vel libido tollitur : in tuto futura sunt honos et securitas principum, quies et salus civitatum. Dignitati quoque civium optime consessum est decus illud retinere, quod est hominis excellentiæ consentaneum. Intelligunt enim Dei judicio non esse servum neque liberum ; unum esse Dominum omnium, divitem *in omnes qui invocant illum* [3] ; se autem idcirco subesse et obtemperare principibus, quod imaginem quodammodo referant Dei, *cui servire regnare est*.

Hoc vero semper egit Ecclesia, ut christiana ista civilis potestatis forma non mentibus solum inhæresceret, sed etiam publica populorum vita moribusque exprimeretur. Quamdiu ad gubernacula reipublicæ imperatores ethnici sederunt, qui assurgere ad eam imperii formam, quam adumbravimus, superstitione prohibebantur, instillare illam studuit mentibus populorum, qui simul ac christiana instituta susciperent, ad hæc ipsa exigere vitam suam velle debebant. Itaque pastores animarum, exempla Pauli Apostoli renovantes, cura et diligentia summa populis præcipere consueverunt, *principibus et pot-s-*

1. Act. v, 29.
2. Sap. vi, 4, 5, 6, 8, 9.
3. Ad Rom. x, 12.

tatibus subditos esse, dicto obedire [1]; item orare Deum pro cunctis hominibus, sed nominatim *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt : hoc enim acceptum est coram Salvatore nostro Deo* [2]. Atque ad hanc rem omnino præclara documenta Christiani veteres reliquerunt : qui cum ab imperatoribus ethnicis injustissime et crudelissime vexarentur, nunquam tamen prætermiserunt gerere se obedienter et submisse, plane ut illi crudelitate, isti obsequio certare viderentur. Tanta autem modestia, tam certa parendi voluntas plus erat cognita, quam ut obscurari per calumniam malitiamque inimicorum posset. Quamobrem qui pro christiano nomine essent apud imperatores publice causam dicturi, ii hoc potissimum argumento iniquum esse convincebant in christianos animadvertere legibus, quod in oculis omnium conven enter legibus in exemplum viverent. Marcum Aurelium Antoninum et Lucium Aurelium Commodum filium ejus sic Athenagoras confidenter alloquebatur : *Sinitis nos, qui nihil mali patramus, immo omnium... piissime justissimeque cum erga Deum, tum erga imperium vestrum nos gerimus, exagitari, rapi, fugari* [3]. Pari modo Tertullianus laudi christianis aperte dabat, quod amici essent Imperio optimi et certissimi ex omnibus : *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut ipsum diligat et revereatur et honoret et salvum velit cum toto romano imperio* [4]. Neque dubitabat affirmare, in imperii finibus tanto magis numerum minui inimicorum consuevisse, quanto cresceret christianorum. *Nunc pauciores hostes habetis præ multitudine christianorum, pene omnium civitatum, pene omnes cives christianos habendo* [5]. Præclarum est quoque de eadem re testimonium in *Epistola ad Diognetum*, quæ confirmat, solitos eo tempore christianos fuisse non solum inservire legibus, sed in omni officio plus etiam ac perfectius sua sponte facere, quam cogerentur facere legibus. *Christiani obsequuntur legibus quæ sancitæ sunt, et suæ vitæ genere leges superant.*

Alia sane tum causa erat, cum a fide christiana, aut quoquo modo ab officio deficere Imperatorum edictis ac Prætorum minis juberentur : quibus temporibus profecto displicere hominibus quam Deo maluerunt. Sed in iis ipsis rerum adjunctis tantum aberat ut quicquam seditiose facerent majestatemve imperatoriam contemnerent, ut hoc unum sibi sumerent, sese profiteri, et christianos esse et nolle mutare fidem ullo modo. Ceterum nihil de resistendo cogitabant ; sed placide atque hilare sic ibant ad tortoris equuleum, ut magnitudini animi cruciatuum magnitudo concederet. — Neque

1. Ad Tit. III, 1.
2. I Timoth. II, 2-3.
3. Legat pro Christianis.
4. Apolog. n. 35.
. Apolog. n. 37.

absimili ratione per eadem tempora christianorum vis institutorum spectata est in militia. Erat enim militis christiani summam fortitudinem cum summo studio conjungere disciplinæ militaris : animique excelsitatem immobili erga principem fide cumulare. Quod si aliquid rogaretur quod non esset honestum, uti Dei jura violare, aut in insontes Christi discipulos ferrum convertere, tunc quidem imperata facere recusabat, ita tamen ut discedere ab armis atque emori pro religione mallet, quam per seditionem et turbas auctoritati publicæ repugnare.

Postea vero quam respublicæ principes christianos habuerunt, multo magis Ecclesia testificari ac prædicere instituit, quantum in auctoritate imperantium inesset sanctitatis : ex quo futurum erat, ut populis, cum de principatu cogitarent, sacræ cujusdam majestatis species occurreret, quæ ad majorem principum cum verecundiam tum amorem impelleret. Atque hujus rei causa, sapienter providit, ut reges sacrorum solemnibus initiarentur, quod erat in Testamento Veteri Dei auctoritate constitutum. — Quo autem tempore civilis hominum societas, tamquam e ruinis excitata imperii romani, in spem christianæ magnitudinis revixit, Pontifices Romani, instituto *imperii sacro*, politicam potestatem singulari ratione consecraverunt. Maxima quidem ea fuit nobilitatis ad principatum accessio : neque dubitandum quin magnopere illud institutum et regiliosæ et civili societati semper fuisset profuturum, si quod Ecclesia spectabat, idem principes et populi semper spectavissent. — Et sane quietæ res et satis prosperæ permanserunt quamdiu inter utramque potestatem concors amicitia permansit. Si quid tumultuando peccarent populi, præsto erat conciliatrix tranquillitatis Ecclesia, quæ singulos ad officium vocaret, vehementioresque cupiditates partim lenitate, partim auctoritate compesceret. Similiter si quid in gubernando peccarent principes, tum ipsa ad principes adire, et populorum jura, necessitates, recta desideria commemorando, æquitatem, clementiam, benignitatem suadere. Qua ratione pluries est impetratum, ut tumultuum et bellorum civilium pericula prohiberentur.

Contra inventæ a recentioribus de potestate politica doctrinæ magnas jam acerbitates hominibus attulerunt, metuendumque ne extrema malorum afferant in posterum. Etenim jus imperandi nolle ad Deum referre auctorem, nihil est aliud quam politicæ potestatis et pulcherrimum splendorem velle deletum et nervos incisos. Quod autem inquiunt ex arbitrio illam pendere multitudinis, primum opinione falluntur ; deinde nimium levi ac flexibili fundamento statuunt principatum. His enim opinionibus quasi stimulis incitatæ populares cupiditates sese efferent insolentius, magnaque cum pernicie reipublicæ ad cæcos motus, ad apertas seditiones proclivi cursu et facile delabentur. Revera illam, quam *Reformationem* vocant, cujus adjutores et duces sacram civilemque potestatem novis doctrinis funditus oppugnaverunt, repentini tumultus et audacissimæ rebelliones præsertim

in Germania consecutæ sunt; idque tanta cum domestici deflagratione belli et cæde, ut nullus pene locus expers turbarum et cruoris videretur. — Ex illa hæresi ortum duxit seculo superiore falsi nominis philosophia, et jus quod appellant *novum*, et imperium populare, et modum nesciens licentia, quam plurimi solam libertatem putant. Ex his ad finitimas pestes ventum est, scilicet ad *Communismum*, ad *Socialismum*, ad *Nihilismum*, civilis hominum societatis teterrima portenta ac pene funera. Atqui tamen tantorum malorum vim nimis multi dilatare conantur, ac per speciem juvandæ multitudinis non exigua jam miseriarum incendia excitaverunt. Quæ hic modo recordamur, ea nec ignota sunt nec valde longinqua.

Hoc vero est etiam gravius, quod non habent principes in tantis periculis remedia ad restituendam publicam disciplinam pacandosque animos satis idonea. Instruunt se auctoritate legum, eosque, qui rempublicam commovent, severitate pœnarum coercendos putant. Recte quidem: sed tamen serio considerandum est, vim nullam pœnarum futuram tantam, quæ conservare respublicas sola possit. Metus enim, ut præclare docet sanctus Thomas, *est debile fundamentum; nam qui timore subduntur, si occurrat occasio qua possint impunitatem sperare, contra præsidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur.* Ac præterea *ex nimio timore plerique in desperationem incidunt: desperatio autem audacter ad quælibet attentanda præcipitat*[1]. Quæ quam vera sint, satis experiendo perspeximus. Itaque obediendi altiorem et efficaciorem causam adhibere necesse est, atque omnino statuere, nec legum esse posse fructuosam severitatem, nisi homines impellantur officio, salutarique metu Dei permoveantur. Id autem impetrare ab iis maxime religio potest, quæ sua vi in animos influit, ipsasque hominum flectit voluntates, ut eis, a quibus ipsi reguntur, non obsequio solum, sed etiam benevolentia et charitate adhærescant, quæ est in omni hominum cœtu optima custos incolumitatis.

Quamobrem egregie Pontifices Romani communi utilitate servisset judicandi sunt, quod *Novatorum* frangendos semper curaverunt tumidos inquietosque spiritus, ac persæpe monuerunt, quantum ii sin civili etiam societati periculosi. Ad hanc rem digna, quæ commemoretur, Clementis VII sententia est ad Ferdinandum Bohemiæ et Hungariæ regem: *In hac fidei causa tua etiam et ceterorum principum dignitas et utilitas inclusa est, cum non possit illa convelli quin vestrarum etiam rerum labefactationem secum trahat*; *quod clarissime in locis istis aliquot perspectum sit.* — Atque in eodem genere summa providentia et fortitudo enituit Decessorum Nostrorum, præsertim autem Clementis XII, Benedicti XIV, Leonis XII, qui cum

1. De Regim. Princip. L. I, cap. 10.

consequentibus temporibus pravarum doctrinarum pestis latius serperet, *sectarumque* audacia invalesceret, opposita auctoritatis suæ aditum illis intercludere conati sunt. — Nos ipsi pluries denuntiavimus quam gravia pericula impendeant, simulque indicavimus, quæ sit eorum propulsandorum ratio optima. Principibus ceterisque rerum publicarum moderatoribus præsidium religionis obtulimus, populosque hortati sumus, ut summorum bonorum copia, quam Ecclesia suppeditat, maxime uterentur. Id nunc agimus, ut ipsum illud præsidium, quo nihil est validius, sibi rursus oblatum principes intelligant : eosque vehementer in Domino hortamur, ut religionem tueantur, et, quod interest etiam rei publicæ, ea Ecclesiam libertate frui posse sinant, qua sine injuria et communi pernicie privari non potest. Profecto Ecclesia Christi neque principibus potest esse suspecta, neque populis invisa. Principes quidem ipsa monet sequi justitiam, nullaque in re ab officio declinare : at simul eorum roborat multisque rationibus adjuvat auctoritatem. Quæ in genere rerum civilium versantur, ea in potestate supremoque imperio eorum esse agnoscit et declarat : in iis quorum judicium, diversam licet ob causam, ad sacram, civilemque pertinet potestatem, vult existere inter utramque concordiam, cujus beneficio funestæ utrique contentiones devitantur. Ad populos quod spectat, est Ecclesia saluti cunctorum hominum nata, eosque semper dilexit uti parens. Ea quippe est, quæ caritate præeunte mansuetudinem animis impertiit, humanitatem moribus, æquitatem legibus ; atque honestæ libertati nuspiam inimica tyrannicum dominatum semper detestari consuevit. Hanc, quæ insita in Ecclesia est, bene merendi consuetudinem paucis præclare expressit sanctus Augustinus : *Docet* (Ecclesia) *reges prospicere populis, omnes populos se subdere regibus : ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debetur injuria* [1].

His de causis opera vestra, Venerabiles Fratres, valde utilis ac plane salutaris futura est, si industriam atque opes omnes, quæ Dei munere in vestra sunt potestate, ad deprecanda societatis humanæ vel pericula vel incommoda Nobiscum contuleritis. Curate ac providete, ut quæ de imperio deque obediendi officio ab Ecclesia catholica præcipiuntur, ea homines et plane perspecta habeant, et ad vitam agendam diligenter utantur. Vobis auctoribus et magistris, sæpe populi moneantur fugere vetitas sectas, a conjurationibus abhorrere, nihil seditiose agere : iidemque intelligant, qui Dei causa parent imperantibus eorum esse *rationabile obsequium*, generosam obedientiam. Quoniam vero Deus est, *qui dat salutem regibus* [2], et concedit populis conquiescere *in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciæ et in requie opulenta* [3], Ipsum necesse est orare atque

1. De morib. Eccl. lib. 1, cap. 30.
2. Ps. CXLII, 11.
3. Is. XXXII, 18.

obsecrare, ut omnium mentes ad honestatem veritatemque flectat, iras compescat, optatam diu pacem tranquillitatemque orbi terrarum restituat.

Quo autem spes firmior sit impetrandi, deprecatores defensoresque salutis adhibeamus, Mariam Virginem magnam Dei parentem, auxilium christianorum tutelam generis humani : S. Josephum castissimum sponsum ejus, cujus patrocinio plurimum universa Ecclesia confidit : Petrum et Paulum principes Apostolorum, custodes et vindices nominis christiani.

Interea divinorum munerum auspicem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, Clero et populo fidei vestræ commisso, Apostolicam Benedictionem p ramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIX Junii A. MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LEO PP. XIII.

APPENDIX VI.

SS. D. N. LEONIS PAPÆ XIII

EPISTOLA ENCYCLICA « *Immortale Dei* » 1 NOV. 1885. DE CIVITATUM CONSTITUTIONE CHRISTIANA.

Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in cœlis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitæ, quæ in terris agitur, prosperitatem institutum.

Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit; quam quotquot accepere populi, mansuetudine, æquitate, rerum gestarum gloria excelluerunt. — Sed vetus tamen illa est atque antiqua vituperatio, quod Ecclesiam aiunt esse cum rationibus reipublicæ dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre. quæ suo jure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. Sub ipsis Ecclesiæ primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et in odium invidiamque vocari solitos hac etiam de caussa accepimus, quod hostes imperii dicerentur, quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in Christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus pœnas a sontibus justas exigeret. Ejus atrocitas calumniæ non sine caussa ingenium armavit stilumque

acuit Augustini: qui præsertim in *Civitate Dei* virtutem christianæ sapientiæ, qua parte necessitudinem habet cum republica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse caussam quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur.

Similium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant, *jus*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti jam sæculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim cœpit. — Sed quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam nunquam esse præstantiorem constituendæ temperandæque civitatis rationem, quam quæ ab evangelica doctrina sponte efflorescit. — Maximi igitur momenti atque admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur novas de republica opiniones cum doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque caussas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa præcepta vivendi quæ sequi et quibus parere debeat.

Non est magni negotii statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rempublicam. — Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitæ cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad conjunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quæ suppeditare *vitæ sufficientiam perfectam* sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus præsit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quæ, non secus ac societas, a natura propterea que a Deo ipso oriatur auctore.

Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quæcumque, necesse est: ita ut quicumque jus imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo* [1]. — Jus autem imperii per se non est cum ulla reipublicæ forma necessario copulatum; aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicæ omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tanquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus,

1. Rom. XIII, 1.

quæ sunt quæque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quæque ad eum finem, quo hæc rerum spectat universitas conducerent : ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, in imaginem quamdam divinæ in genus humanum potestatis divinæque providentiæ referrent. Debet igitur imperium justum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei justissima in homines potestas est et cum paterna bonitate conjuncta : gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui præsunt cæteris, hac una de caussa præsunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, ut unius vel paucorum commodo, serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui præsunt, delabantur in dominatum injustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* [1]. — Ita sane majestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere qui imperant auctoritate a Deo data, illa quidem officia justa ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ac fidem præstare cum quadam similitudine pietatis, quæ liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* [2]. — Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona constiterit, non magis licet, quam divinæ voluntati resistere : cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* [3]. Quapropter obedientiam abjicere, et, per vim multitudinis rem ad seditionem vocare est crimen majestatis, neque humanæ tantum, sed etiam divinæ

Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quæ ipsam jungunt Deo, religione publica satisfacere. — Natura et ratio, quæ jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli ; neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis minimeque dubitandis indi-

1. Sap., VI, 7.
2. Rom., XIII, 1.
3. Rom., V, 2.

ciis unam ex omnibus veram esse constiterit : eodem modo civitates non possunt, citra scelus gerere se tanquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat : omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle.

Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen, ponendumque in præcipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere quod sit ejus incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus præsunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda extra hanc fragilitatem brevitatemque vitæ in cœlis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicæ necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum præcipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandæ cujus officia hominem Deo conjungunt.

Vera autem religio quæ sit, non difficulter videt qui judicium prudens sincerumque adhibuerit : argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Jesus Christus instituit ipsemet et Ecclesiæ suæ tuendam propagandamque demandavit.

Nam unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quæ Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes sæculorum ætates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [1]. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* [2]. Igitur, sicut Jesus Christus in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* [3], eodem modo Ecclesia propositum habet, tanquam finem, salutem animorum sempiternam : ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanæ nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Prædicate Evangelium omni creaturæ* [4].

1. Joan., XX, 21.
2. Matth., XXVIII, 20.
3. Joan., X, 10.
4. Marc, XVI, 15.

Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit qui cum potestate præessent : unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni cœlorum commisit. *Tibi dabo claves regni cœlorum* [1]. — *Pasce agnos... pasce oves* [2] : — *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* [3]. Hæc societas, quamvis ex hominibus constet non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis ; atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili : et, quod plurimum interest, societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium præstantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. — Revera Jesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quæ hinc consequitur judicandi puniendique potestate : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* [4]. Et alibi : *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ* [5]. Atque iterum : *In promptis habentes ulcisci omnem inobedientiam* [6]. Rursus : *Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem et non in destructionem* [7]. Itaque dux hominibus esse ad cœlestia non civitas, sed Ecclesia debet : eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, quæ religionem attingunt videat ipsa et statuat : ut doceat omnes gentes : ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat ; brevi ut rem christianam libere expediteque judicio suo administret.

Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui juris quæ ab assentatrice principum philosophia jamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus synagogæ prohiberentur, constanter respondebant : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* [8]. Eamdem sancti Ecclesiæ Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt : romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare nunquam prætermiserunt. — Quin etiam et

1. Matth., XVI, 19.
2. Joan. XXI, 16-17.
3. Luc. XXII, 32.
4. Matth. XXVIII, 18-20.
5. Matth. XVIII, 17.
6. II Cor. X, 6.
7. Ibid. XIII, 10.
8. Act. V, 29.

opinione et re eamdem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. — Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut hæc ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suæ tutela muniretur.

Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est; scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpositam. Utraque est in suo genere maxima : habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque natura caussaque proxima definitos ; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usu venire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque jus judiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambæ constitutæ, utriusque itinera recto atque ordine composuisse. *Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt* [1]. Quod ni ita esset, funestarum sæpe contentionum concertationumque caussæ nascerentur ; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti, hærere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria jubentibus binis potestatibus quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat cæteras, cunctæque simul illæ, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent.

Itaque inter utramque potestatem quædam intercedat necesse est ordinata colligatio : quæ quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter judicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiæ et nobilitatis caussarum ; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri cœlestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ : cætera vero, quæ civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit, quæ Cæsaris sint, reddi Cæsari, quæ Dei, Deo. — Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiæ modus ad tranquil-

1. Rom , XIII, 1.

iam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternæ pietatis eximia documenta præbet, cum facilitatis indulgentiæque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

Ejusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et hæc non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quæ ipsa naturali rationale confirmantur.

Talis autem conformatio reipublicæ nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum : tantumque abest, ut jura majestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent cæteri rerum publicarum modi : ex eâque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulæ gradum tenerent, atque illud integre efficerent cui unaquæque præposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicæ, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita : incolumia civium jura, eademque divinarum, naturalium humanarumque legum patrocinio defensa : officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt præsto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adjutores : pariterque intelligunt, sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cætera, quibus communis hæc vita constat, vel parienda vel conservanda datos.

Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate conjugii : jura officiaque inter conjuges sapienti justitia et æquitate reguntur : debitum conservatur mulieri decus : auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata : temperata patria pote tas, convenienter dignitati uxoris prolisque : denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur — In genere rerum politico et civili leges spectant commune bonum, neque voluntate judicioque fallaci multitudinis, sed veritate justitiaque diriguntur : auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana majorem, contineturque ne declinet a justitia, nec modum in imperando transiliat : obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad justitiam pertinere illa intelliguntur, vereri majestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicæ, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis. — Similiter ponitur in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas : non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se præceptis, civis idem et christianus

denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quæruntur : ita ut illud appareat verissime dictum : « Pendet a religione, qua Deus colitur, rei publicæ status : multaque inter hunc et illam cognatio et familiaritas intercedit [1] ».

Eorum vim bonorum mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis : « Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis... Tu cives civibus, tu gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate, conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio quibus supplicium, sedulo doces ; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur injuria [2] ». — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos « Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse præcipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicæ, immo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicæ [3] ».

Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates : quo tempore christianæ sapientiæ vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicæ ordines rationesque penetraverat : cum religio per Jesum Christum instituta in eo, quo æquum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret : cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione majores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quæ nulla adver-

1. Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. — Cfr. Labbeum Collect. Conc. T. III.
2. De moribus Eccl. cath., cap. XXX, n. 63.
3. Epist. CXXXVIII (al. 5) ad Marcellinum, cap. II, n° 51.

sariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit : quod Mahumetanorum incursiones victrix propulsavit : quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque præbere cæteris consuevit : quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est : quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adjutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset ; majoraque expectari jure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiæ majore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuæ legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum præscripsit : « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur [1] ».

Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quæ sæculo XVI excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatæ libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore sæculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta novi juris, quod et fuit antea ignotum, et a jure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat. — Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitæ inter se pares : unumquemque ita esse sui juris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius : cogitare de re qualibet quæ velit, agere quod lubeat, libere posse : imperandi aliis jus esse in nemine His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat ; deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam jus, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio jacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret ; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus, cujus non in Deo ipso causas et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur, est respublica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo : cumque populus omnium jurium omnisque potestatis fontem in se ipso continere dicatur, consequens erit, ut

1. Ep CCXXXVIII.

nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet; ut religionem publice profiteatur nullam; nec debeat ex pluribus quæ vera sola sit, quærere, nec unamquamdam cæteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus æquabilitatem juris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicæ ne quid ab illis detrimenti capiat Consentaneum erit, judicio singulorum permittere omnem de religione quæstionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur; exlex uniuscujusque conscientiæ judicium; liberrimæ de Deo colendo, de non colendo, sententiæ; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

His autem positis, quæ maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicæ, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia. Nam ubi cum ejusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur: legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio: Ecclesia, quæ jussu mandatoque Jesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem jubetur nihil attingere. — De ipsis rebus, quæ sunt mixti juris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiæ leges superbe contemnunt. Quare ad jurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate conjugii: movent possessiones clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectæ genere et juribus opinione detractis, plane similem habeant cæterarum communitatum, quas respublica continet: ob eamque rem si quid illa juris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimæ, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis. — Si qua vero in republica suum Ecclesia jus, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant, dissociari Ecclesiæ rationes a reipublicæ rationibus opportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium. — Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque salvatur, sæpe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascantur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quæ minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quæ publice aguntur, eo consilio magnam partem aguntur. Leges administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incidere nervos institutorum christianorum, Ecclesiæ-

que catholicæ et libertatem in angustum deducere, et jura cætera comminuere.

Ejusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum. — Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tanquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse naturâ dicitur, si præclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut hæc a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse jure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam qui voluntatem popularem exequantur : ex quo fit, quod necesse est ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper inpendeat.

De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contraria interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare judicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi, nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, æque probabiles, æque bonas, æque Deo acceptas esse omnes non posse.

Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana jure lætetur : sed multorum malorum fons et origo. — Libertas, ut quæ virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari : boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est quam ipsa rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptum ambæ delabuntur. Quæcumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est æquum ; gratia tutelave legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via est in cœlum, quo tendimus universi : ob eamque rem aberrat civitas a regula et præscriptione naturæ, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, in impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere. Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit ab actione vitæ excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error.

Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest : jamque plus fortasse quam oporteret, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat, illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* no-

minant. Vera est magistra virtutis et morum custos Ecclesia Christi : ea est, quæ incolumia tuetur principia unde officia ducuntur, propositisque causis ad honeste vivendum efficacissimis, jubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine affectu. — Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subjectam, magna quidem injuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quæ naturalia sunt præponuntur iis quæ sunt supra naturam : tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret : prætereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quæ, quanquam utrique reipublicæ perniciem afferant, nimis sæpe eventus demonstravit.

Husjusmodi doctrinas, quæ nec humanæ rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos*, die XV Augusti anno MDCCCXXXII, magna sententiarum gravitate ea perculit, quæ jam prædicabantur, in cultu divino nullum adhibere delectum oportere : integrum singulis esse, quod malint, de religione judicare : solam cuique suam esse conscientiam judicem : præterea edere quæ quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacræ reique civilis distrahendis sic idem Pontifex : « Neque lætiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta, extitit et salutaris. » — Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quæ maxime valere cœpissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi jussit, ut scilicet in tanta errorum colluvione haberent catholici homines, quod sine offensione sequerentur [1].

Ex iis autem Pontificum præscriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicæ potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere : seditionum licentiam cum ratione pugnare : officia religionis nullo loco numerare vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus : immoderatam sentiendi sensusque palam jactandi potestatem non esse in civium juribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam. — Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et jure perfectam : neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas

1. Earum nonnullas indicare sufficiat. prop. 19, 39, 55, 79 ; cf. supra.

liberam, aut quicquam de ceteris juribus detrahant, quæ in ipsam a Jesu Christo collata sunt. — In negotiis autem mixti juris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quæ caussæ utramque societatem genuerunt.

Hæc quidem sunt, quæ de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica præcipiuntur. — Quibus tamen dictis decretisque si recte dijudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicæ formis, ut quæ nihil habent, quod doctrinæ catholicæ repugnet, eædemque possunt, si sapienter adhibeantur et juste, in optimo statu tueri civitatem. — Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum reipublicæ : quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium. — Insuper neque caussa justa nascitur, ut Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus æquo restrictam, aut ei, quæ germana et legitima sit, libertati inimicam. — Revera si divini cultus varia genera eodem jure esse quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitatem locum. — Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest nisi volens* [1].

Simili ratione nec potest Ecclesia libertatem probare eam, quæ fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimæ obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas, rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis* [2], a Petro Apostolo *velamen malitiæ* [3] appellatur : immo, cum sit præter rationem, vera servitus est : *qui enim facit peccatum, servus est peccati* [4]. Contra illa germana est atque expetenda libertas quæ, si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus teterrimis dominis hominem servire non sinit : si publice, civibus sapienter præest, facultatem augendorum commodorum large ministrat : remque publicam ab alieno arbitrio defendit — Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem. Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram eniti et contendere nunquam destitit.

Revera quæ res in civitate plurimum ad communem salutem pos

1. Tract. XXVI in Joan., n° 2.
2. Epist. CV, ad donatistas, cap. II, n° 9.
3. I Petr., II, 16.
4. Joan., VIII, 34

sunt : quæ sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutæ : quæ summam rempublicam vetant in municipalem, vel domesticam rem importunius invadere : quæ valent ad decus, ad personam hominis, ad æquabilitatem juris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse superiorum ætatum monumenta testantur Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam quæ et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant hujus vitæ, quæ quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram.

Ergo quod inquiunt Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinæ, et quæcumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et jejuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum : improbat nefaria seditionum studia illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo : sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci ne esse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinæ mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quæ adrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet : eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quæ positæ sunt in explicatione naturæ. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens repererit novi : non repugnat quin plura quærantur ad decus commoditatemque vitæ : immo inertiæ desidiæque inimica, magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus : incitamenta præbet ad omne genus artium atque operam : omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens impedire nititur, quominus a Deo bonisque cœlestibus sua hominem intelligentia atque industria delectat.

Sed hæc tametsi plena rationis et consilii, nimis probantur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianæ sapientiæ referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere. — Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere, hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quæ vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur ; non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda ætatis nostræ honesta atque utilia incrementa putemus, sed quod rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus : idque incolumi populorum germana libertate ; in hominibus enim

mater et custos optima libertatis veritas est : *Veritas liberabit vos* [1].

Itaque in tam difficili rerum cursu catholici homines, si Nos, ut oportet, audierint. facile videbunt quæ sua cujusque sint tam in *opinionibus*, quam in *factis* officia. — Et in opinando quidem, quæcumque Pontifices romani tradiderint vel traditur sunt, singula necesse est et tenere judicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri, ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quæsitas, oportet Apostolicæ Sedis stare judicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum, ne quem fallat honesta illarum species : cogitandumque quibus ortæ initiis. et quibus passim sustententur atque alantur studiis Satis jam est experiendo cognitum. quarum illæ rerum effectrices sint in civitate. eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes jure pœniteat. — Si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas quæ christianum nomen insectetur proferre et tyrannice, cum eaque conferatur genus id reipublicæ recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto ejusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

Potest tamen aut in privatis domesticisque rebus, aut in publicis actio versari. Privatim quidem primum officium est, præceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent præterea singuli Ecclesiam sic diligere, ut communem matrem : ejusque et jura salva velle : conarique ut ab iis in quos quisque aliquid auctoritate potest. pari pietate colatur atque ametur. — Illud etiam publicæ salutis interest. ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam : in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem. ad probos mores informandis ea ratione, qua æquum est christianis, publice consultum sit : quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum.

Item catholicorum hominum operam ex hoc tanquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus quia hæc præcepta nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut, maximis justissimisque de caussis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operæ : eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur admonitione doctrinæ, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie conjunctum christiani nominis :

1. Joan., VIII, 32.

propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati : minimum qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi causam esse justam catholicis : non enim adeunt neque adire debent ob eam causam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum, sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicæ religionis, tanquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicæ venas inducere.

Haud aliter actum in primis Ecclesiæ ætatibus. Mores enim et studia ethnicorum quam longissime a studiis abhorrebant moribusque evangelicis : christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptas semperque sui similes animose, quacumque daretur aditus, inferre sese. Fideles in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset, imperio legum, fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque, prodesse studebant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, incolumi virtute nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium senatum, forum [1], » ita ut fides christiana, cum evangelium publice profiteri lege licuit, non in cunis vagiens, sed adulta et jam satis firma in magna civitatum parte apparuit.

Jamvero his temporibus consentaneum est, hæc majorum exempla renovari. — Catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiæ filios et esse et videri velle : quæ res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere : institutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis justitiæque patrocinium uti : elaborare, ut constitutum naturæ Deique lege modum libertas agendi ne transiliat : dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudinem et formam omnis respublica traducatur. — Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest cum debeat singulis locis temporibusque, quæ sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quærendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si præscripta Sedis Apostolicæ legem vitæ singuli putent, atque Episcopis obtemperent, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* [2].

Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis, quæ ab Ecclesia traduntur una sit omnium senten-

1. Tertull. Apol. n° 37.
2. Act. xx. 28.

tia, et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quæ sunt opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandæ veritatis disputare, procul tamen suspicionibus injuriosis, criminationibusque mutuis. — Quam ob rem ne animorum conjunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi : integritatem professionis catholicæ consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum* vel *rationalismum* accedentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum posthabito Deo. — Pariter non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiæ auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia conjungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitæ a virtute christiana deficere

Verum si quæratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicæ, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita cæteroqui pietas est, animusque decreta Sedis apostolicæ obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneum de rebus, quas diximus sententiam, justitia non patitur : multoque est major injuria, si in crimen violatæ suspectæve fidei catholicæ, quod non semel factum dolemus, adducantur. — Omninoque istud præceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere : si quid temere, si quid injuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate mutua, et præcipuo quodam omnium in apostolicam Sedem obsequio redimendum.

Hac via duas res præclarissimas catholici consecuturi sunt : alteram, ut adjutores sese impertiant Ecclesiæ in conservanda propagandaque sapientia christiana ; alteram ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cujus malarum doctrinarum cupiditatumque caussa, magnopere periclitatur salus.

Hæc quidem, Venerabiles Fratres, habuimus, quæ universis catholici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, officiisque civium singulorum.

Ceterum implorare summis precibus oportet cœleste præsidium, orandusque Deus, ut hæc, quæ ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem ipse perducat, cujus est illustrare hominum mentes, permovere voluntates. Divinorum autem beneficiorum auspicium, et paternæ be

nevolentiæ Nostræ testem vobis, venerabiles fratres, et Clero populoque universo vestræ fidei vigilantiæque commisso apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 1 novembris, anno MDCCCLXXXV, pontificatus nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

APPENDIX VII.

CIRCA DISMEMBRATIONEM PAROCHIARUM.

(Ad p. 183.)

Contra decretum S. C. Concilii, supra n° 356, p. 183, relatum, allegata fuit decisio ejusdem S. C. data 23 apr. 1861, in causa *Belun.* circa dismembrationem, ab Ordinario peractam, partis cujusdam parochiæ Belzano in gratiam alterius S. Blasii Belun. nuncupatæ. Sic :

« Dubium : An et quomodo sustineatur episcopale decretum dis-« membrationis diei 24 octobris 1859, in casu.

« Die 23 aprilis 1861, Sacra Congregatio Eminentissimorum ac « Reverendissimorum Cardinalium, Conc. Tr. Interpretum ac Vindi-« cum, respondit : affirmative in omnibus ».

Sed cum agebatur hic de dismembratione jam a quinquennio, cum Gubernii et partium quorum intererat assensu, peracta, et quidem gravibus ex causis, a qua proinde nonnisi cum maxima difficultate recedi poterat, haud videtur posse inde legitime inferri Sacram Congregationem a sua antiqua sententia decreto generali declarata, vere discessisse ; præsertim cum solummodo pro casu hoc particulari decisio fuit emissa.

Attamen diffitendum non est S. C. faciliorem hodie se præbere ad agnoscendam parœciarum dismembrationem ob solam populi commoditatem, ita ut sententiam non rejecerit quidem, sed attenuaverit. In exemplum sit recens causa *Bajonen.* 9 april. 1892, *dismembrationis parœciæ* (Cf, *Canoniste contemporain*, 1892, p. 364); in ea enim judicatum est valere dismembrationem territorii a parochia suburbana avulsi, et urbanæ parochiæ adnexi.

APPENDIX VIII.

CIRCA USUS ECCLESIARUM GALLIÆ RELATE AD CANONICOS ET CAPITULA.

(Ad p. 230 et 615.)

Non levis momenti est ad illustrandas quasdam consuetudines fere in omnibus nostris ecclesiis vigentes quoad capitula, canonicorum tam titularium quam honorariorum ab episcopis nominationem, vicariorum generalium præcedentiam, etc., sequens decisio S. C. super negotiis extraordinariis in *Tarbien.* 14 Julii 1888. En litteras Emin. Rampolla ad episcopum Tarbiensem :

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Ad dirimendas nonnullas controversias quæ inter Dominationem Tuam et istud cathedrale Capitulum exortæ fuerunt, quæque a S. C. Concilii, uti noscis, ad S. C. Negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis præpositam remissæ fuerunt, Summus D. N. Leo Papa XIII quosdam hujus S. C. Eminentissimos Patres adlegit. Qui, re formiter discussa ac mature perpensa in comitiis habitis die 14 vertentis mensis, decrevere ad Tarbiensem episcopum et minime ad Capitulum jus competere sive conferendi canonicatus in Cathedrali ecclesia sive nominandi archipresbyterum cui onus curæ animarum incumbit. Relate vero ad nominationem canonicorum qui honorari dicuntur, nihil innovandum esse rescripserunt. Pariter Vicariis generalibus præcedentiam super omnes Dignitates et canonicos tam in choro quam in processionibus competere judicarunt. Verum cum sacri canones minime patiantur ut in eadem ecclesia eodemque collegio ab Ordinario duæ valeant constitui Dignitates eumdem habentes titulum easdemque functiones exercentes, præbenda destitutæ et ad nutum amovibiles, quemadmodum in Tarbiensi Capitulo peractum fuit, hinc Emi Patres Amplitudini Tuæ curari mandarunt ut ea omnia aboleantur quæ spectant ad titulum et officia Archidiaconatus Vicariis generalibus commissa. Demum differendam esse senserunt solutionem propositarum quæstionum, quæ de jure agunt nominandi Cæremoniarium, Sacristam, Magistrum Cantorum, omnesque alios ministros inferiores, necnon de opportunitate nova conficiendi capitularia statuta ; interim praxim hucusque sequutam haud innovandam esse voluerunt.

Hanc Emorum Patrum sententiam a SSmo D. N. probatam Dominationi Tuæ significans, etc.

Romæ, die 19 Julii 1888.

M. Card. RAMPOLLA.

APPENDIX IX.

CIRCA POTESTATEM EPISCOPORUM IN PROPRIOS CLERICOS.

(Ad p. 540.)

Episcoporum potestatem in proprios clericos, præsertim quoad curam animarum suscipiendam aut non dimittendam, illustrant sequentes responsiones S. C. C. ad quæsita Emi archiepiscopi Tolosani:

« I Utrum liceat sacerdotibus (parochis amovibilibus) eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius Ordinarii licentia ?

II. An ex præcepto obedientiæ, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, Episcopus jus habeat eos cogendi ut in munere suo persistant, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat ?

III. Utrum sub eodem præcepto, iisdemque intentatis censuris, facultatem habeat sacerdotes viribus pollentes, et ab aliis officiis liberos, compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usquedum illis alio modo providere queat?

D e 9 Maii 1884, S C. C, attentis peculiaribus circumstantiis, censuit rescribendum : ad I : *negative*; ad II : *affirmative* ; ad III : *affirmative*, vigore facultatum quæ approbante SSmo Domino Nostro, Emo archiepiscopo oratori tribuuntur ad septennium tantum si tamdiu expositæ circumstantiæ perduraverint. »

Similes responsiones habentur in *Parmen*. 17 jan. 1886, in *Forojulien*. 31 jan 1891, et demum in *Calven*. et *Theanen*. 5 mart. 1892. (Cf. *Canoniste contemporain*, 1891, p. 364 ; 1892, p. 307, 672.)

APPENDIX X.

CIRCA OBLIGATIONEM EPISCOPORUM APPLICANDI MISSAM PRO POPULO.

(Ad p. 562.)

Episcopus, qua pastor et custos gregis, quem nomine Dei pascit, pro diœcesanis orare et specialim sacrum Missæ sacrificium pro iisdem litare, singulis diebus dominicis et festis, ut pro parochis fusius dicemus infrà n. 1484 et s.). Quod ad Episcopos attinet, probabilior, imo certa a plerisque habebatur hæc obligatio ; deficiebat tamen positivus textus legis ; hanc autem edidit Leo XIII Constitutione *In suprema*, diei 10 jun. 1882. Quæ obligatio non tangit, ut patet, Episcopos titulares, id est sine clero et populo, quamvis « si æquitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non con-

sentaneum videri eos etiam interdum sacrificium offerre ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur. » Hæc sunt autem constitutionis decretoria verba. Postquam varios textus S Scripturæ et theologorum retulerit Pontifex, quibus probatur « officium celebrandi missam pro populo majore ratione ad Episcopos quam ad parochos pertinere », prosequitur :

« His itaque omnibus diu multumque consideratis, auditisque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sententiis, decernimus et declaramus. omnes et singulos Episcopos quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos, itemque Abbates jurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in dominicis aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, et qui ex dierum de præcepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri. Et ne cui dubitationi aditus pateat, declaramus eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius Missæ pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures diœceses et Abbatias æque principaliter unitas regant. »

APPENDIX XI.

CIRCA POTESTATEM VICARIORUM GENERALIUM QUOAD CONFRATERNITATES.

(Ad p. 601.)

Ea quæ respiciunt Confraternitatum erectionem, approbationem, ita Episcopo propria sunt, ut ea vicario generali committere nequeat, nisi forsan in indulto subdelegandi facultatem acceperit Quæ constant ex responsionibus S. C. Indulg., præsertim in *Gratianopolitana*, 24 maii 1843 (*Decreta authent.* n. 321); et *Aurelianensi*, 18 aug. 1868, ut infra (*ibid.*, n. 420). — Notatum sit quod vicarius capitularis pariter se abstineat ab erigendis confraternitatibus, a concedendis testimonialibus et consensu requisitis pro aggregatione confraternitatum et ab approbandis earumdem statutis, juxta decretum in una *Cong. Pretios. Sang.*, 23 nov. 1878 (*ibid.*, n. 438).

« Vicarius Generalis Episcopi Aurelianensis quatuor sequentia dubia Sacræ Congreg. Indulg. enodanda proposuit :

« 1° Cum Episcopus obtinuerit facultatem a Sede Apostolica eri-

gendi Confraternitates cum respectivis Indulgentiis, potestne Vicarius Generalis id præstare absque speciali delegatione Episcopi?

» 2° Potestne Vicarius Generalis auctoritate ordinaria erigere Confraternitates absque delegatione Episcopi, ita ut erectio sic peracta canonica sit?

» 3° Utrum Vicarius Generalis possit valide concedere litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum?

» 4° Utrum Vicarius Generalis possit approbare statuta Confraternitatum? »

Em. Patres..., 20 julii 1868..., rescribendum duxerunt:

« Ad 1m, Negative, nisi Episcopo subdelegandi potestas in Apostolico Indulto concessa fuerit, suumque Vicarium Generalem subdelegaverit.

» Ad 2m, Negative. Ad 3m, Negative. Ad 4m, Negative, et supplicandum SS. pro sanatione. Et facta de præmissis relatione SS. D. N. Pio PP. IX, in audientia habita a me infrascripto Card. Præfecto, die 18 aug. 1868, Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis approbavit et confirmavit, et sanationem erectionum Confraternitatum et approbationum Statutorum a Vicariis Generalibus usque ad totum currentem diem 18 aug. 1868 factarum, necnon aggregationum, quæ cum litteris testimonialibus et consensu Vicariorum Generalium locum huc usque habuerunt, benigne impertita est, contrariis quibuscumque non obstantibus. »

A. CARD. BIZZARRI, Præfect.
« A. COLOMBO, Secretarius. »

APPENDIX XII.

CIRCA PLURALITATEM VICARIORUM CAPITULARIUM IN GALLIIS.

(Ad p. 627.)

His quæ in textu Manualis habentur, addendæ sunt etiam sequentes responsiones S. C. C., quibus sat clare apparet, juxta verba D. Angelis (Prælect. jur. can. l. I, tit. 28, de vic., n. 18): eam consuetudinem plures ponendi Vicarios capitulares « tolerari quoad ea loca in quibus præscripta est, licet S. Sedes non permittat eam introduci in iis locis in quibus non viget, quin imo suaviter curet ut si fieri posset, etiam in illis locis cesset, in quibus legitime viget ».

Vacante ob mortem RR. DD. Bardou sede Cadurcensi, consulta fuit per telegraphum S. C. Congr. à DD. Martin et Maury, cathedralis Cadurci canonicis, sequentibus verbis:

« A Son Eminence le Cardinal Préfet de la Sacrée Congrégation du Concile. — Le Siège vaque. Le Chapitre peut-il nommer deux Vicaires, remplaçant deux Vicaires Généraux, selon la coutume française ? — Signé : Martin, doyen ; Maury, chanoine. »

Réponse : — « Canonicis Martin, Maury. — Congregatio Concilii, quæstioni quoad nominationem duorum Vicariorum, Sede vacante, respondet : *posse tolerari*. » (*Monde*, 11 mars 1863.)

Post decessum RR. DD. Baudry, rursus consulta S. C. à duobus Capituli Petrocorensis canonicis, eamdem iteravit responsionem. (*Revue des sciences ecclés.*, n° 39, p. 277, et n° 40, p. 200.)

Sed iterùm consulta a duobus Ruthenensis cathedralis canonicis circa validitatem electionis duorum Vicariorum Capitularium factam 4 junii 1871, S. C. C. respondit, 4 sept. ejusdem anni, validam quidem esse electionem primi Electi D. Coste, sed secundum non esse vere Vicarium, sed duntaxat Provicarium, *qui sub potestate ac nutu* D. Coste *negotia ministerii pastoralis expedire* poterit. — Pro casu solum data fuit resp., juxta C. Antonelli ad Galliæ gubernium.

APPENDIX XIII.

CIRCA PROHIBITIONEM AC CENSURAM LIBRORUM.

Quæ in Manuali traduntur (n. 727-768) circa libros prohibitos temperanda sunt juxta sequentem constitutionem, d. d. 25 januarii 1897, qua S. P. Leo XIII novas promulgavit regulas de prohibitione et censura librorum, fierique jussit novum Indicem. Notandum vero pœnas latæ sententiæ immutatas non fuisse.

De prohibitione et censura librorum

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Officiorum ac munerum, quæ diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque hæc summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Jesus Christus tuendam Ecclesiæ suæ ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variæ profecto atque innumerabiles sunt inimico-

rum calliditates, artesque nocendi : sed cum primis est plena pe- culorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus q prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad in- nandos animos per contemptum religionis perque illecebras m peccandi. Quamobrem tanti metuens mali et incolumitatis fid- morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, rem contra ejusmodi pestem esse sumenda : ob eamque rem id perpe studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lection hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re stud beati Pauli viderunt proxima originibus tempora : similique rati perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, jussa Episcoporum, Conc liorum decreta, omnis consequens ætas.

Præcipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura di gentiaque in eo evigilaverint romani Pontifices, ne hæreticor scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum ve- tustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocenti Pelagii, Leo magnus Manichæorum opera omnia, gravi edicto dam navere. Cognitæ eadem de re sunt litteræ *decretales* de recipien et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Simili decursu ætatum, Monotheletarum, Abælardi, Marsilii Patavi Wicleffi et Hussii pestilentes libros, sententia apostolicæ Sedis conf

Sæculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, n modo in prave scripta animadversum est, quæ lucem aspexisse sed etiam ne qua ejus generis posthac ederentur, caveri cœpt Atque hanc providentiam non levis aliqua causa, sed omnino tute honestatis ac salutis publicæ per illud tempus postulabat, propte quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, ch tianæ gentium humanitati propagandæ natam, in instrumen ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum pr scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate majus erat ac velocius eff tum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo decessores Nostri, certas tulere leges, utique congruentes iis tem- poribus ac moribus, quæ officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius opor malarum hæreseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, postea- que Clemens VII gravissime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius ævi infelicitate cre set præter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosor librorum impura colluvies, ampliore ac præsentiore remedio op esse videbatur. Quod quidem rem edium opportune primus adhib Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum e librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo p Tridentinæ Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentia novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate ju suque lecti ad id præsules et theologi non solum augendo perf liendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed

Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV apostolicæ auctoritatis robur adjecit.

Verum salutis publicæ ratio, quæ Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus ætatibus, eadem jussit. Quamobrem romani Pontifices nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiæ, plura decrevere, quæ ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quæ res præclare confirmant, præcipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quamdiu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex æterna præfuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quæ postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adjuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis præscriptiones, quæ excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Præterea, propinquo jam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent atque æstimarent Regulas Indicis universas judiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, judicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliæ extant hac de re litteræ, quarum sententia est necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illæ Regulæ et universa res Indicis novo prorsus modo nostræ ætati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur*. Idem eo tempore judicium fuit Episcoporum Germaniæ, plane petentium, ut *Regulæ Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur*. Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane æqua postulant et cum materna Ecclesiæ sanctæ caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litteræ licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicæ. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum; ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatæ lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari jussimus. Præterea ad ipsas Regulas mentem adjecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiæ studium imitamur: quæ quidem nihil tam expetit quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta generalia* statuimus, quæ infra scripta, unaque cum hac Constitutione conjuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctæ Tridentinæ Synodi jussu editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de statuto jussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita ac provida*, quam sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

DECRETA GENERALIA

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM

TITULUS I. — *De prohibitione librorum.*

CAPUT I. — *De prohibitis apostatarum, hæreticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.*

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per hæc Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesias-

tico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAPUT II. — *De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacræ Scripturæ.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatæ, etsi fideliter et integre editæ appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliæ versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editæ.

CAPUT III. — *De versionibus vernaculis Sacræ Scripturæ.*

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectæ, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectæ, atque illæ præsertim, quæ per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimæ Ecclesiæ leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hæ nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quæ supra (n. 5) statuta sunt.

CAPUT IV. — *De libris obscenis.*

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum, sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt.

CAPUT V. — *De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri, in quibus Deo aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis aut Catholicæ Ecclesiæ ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicæ Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera in quibus inspirationis Sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliæque hujus generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quæ narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula vel quæ novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt; qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt; et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

CAPUT VI. — *De sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressæ Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quæ divulgatæ jam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

CAPUT VII. — *De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat; si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur.

19. Litaniæ omnes, præter antiquissimas et communes quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata Virgine, quæ in sacra Æde Lauretana decantari

solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Jesu jam a Sancta Sede approbatas [1] non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo præter legitimæ auctoritatis licentiam publicet : secus prohibiti habeantur.

CAPUT VIII. — *De diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX. — *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem præposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Prælati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se præcepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

1. His addantur nunc Litaniæ S. Cordis Jesu, approbatæ pro tota Ecclesia per decretum d. 2 aprilis 1899.

CAPUT X. —*De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina prævalent, perniciosos libros Episcopis aut Apostolicæ Sedi denunciare ; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinæ laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causæ exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicæ, libros, aliaque scripta noxia in sua Diœcesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quæ subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II. — *De censura librorum.*

CAPUT I. — *De Prælatis librorum censuræ præpositis.*

30. Penes quos potestas sit sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quæ supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere : quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius Sacræ Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea præscriptis.

32. Quæ ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis præpositæ publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hæ nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis præscriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta Sacræ Congregationis Propagandæ Fidei præpositæ de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura præsentium Decretorum vi Apostolicæ Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt.

36. Regulares, præter Episcopi licentiam, meminerint teneri se sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem

a Prælato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romæ degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, præter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II. — *De censorum officio in prævio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV præceptum) animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant, studia partium seponant, Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice præ oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPUT III. — *De libris præviæ censuræ subjiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42 Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant.

Iidem prohibentur quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAPUT IV. — *De Typographis et Editoribus librorum.*

43. Nullus liber censuræ ecclesiasticæ subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris præferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas ejus... operis approbati editiones, novam approbationem exigere, h... insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma version... suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohi... censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, præcipue qui catholico n... mine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes n... vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohib... venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam ... Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi pruden... existimare possint, ab emptore legitime peti.

Caput V. — *De pœnis in Decretorum Generalium transgressor... statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate S... Apostolicæ, libros apostatarum et hæreticorum hæresim propu... gnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litt... nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes... quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurr... Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum lib... vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut impr... faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini res... vatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quæ his Decretis Gene... libus præcipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episc... moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam pœ... coerceantur.

Præsentes vero litteras, etc.

APPENDIX XIV

CIRCA EXCARDINATIONEM CLERICORUM

(Ad p. 539.)

Hac de re attendendum venit decretum S. C. Concilii, sub d... 20 julii 1898, cujus hæc est pars dispositiva:

« Emi S. C. Concilii Patres præsenti generali decreto hæc statuend... censuerunt:

« I. Excardinationem fieri non licere nisi justis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia diœcesi executioni demandata.

« II. Incardinationem faciendam esse ab Episcopo, non ore tenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam ; ita ut clericus novæ diœcesi prorsus mancipetur, præstito ad hoc juramento ad instar illius quod Constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo præscribit.

« III Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua diœcesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de ejus natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

« IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendæ, officii sui noverint esse Episcopi in singulis casibus perpendere an, omnibus attentis, clericus adscriptus oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut « nullus debet ordinari qui judicio sui Episcopi non sit « utilis aut necessarius suis Ecclesiis, » ut in *cap. 16*, *sess. 23*, *de reform.* Tridentinum statuit ; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate diœcesis.

« V. Quo vero ad clericos diversæ linguæ et nationis, oportere ut Episcopi, in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario et obtinuerint secretam et favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

« VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. *Speculatores* quæ, nihil obstante præsenti decreto, ratæ ac firmæ semper manere debent. »

APPENDIX XV

CIRCA EXPOSITIONEM SOLEMNEM CORPORIS EPISCOPI DEFUNCTI.

(Ad p. 561.)

Inter privilegia honorifica Episcoporum, illud prætereundum non est, quod respicit eorumdem funera. Jamvero Episcopi demortui corpus, pontificalibus ornamentis indutum, exponendum est in palatii episcopalis aula maxima, facta facultate plures missas ibidem pro defuncti anima celebrandi. Sic enim sonat decretum S. C. R. diei 3 aprilis 1894 ;

« Qui pro Domini grege vitam impenderunt, æquum est ut Eccles suffragiis singulari modo post mortem juventur. Sacris ideo R... præposita Congregatio, re mature perpensa, decernendum esse st... tuit : ut, dum corpus Episcopi diœcesani defuncti, sacris indut. vestibus, in propriæ ædis aula majori publice et solemniter ... expositum, Missæ in suffragium animæ ejus per totum mane celeb valeant ; iis omnibus servatis quæ de Episcopi defuncti corpore ex- ponendo ac suffragiis ferendis in Cæremoniali Episcoporum, libr... cap. XXXVIII, præscribuntur. Quod privilegium Episcopis in ... diœcesi concessum ad Vicarios Apostolicos in suis Vicariat... necnon ad Abbates cæterosque Prælatos Nullius diœceseos juris- tione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruentes, in pr... tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De sp... tandem gratia Sacra Rituum Congregatio indulget ut eodem q... privilegio frui valeant Episcopi titulares defuncti, dummodo e... cadavera in aula convenienti exponantur, et ornamentis pont... libus (absque tamen baculo pastorali), si extra Urbem fuerint in... si vero in Urbe, habitu tantum prælatitio ».

Præterea servanda sunt quæ disponuntur in Cæremoniali Epis- porum, *loc. cit.*, et in Pontificali, III p., circa exequias et qui... absolutiones ad tumulum.

INDEX

MATERIARUM IN PRIMO VOLUMINE MANUALIS TOTIUS JURIS CANONICI CONTENTARUM.

APPENDICES

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

Poitiers. — Sté Franç. d'Impr. et de Libr.
Ancienne impr. Oudin et Cie.

